6
43 D
9

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu
13. C


5 - E - 3

5.5.3

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



ELUCIDATORIUM IN PSALMOS DAVIDICOS.

Auctore Reverendo Patre

IOANNE DE BERCHT

Sanctitate & doctrina claro, & Canonico Regulari Viridis Vallis in nemore Zoniæ propè Bruxellam.

Operâ ac Studio

R.P. MARCI MASTELINI S.T.L.

ejuſdem inſtituti Canonici in lucem editum.

ANTVERPIÆ,
Apud IOANNEM CNOBBAERT.
ANNO 1634.

Ex Legato Illustriss. Coccini.

VITTORIO ... IN ROMA

Digitized by Google

Digitized by Google

Reverendo admodum Domino

P. IOANNI SVCCANTIO

VIRIDIS VALLIS PRIORI

SOC. IESV. BIBL. SEC. COL. ROM.

Digniſsimo, Capituli VVindeshemenſis per ſuperiorem Germaniam commiſſario vigilantiſsimo.

FErunt Naturales ex lapide quodam, Enidros nomine, ita exundare aquā, ut clauſam putes fontaneam ſcaturiginem: qui etſi modicus ſit, perpetuis tamen diſtillat guttis. Talia cùm cernerem Auctoris noſtri volumina, quæ Deus inſpirando fecit, & ipſe inſpirationem edendo compoſuit, continuò calcar ſenſi, & ſtimulos, ut ſi non omnia pro tempore poſſem, unum ſaltem, quod elucidatorium in

Digitized by Google

Pſalmos Davidicos intitulatur, è tenebris in lucem erutū, in tuo ſinu reponere. Fore ſperans, quod ſplendorē inextinguibilem ipſis lectorum animis præbebit, prout ille Arcadiæ lapis Asbeſtus, qui ſemel accenſus (teſte
Lib. 14. cap. 4. Iſidoro) nunquam extinguitur. Vtinam te ſervet incolumem, ſempérq; ad meliora provehat, una cum canonica ſodalitate fidei tuæ credita, totius Chriſtiani gregis unica ſpes, Dominus Ieſus. Ex canonica viridis vallis. 1. Septemb. 1633.

Admodum R^{du.} V. P.

Humilis Filius, Frater MARCVS MASTELINVS Can. Reg.

Digitized by Google

CHRISTIANO LECTORI
à
SALVATORE IESV
SALVTEM.

EN nunc primùm, optime lector, ſedula Marci Maſtelini opera, beneficioque, in lucem prodit Elucidatorium Ioannis de Bercht, quod piam arguit ſimplicitatem, & non vulgarem eruditionem, & illius ſæculi candorem. Cujus ſanè Authoris alia laudum præconia huc transferre, quam quę de eo ſcribit Iuncherus in virilogio Viridis vallis, minimè potui, ob perdita volumina, quæ ipſe ibidem citat. Hæc verò habet virilogium.

Frater Ioannes de Bercht, aliàs à Dieſt, presbyter fuit ſæcularis, & Canonicus in Eccleſia Dieſtenſi, qui omnes diſsimilitudines fugiens, quibus rationabiles mentes impediuntur, ne ad beatitudinis participationem ſupermundanè ferantur, ad Viridem Vallem tranſivit, ubi deſerto homine exteriore, rutila mentis intelligentia, tam perſpicaciter radios æternæ veritatis, inſtar aquilæ, conſpexit, ut ejus commentarij, quos tum in Euangelium Lucæ, tum in totum Pſalterium Davidicum conſcripſit, divinitatem quan-

dam redolère videantur, quorum nimia ſuavitate & magnitudine dulcoris ipſe Author liquefactus, & in ſeipſo reſolutus, numquam aut raro ſine lachrymis celebravit, aut Pſalmos decantavit. Obijt anno 1470. ultima Octobris.

Secutus eſt autem pius ſcriptor veſtigia SS. Patrum, utpote, Auguſtini, Hieronymi, Magalonenſis, Ludolphi, & aliorum, ex quorum uberrimis Campis, ſpicas colligens, manipulum hunc confecit, ut cùm libuerit grana decerpere poſſet ad molendum, quibus tum ipſe, tum ei conſimiles famelici, poſſent ſatiari. Sed quia hoc opus mutilum erat à Pſalmo 114. uſque ad Pſalmum 133. incluſivè, pro modulo meo ſupplere ſum conatus, & ut meritò dictis meis fidem adhibeas, mihi præter ſolum laborem nihil aſſcribens, ſententias Sanctorum authoritati relinquo, de ipſo enim Sanctorum voluminum theſauro fideliter ſincereque deprompſi, & de fontibus Iſraël, non de meo pectore hauſi, libenter Sanctorum aſſumens verba, ubi mihi congruere videntur, ut vel ex vaſculorum pulchritudine, gratiora fiant, quæ tibi in eis propoſuero. Ego autem humiliter benevolum lectorem, ad cujus notitiam opuſculũ præſens venire contigerit, rogo, ut ſi in eo quid corri-

Digitized by Google

corrigendum emendandúmve invenerit, charitatis lima dignetur corrigere. Si verò ſalubriter aliquid & benè poſitum, non meæ paupertati & inſufficentiæ, ſed illius potius bonitati & ſapientiæ aſſcribat, *à quo omne datum optimum & omne donum perfectum*, qui eſt Deus benedictus per ſæcula Amen.

Digitized by Google

CENSURA.

Elucidatorium hoc in Pſalmos, R[di.] P. IOANNIS de BERCHT, breviter & eruditè exprimit ſenſus Davidicos, quare, ſi in lucem emittatur multum lucis adferet ijs, qui pſallere volunt Deo ſpiritu, & mente. Ita cenſeo. Bruxellis, hac 2. Septembris 1633.

HENRICVS CALENVS *S. Theolog. Licent. Archipresbyter Bruxellæ, librorum Cenſor.*

Digitized by Google

Psalmus CIX.

Pſalmus hic de utraque Chriſti natura & magnificentia, tam ex parte humanitatis, quam ex parte divinitatis agit.

Caſſiod. *Dixit Dominus Domino meo ſede à dextris meis.* Una deitas & una poteſtas, una æternitas pater dicit ad filium, quod nec ille ore protulit, nec ille auribus intentis audivit, vult enim pater & novit filius, vult filius & novit pater, ſed nec ipſa voluntas nobis comprehenſibilis eſt, nec ipſa notio humanis ſenſibus poteſt apparere: merito ergo ad noſtram conſuetudinem deſcenſum eſt, quatenus imbecilla inſtrueretur humanitas, quando uſque ad illam ſecretam integritatem hominum non poterat cogitatio pervenire. Magal. *Dominus Domino:* His nominibus æqualitas ſubſtantiæ & virtutis potentia declaratur. Dominus itaque pater in ſapientia ſua quæ filius ejus eſt ordinavit ut idem unigenitus ejus incarnatus, mortuus & reſurgens à mortuis, aſcendens in cœlum, id eſt, ad æqualitatem ejus ſedet, qui etiam credendus eſt filius David ſecundum carnem & dominus David ſecundum divinitatem: credamus ergo & dicamus ipſum & dominum David & filium David, hoc enim nomine illum appellantes multi infirmi ſanati ſunt: peperit namque illum beata virgo Maria ut eſſet filius David, ſed de illo quem peperit ſcriptum eſt, vocabunt nomen ejus Emanuel, quod eſt, nobiſcum Deus: ecce habes etiam & dominum David. Ait ergo *dixit Dominus,* pater non oris flatu, Ludolphus

ſed re & operis actu ſeu effectu, id eſt, ab æterna diſpoſitione præordinavit, & loquitur hic Propheta more noſtro quia ſuum dicere facere eſt: dixit igitur dominus Deus pater *Domino meo*, id eſt, Chriſto filio ſuo, quem ipſe David dominum vocat ratione divinitatis ſuæ. Geminatio iſta videlicet *Dominus Domino meo* & perſonã patris & filij competenter expreſſit, & unã naturam ſeu eſſentiam divinitatis evidenter oſtendit. Identitas nominis repetiti notat identitatem eſſentię, ſed repetitio nominis & variatio caſuum notat alteritatem perſonarum, ſicut enim in eodẽ nomine caſus à caſu inflectitur, ſic in una eſſentia perſona à perſona gignitur vel procedit. *Dixit* ergo pater *Dominus Domino meo*, & quid dixit? ſede, id eſt, expleta militia tua, & peracta obedientia, ſedebis, & poſt laborem quieſces *à dextris meis*, id eſt, in potioribus meis bonis, ac mihi conregnabis cõęqualis, quod impletum fuit in ſua aſcenſione, nota tamen quod Deus non ſedet ſed aſſumptio corporis Chriſti ſedet: huic præcipitur ut ſedeat qui homo eſt, qui aſſumptus eſt: nam ſi naturam divinitatis excogites, quem locum poteſt habere partis ſiniſtræ vel dextræ, qui omnia ubiq; pleniſſima majeſtate complectitur: victori igitur filio per ſanctam incarnationẽ totius mundi triumphatori poſt reſurrectionis gloriã honorabilis conſeſſus offertur, de quo dicitur Marci ultimo, *& dominus quidem Ieſus poſtquam loquutus eſt eis aſſumptus eſt in cælum, & ſedet à dextris Dei*, id eſt, in potioribus bonis Dei patris in qua parte ponendi ſunt qui à perfidis divinitatis munere ſegregantur juxta illud *volo pater ut ubi ego ſum illic ſint & miniſtri mei*, adjecitque *donec ponam inimicos tuos* non credentes, aut juxta fidẽ mi-

Caſſiod. Caſſiod. Marci ultimo. Hugo.

minimè viventes *ſcabellum pedum tuorum*, id eſt, omnimoda ſubjectione bona volētes ſcilicet ad humilitatem & ſalutem, alios autem ſubjectione damnabili ad perditionem, quod modo inceſſanter agitur quamdiu in hoc mortali vivitur, donec terminus & numerus electorum, atq; reproborum impleatur: ut demū judicium fiat in quo quiſque prout geſſit ſive bonum ſive malum recipiat, & hi qui humiliter ſubjecti ſunt eleventur ad gloriam, alij miſerabiliter conterantur ad pœnam. Ait ergo *donec ponam inimicos tuos* Iudęos ſcilicet qui ipſum Chriſtum perſecuti fuerunt uſque ad mortem, ſive infideles & non credentes, ſive etiam Chriſtianos juxta voluntatem tuam non viventes, qui modo dominium videntur habere. *Scabellum pedum tuorum*, id eſt, plenariè & totaliter tuo ſubjectos imperio, ac tuæ voluntati. Quod modo videmus impletum, quia illi qui de Iudæis crediderunt ſunt Chriſto ſubjecti per fidem, illi verò qui increduli remanſerunt ſunt membris Chriſti ſubjecti, qui in terris principum Chriſtianorum manēt ſicut ſervi & ſubjecti: nam inter Saracenos habitare non permittuntur ut à fide dignis narratur, & non quia hic, *donec*, eſt affirmativum ſive incluſivum omniū temporum & ponitur pro æterno, & quandoque eſt negativum & excluſivum omnium temporum, ut eſt id, *Ioſeph non cognovit eam donec peperit filium ſuum*, id eſt, numquam cognovit. Huc uſque fuerunt verba patris ad filium quæ recitavit Propheta nunc autem convertit ſe idem Propheta ad loquendum ipſi Chriſto dicens

Ma-gal. (margin, beside "ſubjectione bona volētes")

Ni-col. Ly-ra. (margin, beside "micos tuos Iudęos")

Virgam virtutis tuæ emittet dominus ex Syon dominare in medio inimicorum tuorum. Virga virtutis eſt ſermo virtutis quē Ma-gal.

Digitized by Google

dominus ex Syon miſit, quia verbum prædicationis primitus ab Hieruſalem exivit, ſicut Luc. 24. ſcriptum eſt *oportebat Chriſtum pati & reſurgere à mortuis tertia die*, hinc ſedet ad dextram reſurgendo ubi fuit. Deinde ſequitur *& prædicari in nomine ejus pœnitentiam & remiſſionem peccatorum in omnes gentes* incipientibus ab Hieruſalem, ad hoc ergo hæc *virga virtutis ex Syon* dirigitur, ut in medio inimicorum ſuorum dominetur, ſcilicet in medio paganorum, Iudæorum, hæreticorum, falſorum fratrum, & malorum Chriſtianorum. Hunc verſum non rectè intelligimus, ſi non fieri jam videmus quanta hæc virtus ejus dominans *in medio inimicorum* perſtrepentium, nihil contra eum valentium, quotidiè ſibi dicentium Pſal. 40. *quando morietur & peribit nomen ejus*, cum creſcat gloria ejus per populos, cum ejus nomini ſubjiciantur gentes, cum peccator videat & iraſcatur, fremat dentibus ſuis & tabeſcat. Ait ergo *virgam virtutis tuæ*, id eſt, ſermonem veritatis ac poteſtatem docendi in omnibus linguis & miracula faciendi ad confirmationem doctrinæ, *emittet Dominus* Chriſtus per Apoſtolos *ex Syon*, quia verbum prædicationis exivit primitus ab Hieruſalem, Apoſtoli enim alijque diſcipuli Chriſti Spiritu ſancto confirmati exierunt ad prædicandum per orbem gloriam Chriſti, unde dicitur *de Syon exibit Lex & Verbum Domini, de Hieruſalem*, vel aliter: *virgam*, id eſt, regiam poteſtatem *virtutis*, id eſt, divinitatis & potentiæ tuæ *emittet Dominus* ſcilicet Deus pater *ex Syon*, id eſt, incipiet ab Hieruſalem, quia ibi incipiet regnum Chriſti ſcilicet eccleſia: & quia per doctrinam & miracula Apoſtorum illi qui per orbem propter idola Chriſtum perſequebantur

Ludolphus Hieron. Iſ. 2.

bantur converſi ſunt ad fidẽ, & ſubjecti ipſi Chriſto, com-
Hugo. muniter dicitur, *Dominare*, ſcilicet, tu Chriſte, id eſt, dominaberis, tranſlatio Romana habet & dominaberis in medio, id eſt, in cordibus, quia cor medium eſt in homine, *inimicorum tuorum*, nunc amicorum per fidem, qui prius erant inimici per incredulitatem, facque ut qui alieni fuerant, tui eſſe incipiant, ſeſeque tibi ex propria voluntate ſubjiciant. Conſequenter oſtenditur æqualitas Chriſti ad patrem quæ convenit ei ratione naturæ divinæ, quæ eſt eadem in patre & filio, & hoc eſt quod dicitur.

Tecum principium in die virtu-
Magal. *tis tuæ*, principium pater eſt, principium filius, ſicut ſcriptum eſt de patre, *in principio erat verbum*, dicit filius de ſe
Ioan. 1 ipſo, *ego principium qui & lo-*
Ioan. *quor vobis*, ſed ſicut pater Deus, & filius Deus, pater autem & filius non duo Dii ſed unus Deus, ſic & pater principium & filius principium, non tamen duo principia, ſed unum principium. Et quando videbitur tecum eſſe principium? cum manifeſtum erit omnibus jam tibi factis, *quando* Ioan.
videbunt te ſicuti es, modo ergo credamus, ut tunc videamus, merces enim noſtræ fidei eſt viſio Dei. Habent nunc homines in fide, in ſpe, in charitate, in bonis operibus virtutes ſuas, ſed *ibunt à vir-* Pſal. 83.
tutibus in virtutes ut videant Deum Deorum in Syon, tunc apparebit *tecum principium*, quomodo pater in filio, & filius in patre ſit: *in die virtutis tuæ*, id eſt, in claritate divinitatis tuæ. *In ſplendoribus ſanctorum*, id eſt, quando erunt in ſplendore ſancti: adhuc enim in ſplendore non ſunt, quamdiu in tenebris hujus ſæculi mortaliter vivunt, quamdiu in corpore corruptibili quod aggravat animam gemunt. Hinc eſt quod Apo-

 ſtolus

Digitized by Google

ſtolus ait *dilectiſſimi filij Dei ſumus ſed nondum apparuit quod erimus*, ſed quid ſubjungit? *ſcimus autem quia cum apparuerit ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt:* tunc erunt in ſplendoribus ſancti, tunc *illuminabuntur corda tenebrarum, & manifeſtabuntur conſilia cordium, & tunc laus erit unicuique à Deo,* tunc *juſti fulgebunt ſicut ſol in regno patris eorum* ſed hic differtur, hoc poſtea dabitur, quid nunc? *ex utero ante luciferum genui te*, quid eſt *ex utero*? ex ſecreto ex occulto de meipſo de mea ſubſtantia. Quid eſt *ante luciferum?* Lucifer pro ſyderibus ponitur tamquam à parte totum, ſed illa ſydera quomodo facta ſunt? ut ſint in ſignis & temporibus & in diebus & in annis, quid eſt ergo *ante luciferũ?* hoc eſt ante ſęcula vel ſydera, quid eſt ante ſydera? hoc eſt, ante tempora, & ſi eſt ante tempora, ergo ab ęternitate. Dictum eſt ergo ut dici oportuit figuratè, prophetice, ut & uterus pro ſecreta ſubſtantia, & Lucifer pro ſyderibus poneretur. Ait ergo *tecum principium*, ſcilicet pater principium tuum, quia unum in natura & eſſentia, ſunt autem pater & filius unum commune principium Spiritus ſancti, & ipſæ tres perſonæ unum commune principium creaturarum, hoc autem principium videbitur tecum eſſe, non hic ſed *in die virtutis tuæ.* id eſt, in claritate divinitatis tuę, quando videbimus te ſicuti es ſcilicet *in ſplendoribus ſanctorum*, id eſt, quando erũt in ſplendore ſancti, quando *juſti fulgebunt ſicut ſol in regno patris eorum*. Vel ſic poſſunt accipi verba patris ad filium dicentis, ô fili tecum eſt mihi principium, ſcilicet, tu mihi es cöæternus, tu enim es principium & creator omnium rerum & ſine initio, ſimiliter & ego, id eſt, eadem authoritas ſive poteſtas dominandi & participandi eſt mihi tecum, Ludolphus

cum

Digitized by Google

cum dicit mihi eſt tecum, notat diverſitatem perſonæ, cum dicit principium, notat cöęternitatem. Non etiam dicit tibi eſt principium mecum, ne videretur deſignare minoritatē in filio, eſt igitur filius cum patre unus in natura, diſtinctus in
Caſſiod. perſona, ſed modo ſancti quēadmodum ſit principium in principio videlicet pater in filio nequeunt intueri, quod manifeſtum tamen erit omnibus electis *in die*, id eſt, in æterna beatitudine quæ meritò dicitur dies propter veræ cognitionis ſplendorem, & eſt dies ſi-
Apocal. 21. ne nocte, unde ſcribitur *nox enim non erit illic*, *in die* ſcilicet *virtutis tuæ* in qua virtus tua apparebit, qua fideles tuos coronabis, malos autem damnabis: in illa namque die apertè videbitur virtus Chriſti quantum ad divinitatem &
Auguſt. humanitatem, quia ſancti in patria reficiuntur interius in aſpectu divinitatis & exterius in aſpectu humanitatis ejus. Ideo ſubdit: *in ſplendoribus ſanctorum*, quando in reſurrectione ipſi ſancti qui in hac vita fuerunt pannoſi, & hiſpidi, facti impaſſibiles, & immortales fulgebunt ſicut ſol, & ita purificati atque conſpicui erunt ut illam majeſtatē queant cordis oculis intueri. Conſequenter oſtendit conſubſtātialitatem filij cum patre, unde dicit Pſalmiſta *ex utero*, hoc eſt, arcano & intimo Iud. Caſſiod. ſubſtantiæ & eſſentię meę, ſcilicet, ex ipſa divinitate mea, totum ex toto, omnipotentem ex omnipotenti, lumen de lumine, ſummum de ſummo, quod nulla inveſtigatio, nullus ſenſus poſſit attingere, quemadmodum valeat comprehendi ſcilicet quomodo *ante luciferum*, ſcilicet, ante productionem ſtellarum, quę luciferi nomine deſignantur, ſicut totum à parte nobiliori denominatur, id eſt, ante lucem, antequam ſtella crearetur, ante tempora, & ante omnem

Digitized by Google

nem creaturam ineffabili genitura, quam Angeli quoque
Hieron. ignorare creduntur, *genui te* æterna generatione, quem ex virginis utero naſci volui in tempore. Dicit ergo pater non habeo uterum, ſed *ex utero genui te*, dico, quia non poſſum me aliter indicare patrẽ, niſi verbis hominum loquutus fuero. Narratio eſt ineffabilis, intellectus incomprehenſibilis, cogitatio ſupra creaturarum omnium vires, Angelorum quoque ſuperat ſenſum, & tamen nobis ſe prout capere potuiſſemus indulget. Conſequenter agit Propheta de Chriſti Sacerdotio cum ſubjungit dicens

Iuravit dominus & non pœnitebit eum. Domini juramentum promiſſionis eſt firmamentum, ſic juravit dominus de ſemine Abrahę. *Vivo ego dicit dominus, quoniam audiſti vocem*
Geneſ. 22. *meam, & non peperciſti unico filio tuo propter me, benedicens benedicam tibi, & implebo ſemen tuum ſicut ſtellas cœli, & ſicut arenam quæ eſt in littore maris, & benedicentur in ſemine tuo omnes gentes:* hoc ſemen eſt Chriſtus, accepit enim carnem ex ſemine Abrahę, de quo ſubditur *tu es Sacerdos in ęternum ſecundum ordinem Melchiſedech.* Magal. De Sacerdotio ergo ſecundum ordinem Melchiſedech juravit dominus, & non pœnitebit eum, id eſt, nõ mutabit, quid? *tu es ſacerdos in æternum*, ideo in ęternum, quia non pœnitebit eum, ſed ſecundum ordinem Melchiſedech, qui non legitur habuiſſe initium dierum, neq; finem, non quia non habuit initium, neque finem, neque patrem neque matrem: ſed quia in ſcriptura non legitur habuiſſe, ſic itaque eſt ſacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech, & non ſecundum Ludolphus ordinem Aäron, qui temporalis fuit. Ait ergo: *juravit dominus*, id eſt, Deus pater firmiter diſpoſuit & promiſit, atque

que incommutabiliter ſtatuit, ac ſi juramento firmaſſet, tibi filio non ante ſæcula genito, ſed ex Maria virgine nato, *&* Nicol. Lyr. *non pœnitebit eum*, id eſt, non retractabit mutando ſententiam ſuam vel conſilium, pœnitentia enim non cadit in Deum Hugo Lu-dol. *juravit* inquam hoc, quod, *tu* ſcilicet, Chriſte *es* & eris *ſacerdos in æternum* & æternus, *ſemper vivens ad interpellandum pro* Hębr.7 *nobis* : tuum namque ſacerdotium durabit in æternum, Caſſiod. qui te ſemel pro nobis obtuliſti immolandum. Vnde Apoſtolus dicit: *talis* nimirum Hæbr.7 *decebat ut nobis eſſet Pontifex, ſanctus, innocens, impollutus, & ſegregatus à peccatoribus, & excelſior cœlis factus*, in ęternum, quia dominus Ieſus Chriſtus permanet in æternum in gloria ſempiterna. Deinde declarat hoc ſacerdotium cum ſubjungit *ſecundum ordinẽ Melchiſedech* quia ſicut Melchiſedech obtulit A- Geneſ. 19. brahæ redeunti de victoria quinque regum, panem & vinum, ſic in ſacrificio Euchariſtię conſecrat in altari Chriſtus corpus ſuum & ſanguinem, quia in hoc ſacrificio ipſe eſt ſacerdos & hoſtia. Deinde convertit Propheta ſermonem ad patrem dicens.

Dominus à dextris tuis confregit in die irę ſuę reges, ipſe *ſacerdos in æternum* Dominus eſt à Verſus. 5 Magal. dextris tuis, de quo juraſti, cui dixiſti, *ſede à dextris meis*, &c. iſte ergo dominus qui eſt à dextris tuis, *interpellat pro nobis* tamquam ſacerdos intrans in interiora in ſancta ſanctorum, in ſecreta cœlorum, iſte ſolus non habens peccatum, & ideo facilè mundans à peccatis, iſte inquit *Dominus à dextris tuis, confregit in die ira ſuę reges*, de quibus ſupradictum eſt *aſtiterunt reges* Pſal. 2. *terræ, & principes convenerunt in unum, adverſus Dominum, & adverſus Chriſtum ejus*. Hos gloria ſua confregit, & pondere nominis ſui infir-

mos reddidit, ut non poſſent efficere quod volebant, conati enim ſunt delere nomẽ Chriſtianum de terra, morti tradendo Chriſtum, & non potuerunt, quia qui offendit in lapidem illum, conquaſſabitur: lapis nempe iſte ante pedes eorum quaſi deſpectè & humiliter jacens fuit, & ideo contemnendo offenderunt, offendendo ceciderunt, cadendo quaſſati ſunt. Si ergo tanta eſt ira occulti, quod erit judicium manifeſti? nam de
Luc. 20. futuro judicio ſcriptum eſt, *ſuper quem ceciderit lapis iſte conteret eum:* ait ergo, *Dominus*, ſcilicet Chriſtus, *ſacerdos in æternum*, quieſcens *à dextris tuis*, & interpellans pro nobis tamquã ſacerdos, intrans in ſancta ſanctorum, id eſt, in ſecreta cœlorum, dominator tibi cöæqualis, cui dixiſti *ſede à dextris meis*, *confregit* & conquaſſavit, *in die irę ſuæ*, id eſt, vindictæ, quando ſcilicet velut ex ira vindictam de eis exegit, *reges*, de quibus ſupra dictum eſt, aſtiterunt reges terræ, &c. Pſal. 2. Aug. iſti fuerunt Herodes, Pontius Pilatus, & principes Iudęorum regentes populum, de quibus Herodes & Pilatus fuerunt relegati in exilium per imperatorem Romanum, & principes Iudæorum per Romanos exterminati ſunt; vel *confregit*, id eſt, confringet *in die irę ſuæ*, id eſt, in die judicij, quando ſua intolerabilis apparebit ira, veluti ex vindicta, *reges*, id eſt, ſuperbos, & hujus vitæ potentes, & poſuit hic præteritum pro futuro. Dico quia confringet in judicio quia interim.

Iudicabit in nationibus erit enim poſtea judicium manifeſtum in gentibus, modo autem fit occultum, ad judicium occultum pertinet hoc quod dicitur, *qui offenderit in hunc lapidem*, *conquaſſabitur*, ad manifeſtum vero *ſuper quem ceciderit conteret eum*. Videbit quemadmodum his divi- Verſus 6. Magal. Luc. 20.

nis

nis verbis *conquaſſabit*,& *conteret*,& *offendet* in eum,& *veniet ſuper eum*, diſtributa ſunt duo tempora, humilitatis & claritatis Chriſti,occultæ pænæ,& futuri judicij, eum enim non *conteret* veniens, quem non conquaſſat jacens, jacens dico, tamquam contemptibilis apparens: nam ille *à dextris eſt*, & valide ex alto clamavit *Saule Saule quid me perſequeris?* Sed tamen vox de cœlo non diceret *quid me perſequeris*, quē nemo tangebat, niſi ita in cœlo ad dextram patris ſederet, ut & in terra quaſi in nobis jaceret. Hinc ipſe alibi dicit *quod uni ex minimis meis feciſtis mihi feciſtis*. Modo autem ad judicium occultum pertinet quod dicitur, *judicabit in nationibus implebit ruinas*, hic enim in gentibus judicat ut ruinas non damnet, ſed impleat,nam quando in fine judicaverit, damnabit *ruinas*, non implebit,quid eſt ruinas? quiſquis à nomine ejus timuerit, cadet, cum ceciderit evertetur quod erat, ut ędificetur quod non erat. Quiſquis ergo contumax es in Chriſto, bonum eſt ut te ipſum dejicias,humilis reddaris, ſedentis à dextris patris pedibus provolvaris, ut fiat in te ruina conſtruenda: nam ſi permanes in mala altitudine tunc dejicieris,quando non ædificaberis. Procul dubio non diceret alio loco ſcriptura, *deſtrues illos & non ædificabis eos*, niſi quoſdam deſtrueret & ædificaret, quod fit omni tempore, cum Chriſtus in gentibus ita ędificat, ut ruinas impleat. *Conquaſſabit capita in terra multorū*, quod fit cum de ſuperbis humiles facit, utilius eſt autem capite quaſſato hic humiliter ambulare, quam capite erecto in judicium mortis ęternę incidere, multa ergo capita conquaſſat Chriſtus in hac præſenti vita ruinas faciendo,ſed ędificabit eas implendo: ad hoc enim ipſe primus rui-

Marginal notes: Act. 9. — Match. 25 — Pſal. 27.

ruinam mortis pertulit,& deinde reſurrexit, ut in nobis ruinam peccati deſtrueret, & erectos ſecum ad vitam ſuſcitaret. Ait ergo, *judicabit*, id eſt, diſcutiet occulto judicio in præſenti *in nationibus*, id eſt, in gentibus, redarguendo peccata earum gentium, hoc eſt, judiciũ faciet, & puniet gentes propter earum peccata, ut humilientur ad converſionẽ, & ſi quæ earũ ad eum converti voluerint, *implebit* (omnibus bonis) ædificando *ruinas*, id eſt, humiles cadentes ab altitudine qua contra Chriſtum ſe erexerant, caſus, & defectus ſuos intelligentes, quia de eorum cordibus humanis faciet peccata corruere, & noxia delicta emendatione ſaluberrima diſperire: nam & mala ipſe ab eis removebit & id quod eis deerat ſua pietate ſupplebit, & ſic *conquaſſabit*, id eſt, humiliabit *capita*, id eſt, corda quæ contra Deum eriguntur peccando, *in terra*, id

Hugo Lud.

eſt, in iſta præſenti vita, *multorum*, & non omnium, ſed illorum qui convertuntur in quibus *ruinas* facit, & quorum ædificat *ruinas* implendo, quia de ipſis ſuperbis humiles facit: Qui autem non convertuntur, & diabolum ſequuntur erroribus diverſis cum fuerint correcti; capite ſuo ſine dubitatione quaſſantur; capita namque, id eſt, altitudines & ſuperbias talium in hac vita ſuperbientium, *conquaſſabit*, Caſſiod. id eſt, annihilabit ac faciet ipſos decidere de malo vitio in pejus, & hoc *in terra* in hac pręſenti vita, ubi ſuo juſto judicio excæcat malos: vel de futuro Chriſti judicio hæc litera intelligitur. *Iudicabit*, id eſt, in forma humana apparebit in judicio finali, & unicuique ſecundum ſua merita reddet, *in nationibus*, id eſt, in populis & gentibus univerſis, quia ipſe cum Apoſtolis aſſeſſoribus ſuis judicabit & damnabit univerſas nationes illas infi-

Digitized by Google

infideles in *judicio* generali: nam dicitur *judicabunt ſancti nationes*, & de bonis ſalvandis *implebit ruinas*, ſcilicet, angelorum, atque illuc homines aſcendere faciet unde angeli ruendo deſcenderant. *Conquaſſabit*, id eſt, graviter damnabit *capita*, id eſt, ſuperbos prælatos & tyrannos hujus mundi, qui fuerunt principes & capitanei *multorum in terra* hujus ſæculi quæ abundanter nutrit peccatores *judiciũ enim duriſſimum fiet his qui præſunt* & *potentes potenter tormenta patientur.*

Sa-pi-ent. 3. Ny-col. Li-ran. Lu-dol. Sap. 6.

Vnde autem tanta poteſtas judicandi Chriſto homini conceſſa eſt? *de torrente in via bibet, propterea exaltabit caput.* Quis eſt torrens? profluxio mortalitatis humanæ; ſicut enim torrens pluvialibus aquis colligitur, redundat, perſtrepit, currit, & currendo curſum finit, ſic & omnis iſte curſus mortalitatis: naſcuntur homines, vivunt, moriuntur, & alijs morientibus alij naſcuntur, ſuccedunt, accedunt, decedunt, nec manebunt: quomodo enim fluvius repentè collectus de pluvia, de guttis imbrium, it in mare nec apparet: quia nec apparebat antequã de pluvia colligeretur, ſic hoc genus humanum de occultis colligitur, & profluit in mortem, & rurſus in occultum pergit, medium hoc ſonat, & tranſit, quando ergo venit dominus in via ſæculi, & ambulavit in via ſæculi, *bibit & ipſe de torrente* qui erat in ſæculo, aſſumens enim carnem guſtavit mortem, in decurſu mortalitatis guſtavit amaritudinem paſſionis. Biberunt & de hoc torrente ſancti, ſicut alibi dicitur, *torrentem pertranſivit anima noſtra*, ſed conſolari nos debet quod torrens tranſit, quia videlicet tribulatio ſi ad præſens eſt, non ſemper erit, & quia *bibit dominus de torrente in via; propterea exaltabit caput*, Pſal. 123.

Verſus 7 Magal.

Digitized by Google

id eſt, ſe ipſum qui eſt caput omnium noſtrum, & non dicitur ab alio exaltatus, quia qui ſe ipſum humiliaverat ipſe ſe exaltavit, dicit enim in Euangelio: *poteſtatem habeo ponendi animam meam & iterum ſumendi eam*. Poſſumus etiã dicere quia & pater exaltavit eũ: nam quod filius facit & pater facit, & quia Chriſtus *factus eſt obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis; propterea exaltavit illum* Deus à mortuis, & *donavit ei nomen, quod eſt ſuper omne nomen, ut in nomine Ieſu omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia dominus Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei patris*. Aliter, *de torrente in via bibet*, in humano quippe genere ab ipſo mundi exordio torrens mortis effluxerat, ſed *de* hoc *torrente* dominus *in via bibet* quia mortem in tranſitu guſtavit, atque ideo *exaltabit caput*, quia hoc quod moriendo in ſepulchro poſuit, reſurgendo ſuper angelos elevavit, & inde antiquum hoſtem perculit, unde ſevire contra ſe manus perſequentium temporaliter permiſit; ait ergo *de torrente*, id eſt de hujus vitæ miſerijs & fluxu, ac pænis noſtræ mortalitatis, nec non impetu tribulationis, *in via* hujus ſæculi *bibet*, non enim dedignatus eſt Dominus noſter Ieſus de torrente bibere, bibere autem de hoc torrente illi erat, naſci & mori, hoc habet torrens iſte nativitatem ſcilicet & mortem, *de torrente* igitur, id eſt, de innumerabilibus amaritudinibus, preſſuris, doloribus, & pęnis *in via* hujus ſęculi pręſentis, pręcipuè tamẽ *in via* id eſt tempore militiæ ſuæ & paſſionis, quando nos à dæmoniaca ſervitute liberavit, *bibit*, id eſt, ex toto repletus fuit, ut meritò dicere poſſit *ô vos qui tranſitis per viam, attendite & videte ſi eſt dolor ſicut dolor meus*. Has enim tribulationes omnes, libenter ſuſtinuit etiam

Ioan. 10. Philip. 2. Ludol. Aug. Thr. 3.

Digitized by Google

etiam mortem pro redemptione generis humani, & quia ſic humiliatus & tribulatus eſt uſque ad mortem, *propterea exaltabit caput*, id eſt, ſe ipſum qui eſt caput omnium noſtrum, tamquam victor, judex & dominus poteſtativè alios judicando, & omnibus dominando, nam hoc quod moriendo in ſepulchro poſuit, tamquam victor, judex & dominus omnium, ſuper omnes choros angelorum poteſtativè elevavit, ſicque propria virtute antiquum hoſtem in æternũ perculit, unde ſevire contra ſe manus perſequentium temporaliter permiſit. Deus ergo ęternus atque incommutabilis in ſua natura permanens, dignatus eſt aſſumere humanam naturam, ut veterem hominem innovaret, ut de peccatore juſtum, de mortali faceret immortalem, de alieno regni ſui juberet eſſe principem, ne imaginem ſuam in confitentibus pateretur perire, quam annihilare voluit inimicus crudelis. Nos igitur chariſſimi de vitæ hujus torrente exemplo ſalvatoris noſtri bibentes, illuc eum ſequamur corde ubi eum corpore credimus aſcendiſſe: deſideria terrena fugiamus nihil nos jam delectet in infimis, qui patrem habemus in cælis, ſed hoc nobis magnopere eſt perpendẽdum, quia is qui placidus aſcendit, terribilis redibit, & quod nobis cum manſuetudine præcepit, hoc à nobis cum diſtrictione exiget, nemo ergo indulta pœnitentiæ tempora parvipendat, nemo curam ſuam dum valet agere negligat, quia redemptor noſter tanto tunc in judicium diſtrictior veniet, quanto à nobis ante judicium patientiam magnã prærogavit. Studeamus ergo vitam noſtram corrigere & quæ ignoranter humana fragilitate peccavimus, cum omni diligentia emendare non differamus, quatenus cum nos ab hac

Gregorio homil. 29. in Evang.

hac vita vocaverit, nos paratos inveniat, quos ſecum in dextra ſua feliciter collocandos ducere dignetur dominus Ieſus Chriſtus, cui cum Patre & Spiritu ſancto eſt honor & gloria in ſæcula ſæculorum, Amen.

PSALMVS CX.

Pſalmus de operibus Dei magnis & mirabilibus, & ſingulariter de operibus Dei mirabilibus in ſacramento altaris.

Verſus 1 C*Onſitebor tibi domine in toto corde meo, in conſilio juſtorum & congregatione.*

Aug. Non ſemper confeſſio peccatorum eſt, ſed & laus Dei devotione confeſſionis exprimitur, illa ergo luget, hæc gaudet, illa medico vulnus oſtendit, hæc de ſanitate gratias agit, illa enim in lachrymis, iſta

Caſſiod. in gaudio eſt, illa in afflictione, iſta in ſanctæ mentis alacritate noſcitur conſtituta. Vnde hìc profusâ lætitiâ exultat populus fidelis quandam imaginem futuri ſæculi deſignans; voces iſtę continuæ ſunt, & laudes domini devota mente concelebrat. Nam ut ſinceritatem ſuæ intentionis oſtendat, laudaturum ſe dicit eum toto cordis affectu, ut nihil cogitatio adverſa ſurripiat, nec ſplendidam lucidamq; mentem diabolica videantur fuſcare pręſtigia; ſequitur, *in conſilio juſtorum & congregatione*, ſi conſilium juſtorum & congregationem hìc velis exquirere, omnino videtur eſſe difficile ut in hoc ſęculo electos omnes invenias, ubi eccleſia permixtione bonorum malorumque completa eſt, ſed qui hìc toto corde confitentur, jam in illa juſtorum congregatione

Digitized by Google

gatione pſallere videntur, quã de cunctis gentibus in futurum manifeſtum eſt Dominũ congregare: Ait ergo, *confitebor tibi*, & laudabo te *Domine* confeſſione laudis & gratiarum actionis, non labijs ſolum, ſed, *in toto corde meo*, in intellectu, ac toto mentis affectu, & intentione, ita ut nulla pars cordis mei vacabit terrenis, ſed cor meum totum tuis laudibus erit occupatum, non enim ero labijs prope & corde longè, ſicut de aliquibus Dominus conqueritur di-
Iſaie 29. cens, *populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè eſt à me:* quid enim valet ſtrepitus
Aug. labiorum, ubi cor eſt mu-
Hugo. tum? Hæc autem laudatio non tantum debet eſſe devota, ſed & diſcreta. Vnde dicitur *in conſilio*, id eſt non temerè, ſed ex ratione & diſcretione, non pro terrenis principaliter, ſed pro æternis conſequendis, ſicut faciunt omnes juſti. Locum igitur hujus laudationis declarat dicens, *& congregatione, juſtorum*, ſcilicet fidelium, ut cæteri meo informentur exemplo (non in conventiculis hæreticorum, & infideli- Ludol.
um, aut malorum Chriſtianorum) inde enim confitebor tibi & te laudabo, quia.

Magna opera Domini exquiſi- Verſus 2 Magal.
ta in omnes voluntates ejus, per quas nullum confitentem deſerat miſericordia, nullius ſit iniquitas impunita, quando etiam *flagellat omnem filium quẽ* Heb. 12.
recipit, ſed *ſi juſtus vix ſalvabi-* 1. Pet. 4.
tur, peccator & impius ubi parebunt? eligat ſibi homo quod libet, non ſic conſtituta ſunt opera Domini, ut creatura in libero arbitrio conſtituta, creatoris ſuperet voluntatem, etiamſi contra ejus faciat voluntatem: non vult Deus ut pecces, nam prohibet, tamen ſi peccaveris, non putes hominem feciſſe quod voluit homo, & ideo accidiſſe quod noluit Deus, ſicut enim vult Deus ut homo non peccet,

Digitized by Google

ita vult peccanti parcere ut revertatur & vivat, ac vult poſtremò perſeverantẽ in peccato punire, ut juſtitiæ potentiam contumax non evadat. Itaque quidquid elegeris, omnipotenti non deerit unde ſuam de te compleat

Aug. voluntatem, *magna enim opera Domini, exquiſita in omnes voluntates ejus*, quid magnificentius, quam juſtificare impium? ſed opus fortaſsè hominis prævenit iſtam magnificentiam Dei, ut cum fuerit peccata confeſſus juſtificari mereatur? deſcendit enim de templo juſtificatus Publicanus magis

Luc. 18. quam ille Phariſęus, quia *nec oculos audebat ad cœlum levare, ſed percutiebat pectus ſuum dicens, Deus propitius eſto mihi peccatori*, hæc eſt magnificentia Domini, juſtificatio peccatoris,

Luc. 18. quoniam *qui ſe exaltat humiliabitur, & qui ſe humiliat, exaltabitur*. Hæc eſt magnificentia Domini, quoniam cui plurimum dimittitur, plurimum diligit, & *ubi abundavit delictum, ſuperabundavit & gratia*: Romа. 5.

Ludol. ait ergo, *magna ſunt opera Domini* & mirificè facta, atque tam magna, quod non poſſint à nobis ad plenum inveſtigari, ſunt quidem opera creationis, recreationis, gubernationis, conſervationis, & retributionis *exquiſita*, id eſt ſingulariter exacta, atque exquiſitè & laudabiliter facta, cui nihil ſimile poteſt reperiri: *in omnes voluntates ejus*, quia Caſſiod.

quæcumque voluit, & quomodocumque voluit benè, eximiè, ac ſapienter fecit, permittit enim aliquando diabolum ſævire, ut ex illius iniquitate ſibi debeat fideliſſimos invenire, ut in illis ubi *abundavit peccatum*, in his & major *ſuperabundet & gratia*: magna igitur ſunt opera Domini, quãvis peccatoribus & iniquis videntur parva & quaſi nulla, illis tamen videntur magna, à quibus ſunt *exquiſita*, eundo in *omnes voluntates ejus* ſcilicet Dei,

Digitized by Google

Dei, illis enim apparent magna, qui attendunt in unoquoque opere quid nolit aut velit Deus, qui dum vult uni dat proſpera, alteri verò dat adverſa, ſi quis autem quęrat rationẽ operum Domini Dei, inveniet quod omnia dependeãt ex ejus voluntate & gratia, ita quod nihil fiat præter ejus voluntatẽ, propter quod ex magnis operibus ſuis maximè eſt laudandus, ideo etiam dico opera Domini eſſe *magna*, quia.

Nicol.

Verſus 3 *Confeſſio & magnificentia opus ejus*, gloria & decor eſt opus ejus, quoniam & laudabilia ſunt & decora quæ facit. Diximus confeſſionẽ illam hìc accipiendam quæ verbis præconialibus explicatur; *juſtitia ejus manet in ſæculum ſæculi.* Hìc juſtitiam Domini, ſententiam futuri judicij poſſumus advertere, quæ omnino perpetua eſt. *Confeſſio & magnificentia opus ejus:* quid magnificentius quam juſtificare impium ut ſupra in præcedenti verſu, magnum Dei opus fuit quando Paulus & alij perſecutores eccleſiæ converſi & confeſſi ſunt fidem Chriſti, & magnificè operati ſunt miracula facientes, atque omnia adverſa patientes. Hæc *confeſſio & magnificentia* ſunt *opus ejus*, quia Chriſtus operatus eſt ea in illis, qui dixit Apoſtolis, *ſine me nihil poteſtis facere.* Quid ergo dicemus, quia *cui vult miſeretur*, & *quem vult indurat*, *numquid iniquitas eſt apud Deum? abſit*, *juſtitia ejus* quæ reddet unicuique ſecundum opera ſua, *manet in ſæculum ſęculi*, cum dixerit peccatoribus, *ite in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis ejus:* & iterum quando fideles advocaverit dicens, *venite benedicti patris mei percipite regnum, quod vobis paratum eſt ab initio mundi*; ſic in utraque parte juſtitia Domini perpetua & incommutabilis perſeverat. *Iuſtitia* itaque *ejus, manet in ſęculum ſęculi*, tũ

Hugo.

Ioan. 15. Aug. Hugo. Roma. 9. Caſſiod. Math. 25. Math. 25

Digitized by Google

autem homo de hoc ſæculo quis es qui reſpondeas Deo? in hoc à cæteris operibus diſtinguuntur opera Domini, quoniam hæc ſemper erunt,
Magal. alia verò igne conſummabuntur.
Ludol. Ait ergo, *confeſſio* peccatorum & magis bonorum operum, eſt *opus ejus*; & hęc eſt voluntas ejus, ut ex ſuis operibus inſit homini peccatorũ confeſſio, & vitæ emendatio, & etiam *magnificentia*, id eſt, juſtificatio peccatoris, quæ utique eſt *magnificentia Domini.* Non igitur glorietur in ſe homo, quia omnia ſunt à Deo, qui
Ioan. 15. ait, *ſine me nihil poteſtis facere*; *&* *juſtitia ejus*, id eſt merces & retributio juſtitiæ quæ juſtè datur, aut in præmium aut in ſupplicium unicuique ſecundum opera ſua, *manet in ſęculum ſęculi*, id eſt, in æternũ, quia numquam eorum ſententia mutabitur; bonos namque hic juſtificat, & poſtmodum in æternum remunerat; malos autem hìc excęcat, & poſtmodum in æternum damnat; vel, *confeſſio & magnificentia opus ejus*, id eſt, opus Dei eſt materia & occaſio confitendi Domino in laude, & magnificandi eum; *& juſtitia ejus*, quæ eſt in omnibus operibus ejus, quia omnia juſtè facit, *manet in ſæculum ſæculi*, id eſt, immutabiliter, in æternum.

Præter hæc prædicta, adhuc habeo materiam laudandi Deum, quia, *memoriam fecit* vers. 4.
mirabilium ſuorum miſericors & Magal.
miſerator Dominus, ſemper Dominus facit mirabilia, ſed pręter conſueta quę facit, quædam inconſueta & inuſitata elegit ut faceret, & hoc ex miſericordia ſua, ut per ea corda populorum ad fidem excitaret; hinc eſt quod veniens in carnem infirmos curavit, leproſos mundavit, mortuos ſuſcitavit, panes multiplicavit, & alia multa, unde mirarentur homines, fecit; quorum mirabilium fuit mirabilius, quod ipſe inviſibilis Deus, viſibilis

Digitized by Google

ſibilis in carne apparuit, ani-
mas ab infirmitate peccati ſa-
navit, à morte æterna ſuſcita-
vit, dignas inferno, ad cœlum
levavit. Horum *mirabilium me-
moriam fecit*, quia illa mirabili-
ter ſacræ ſcripturæ commen-
Roma. davit, (*quæcumque enim ſcripta*
15. *ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta*
ſunt), ad quid auté profuerunt
miracula, niſi ut timeretur? quid
porro prodeſſet timor, niſi *mi-*
Verſ. 5. *ſericors & miſerator Dominus, eſ-*
cam daret timentibus ſe? eſcam
quę non corrumpitur, panem
qui de cœlo deſcendit, quem
nullis meritis dedit: etenim
Roma. *Chriſtus pro impijs mortuus eſt*:
5. nemo ergo talem eſcam da-
ret, niſi *miſericors & miſerator*
Dominus: quod ſi tantum de-
dit huic vitę, ſi verbum carnem
factum peccator juſtificandus
accepit, quid in futuro ſęculo
juſtificatus accipiet? ait ergò;
Ludol. *memoriam fecit* relinquendo
memoriale, *mirabilium ſuorum*
ab eo factorum, quia quod
mirabiliter egit, ſacrę ſcriptu-
rę commendavit, *Dominus*, in
carne apparens, *miſericors* na-
tura, *& miſerator* exhibitione,
& ſic, *eſcam* ſacræ ſcripturæ, *de-*
dit timentibus ſe non contem-
nentibus; vel; *memoriam fecit*
mirabilium ſuorum, tradendo Ludol.
diſcipulis ſuis corpus ſuum in Nicol.
ſacramento Euchariſtiæ, per
quod ad memoriam reducun-
tur mirabilia Dei quæ fecit fi-
lijs Iſraël in donatione man-
næ, ideo ſubditur, *eſcam*, ſpiri-
tualem ſcilicet refectionem
corporis & ſanguinis ſui, *dedit*
nullis meritis, ſed ſola ſua mi-
ſericordia & gratia, nòn om-
nibus valentem ad vitam, ſed,
timentibus ſe & non offenden-
tibus: Sciendum eſt autem
quod conditio Euchariſtiæ re-
ſpectu vitæ pręſentis, eſt nu-
tritio ſpiritualis, quæ fuit figu-
rata in veteri Teſtamento per
manna, quo nutrivit Deus fi-
lios Iſraël in deſerto, cibus au-
tem ille erat valdè ſapidus &
nutritivus bonis, ſicut ſcribi-
tur, *panem* paratum *de cœlis præ-* Sap. 10.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

ſtitiſti eis, ſine labore, *omne de*
lectamentum in ſe habentem : ma-
lis autem erat inſipidus, & ab-
Numer. 21. ominabilis, unde dicebant, *a-*
nima noſtra nauſeat ſuper cibo iſto
leviſſimo, ſic Euchariſtię cibus
ſapidus eſt guſtui ſpirituali, &
nutritivus in gratia ipſis bo-
nis, propter quod dicit ipſe
Ioan. 6 Salvator in Euangelio, *ſi quis*
manducaverit ex hoc pane, vivet
in æternum : malis autem eſt
valdè nocivus, ſecundũ quod
1. Corint. 11. dicitur, *qui manducat & bibit in-*
dignè, judicium ſibi manducat &
bibit, & hanc eſcam dando:

Memor erit in ſæculum Teſta-
Ma-gal. *menti ſui*. Non enim totum de-
dit qui pignus dedit, in Teſta-
mento novo præcepit nobis
Deus facere juſtitiam, & pro-
mittit vitam æternam: æter-
na autem vita hæreditas eſt
novi Teſtamenti, quod ſi me-
mores ſimus ut faciamus quod
ipſe præcepit, *memor etit in ſæ-*
culum Teſtamenti ſui, ut impleat
Verſ. 6. quod promiſit: *virtutem ope-*
rum ſuorum, annuntiabit populo
ſuo: Quis eſt iſte populus ſuus?
niſi adoptivus populus gra-
tię, populus ille de quo dicit
Petrus, *gens ſancta, populus ac-*
quiſitionis? huic *populo annunti-* 1. Pet. 2.
abit virtutem operum ſuorum di-
cens, *niſi abundaverit juſtitia ve-* Math. 5.
ſtra plus quam Scribarum & Pha-
riſeorum, non intrabitis in regnum
cœlorum, illi veteri populo mi-
nora pręcepta Dominus pro
capacitate eorum primitus an-
nuntiavit, quibus terrena be-
neficia promiſit, demùm ap-
parens in carne, ſpirituali po-
pulo altiora juſſa dedit, per-
fectionem juſtitię oſtendit,
quibus vitam ęternam pro-
miſit: ait ergò *memor erit in ſę-*
culum, id eſt in ęternum *Teſta-*
menti ſui, id eſt promiſſionis ſuę
Abrahæ factæ, complendę &
manſuræ, & ſi memores ſu-
mus juſtitiæ quam ipſe præ-
cepit, *memor erit in ſęculum Te-*
ſtamenti ſui, dando nobis vi- Ludol.
tam æternam quam promiſit,
& *virtutem* id eſt, virtuoſa o-
pera, *annuntiabit populo ſuo* ad-
optivo,

Digitized by Google

optivo, ſcilicet, filijs gratiæ: Nicol. vel aliter continuando ſenſum in præcedenti verſu conſcriptum de efficacia Euchariſtiæ reſpectu vitę futurę, quę habet efficaciam introducendi ad vitam beatam, ſi devotè ſumatur, & propter hoc nominatur viaticum: quantum ad hoc, dicitur: *memor erit in ſęculum Teſtamenti ſui*, hoc eſt, hujus ſacramenti, quod dicitur novum Teſtamentum, cũ 1. Cor. 11. dicitur, *Hic calix novum Teſtamentum eſt in meo ſanguine: virtutem operum ſuorum* id eſt efficaciã hujus ſacramenti à Deo nobis collati, *annuntiabit populo ſuo*, quia Chriſtus per ſe ipſum annuntiavit Apoſtolis, & Apoſtoli eccleſiæ primitivæ, & ſic conſequenter quotidiè annuntiatur in eccleſia ſancta, ſequitur:

vers. 7. Magal. *Ut det illis hæreditatem gentium*, hæreditas Iudæorum fuit terra promiſſionis, hæreditas gentium eſt patria cœleſtis. Illis tamquam carnalibus promiſit terrenam hæreditatem, iſtis tamquam perfectioribus promiſit patriam cœleſtem, itum eſt ad gentes, & pręceptum *divitibus hujus ſæculi non* 1. ad Timot. 6. *ſuperbè ſapere, neque ſperare in incerto divitiarum, ſed in Deo vivo*, cui facilè eſt quod omnibus difficile eſt: ſic *multi vocati* Matt. 22. *ſunt*, ſic occupata eſt hęreditas gentium, ſic factum eſt ut plurimi ſequerentur eum, & vitam ipſam pro nominis ejus confeſſione contemnerẽt, & tamquam cameli humiliantes ſe ad portanda onera preſſurarum, *intrarent ſicut per* Math. 19. *foramen acus* per compungentes paſſionum anguſtias, ipſe fecit hęc, cui omnia poſſibilia ſunt:

Opera manuum ejus veritas & judicium, per opera manuum ejus, intelligenda ſunt illa opera quę per ſemetipſum operatus eſt Chriſtus, ea enim quæ annuntiavit, etiam operando implevit, ſicut ſcriptum eſt, quia *cepit Chriſtus fa-* Act. 1. *cere*

Digitized by Google

quia liberat, ibi quia coronat.
Caſſiod. Populus ergò fidelis in hoc pſalmo à diabolica pravitate liberatus, gratias agens Deo, ſententiam religioſæ mentis expreſſit. Laudatio namque Domini nullo clauditur termino, quia nec finem habet, vel habere poteſt ejus beneficium; hìc laudatur quia peccatores liberat, ibi prædicatur quia devotos coruat.

PSALMUS CXI.

De bono, & remuneratione juſtorum, & retributione malorum.

verſ. 1. Magal. **B**Eatus vir qui timet Dominum, aliter inimicum, aliter Dominum timere debemus, qui autem Dominum, ipſum ſequitur & veneratur, ejuſque mandata complere deſiderat, unde ſcriptum
Eccl. 13 eſt, *qui timet Deum faciet bona:* rectè ergo ſequitur *in mandatis ejus volet nimis,* non dicit faciet, ſed volet, prius enim requirit Dominus voluntatem quam actionem; hinc per Sa-
Prover. 23. pientem, *Fili da mihi cor tuum;* multi namque ex timore faci-
Ludol. unt, & mercedem non ha-
Magal. bent, neque enim Deo acceptabile eſt opus quod voluntas non exhibet: benè autem additur, *nimis*, quia in omni actione ſuperare debet poſſibilitatem voluntas, ut facias quod potes, & quod non potes facere, impleas voluntate, quia ſi non adſit facultas faciendi mandata, tunc ſufficit bona voluntas, penſat enim Deus & coronat non tam factum operis, quam affectum cordis; ait ergò,

Beatus vir, in ſpe nunc in Ludol. preſenti, qui non de via hujus mundi querit beatitudinem, ſed qui caſto amore & filiali timore,

Digitized by Google

timore, *timet*, non mundum cujus timor miſeros facit, ſed *Dominum*, cujus timor ea petere facit, per quæ fit homo beatus: Talis namque ſe Deo & ejus mandatis humiliat, & ideo, *in mandatis ejus* implendis, *volet*, id eſt, cupit, & affe-
Nicol. ctum habebit, *nimis*, id eſt, valdè & multùm, quia voluntatem habebit implendi præcepta ejus: iſtud *nimis*, non importat vitium, ſed deſiderium intenſum ad implendum Domini præceptum, & potiſſimum in operibus miſericor-
Caſſiod. diæ. Conſequenter Propheta beati viri timentis Deum, & præcepta ejus adimplere deſiderantis, præmia deſcribit dicens.

Verſus 2. Aug. *Potens in terra erit ſemen ejus*, ſemen futuræ meſſis eſſe opera miſericordiæ, Apoſtolus teſtatur, dicens:
Gal. 6. *bonum autem facientes, non deficiamus; tempore enim ſuo metemus, non*
1. Corint. 9. *deficientes*; & iterum; *qui parcè ſeminat, parcè & metet*: quid autem potentius quam ut regnum cœlorum non ſolum Zacheus emat dimidio bonorũ ſuorum, ſed & *vidua duobus minutis*, & tantumdem ibi uterque poſſideat? quid potentius, quam ut re minima, etiam ut re magna? ita ut idem regnum theſauris diviti, & calice aquę frigidæ pauperi valeat? Opera autem ſemini merito comparantur, quia ſicut ex ſemine multiplicem fructum ſperamus; ſic & hìc opera noſtra ſeminamus, ut multiplicem ex eis fructum in cœleſtibus colligamus: potens ergò erit æternam vitam præſtare, ac hominem beatum facere valebit; quod nullus de potentibus mundi facere poterit, quia, *generatio rectorum*, id eſt, opera eorum quibus bonus eſt Iſraël Deus, quia recto ſunt corde, & qui non operantur ex vana gloria, volentes hominibus placere, benedicentur æterna retributione; ait ergò:

Luc. 19. Mar. 12. Mar. 9. Ludol.

Potens

more enim Domini agitur, ut vitia declinentur; cùm verò ceperis vitia declinare, incipies ad virtutes proficere; cùm ceperis habere timorem, nutries in te charitatem, ad quã poſtquam veneris, jam timorem non habebis, *charitas enim foras mittit timorem*, habendo charitatem, deguſtabis ipſam ſapientiam, *Deus enim charitas eſt*, ipſe eſt & vera ſapientia. Ait ergò *ſanctum*, id eſt, dulce & bonum quantum in ſe formaliter & effectivè, bonis ſcilicet & obedientibus, *& terribile*, malis & inobedientibus reſpectu futuri judicij, *eſt nomen ejus*, non id quod profertur, ſed quod creditur, & credentes ſalvos facit & ſanctos: Dominus autem eſt nomen illi, qui *Iudex eſt mortuorum & vivorum*; unde dicitur, *dedit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen*; *ſanctum* eſt ergò *nomen ejus*, ut ametur, *terribile*, ut timeatur, ametur quia advocatus noſter eſt, & ęterna promittit ne deſperes; timeatur etiam, quia judex eſt, ne ſis negligens: Et quia per timorem Dei declinat homo à malo, ideo ſubditur,

1. Ioã. 4. — 1. Ioã. 4. — Aug. — Phil. 2.

Initium ſapientię & bonę vitæ, *timor Domini*, avertens & recedens à malo, atque accedens ad bonum ſibi oppoſitum; timor enim Domini eſt janua converſionis & via ad ſapientiam. Eſt autem quadruplex timor, ſcilicet mundanus, iſte eligit peccare ne ledatur in corporali vita; eſt & timor ſervilis, iſte timet peccare, ne puniatur tormentis gehennæ; eſt & timor filialis, iſte timet peccare, ne privetur Dei amore, & ejus incurrat offenſam; de quo dicitur, *timor Domini expellit peccatum*: & quia ſunt multi qui ſe putant eſſe ſapientes quia ſunt intelligentes, licet non habeant vitam bonam, & qui timorem Domini intelligit, ſtatim ad bona opera proficere debet: rectè ſubinfertur,

Hugo. — Eccl. 1.

Digitized by Google

Ma gal. *intellectus bonus*, quis hoc negat? ſed intelligere & non facere periculoſum eſt; ideo ſubjungit, *facientibus eum*, ſicut Iac. 4. Iacobus ait, *Scienti bonum & non facienti, peccatum eſt illi:* non igitur benè intelligit, qui quod intelligit, operari negligit; in- Eccl. 1. telligat ergò quoniam *initium ſapientię eſt timor Domini*, & ut *intellectus bonus* ſit, timeat Dominum ſicut intelligit, faciat opere quod novit intellectu; quod ſi fecerit *laudatio ejus* manebit in æternum; & hoc erit ejus præmium, hic finis, ſtatio hæc, ſedeſque perpetua; illìc inveniuntur *mandata fidelia confirmata in ſæculum ſęculi*; ipſa eſt hæreditas novi Teſtamenti, & mandatum ęternum, *beati* Pſal. 83. inquit *qui habitant in domo tua Domine, in ſęcula ſæculorum lau-* Ludol. *dabunt te.* Ait ergò, *intellectus* hujus timoris, ſive qui eſt in timore Domini, eſt *bonus* & utilis *facientibus eum*, id eſt ea complentibus quę exigit intellectus; illis ſcilicet, qui ſic intelligunt, ut faciant quod ſuadet timor iſte, & qui per timorem ad ſapientiam aſcendunt: Et quia omne bonum à Deo habetur, ideo talis laude eſt dignus; unde ſubditur, *Laudatio ejus manet in ſæculum ſæculi*, quia hìc laudabitur Hugo. & in futuro; vel ſic, qui fecerit opere quod novit & intelligit, *laudatio ejus* quâ Dominum laudabit gratias agendo, *manet in ſęculum ſæculi*, id eſt, in æternum, & hoc erit præmium ejus ſempiternum; hic finis, hæreditas novi Teſtamenti, ſcilicet, laudatio Dei; *beati inquit qui habitant in domo tua Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te*, quæ fruitio Pſal. 83. conſiſtit in tribus, ſcilicet in cognitione, exultatione, & laudatione; ergo per laudationem quę eſt pars fruitionis & quaſi ultima, totam videtur intelligere; à laude incipit, in laude finit; quod & hìc faciendum eſt devotis, & in cœlo peragendum eſt ſanctis, hìc quia

Digitized by Google

mentum ſuum, ſed quod, niſi
novum ? hujus hæres quiſ-
quis eſſe volueris, nolo te fal-
las, nec terram tradentem lac
& mel cogites, non amœna
prædia, non campos fructife-
ros & opacos, non tale aliquid
mediteris adipiſci, quale ſolet
hic oculus avaritię concupiſ-
1. Corint. 2 cere, ſed *quod oculus non vidit,*
nec auris audivit, nec in cor homi-
nis aſcendit. Diſtat autem inter
vetus Teſtamentum & novũ,
inter Legem & Euangelium,
quod in Lege littera eſt, in
Euangelio gratia, illa habuit
umbram, iſta imaginem, illa
data eſt propter tranſgreſſio-
nem, iſta propter juſtificatio-
nem, illa ignoranti demon-
ſtrat peccatum, iſta agnitum
adjuvat ut vitetur, illa flagitijs
deditos increpat, iſta peccan-
tes bonitate propria liberat,
illa alijs honorem reddendũ
decrevit, iſta etiam pro ini-
micis orare juſſit; illìc prædi-
catur circumciſio ſola carnis,
hìc lavacrum in ablutione cor-
dis & corporis, illìc regnum
ac promiſſiones rerum tem-
poralium continentur, hìc vi-
ta æterna regnumque cœlo-
rum promittitur, illìc Sabathi
otium & requies celebratur,
hìc Sabathi requies in Chri-
ſto habetur, illìc eſca animali-
um immundorum prohibe-
tur, hìc in corpore Chriſti, id
eſt, in ſanctis ſuis, non admit-
titur, quidquid per immunda
animalia in moribus homi-
num ſignificatur, illìc pecori-
bus immolatis, myſterium
carnis & ſanguinis Chriſti of-
fertur quod per illa animalia
figuratur, hìc ex carne agni
Paſcha celebratur; *Paſcha no-* 1. Corint. 5
ſtrum immolatus eſt Chriſtus qui
eſt verus agnus immaculatus,
illìc Neomeniæ, id eſt, novæ
lunę principia celebrantur,
hìc nova creatura in Chriſto
accipitur, ut Paulus ait: *ſi qua* 2. Corint. 5
in Chriſto nova creatura eſt, ve-
tera tranſierunt, ecce facta ſunt
omnia nova, quid plura ? in Le-
ge quippe res geſtæ per figu-

ram in ſignificatione futurorum annunciabantur, in gratia verò euangelicæ veritatis, quæ illic annuntiata fuerunt explentur; ait ergo.: *redemptionem*, ſcilicet, Salvatorem qui dat redemptionem, *miſit Dominus*, ſcilicet Pater, *populo ſuo*, id eſt, populum ſuum de captivitate & ſervitute diaboli liberavit; *mandavit*, id eſt, annuntiari fecit per totum mundum per ſuos prædicatores *in æternum Teſtamentum ſuum*, id eſt, ſanctum Euangelium, duraturum in æternum, quia æternos faciet juſtos; novum quippe, quia illi aliud non ſuccedit, æternum, quia æterna promittit.

Lu-dol.

Vel aliter continuando de ſacramento, *redemptionem miſit Dominus populo ſuo*, tunc enim Deus Pater miſit populo redemptionem, quando Chriſtus ex obedientia Patris venit ad ſuam paſſionem, per quam redemptum eſt genus humanum: *mandavit in æternum Teſtamentum ſuum*, quia tunc inſtituit Euchariſtiæ ſacramentum, quod vocatur *Teſtamentum*; unde dicit Chriſtus in ejus inſtitutione: *Hic eſt ſanguis meus novi Teſtamenti*, per hoc autem quod *in æternũ* dicitur, deſignatur quod huic ſacramento non ſuccedunt alia ſacramenta, ſicut ſacramentis veteris legis ſucceſſerunt ſacramenta novi Teſtamenti; iſti autem ſacramento ſuccedit vita beata, in qua eſt plena fruitio ipſius Chriſti contenti in hoc ſacramento, cujus divinitate beati reficiuntur interius, & humanitate exterius. Ideo autem mandatis ejus firmiter eſt obediendum, quia,

Ni-col. Mat. 26. Aug.

Sanctum & terribile nomen ejus; *ſanctum* ut ametur, *terribile*, ut timeatur, amor ad perfectos, timor ad inchöantes pertinet, unde ſequitur, *initium ſapientiæ timor Domini*, nam ut ad perfectam ſapientiam perveniatur, à timore incipitur, timore

Verſ. 10. Magal. Eccl. 1.

Digitized by Google

cramento: Oſtendit Propheta in hoc verſu quę ſit virtus ſacramenti annuntiata, cum ſubinfertur, *ut det illis hæreditatem gentium*, id eſt, vitam beatam ad quam introducit hoc
Hugo. ſacramentum, & dicitur vita beata hæreditas gentium, quia regnum (Iudæis reprobatis) datum eſt gentibus in hæ-
Mathæi 21. reditatem, juxta illud *auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus ejus: Opera manuum ejus*, id eſt poteſtatum ejus maximè in ſacramento, ſunt *veritas*, quia ibi continetur corpus Chriſti verum, *& judiciū*, ſcilicet vitæ, ſumētibus hoc ſacramentū devotè, & judiciū mortis perpetuę, ſumentibus indignè, id eſt, indebitè. Fac igitur ô fidelis anima veritaté & judicium, quia
verſ. 8. *Fidelia omnia mandata ejus*:
Magal. non fallit, exhibet quod promiſit, non tamen hìc exſpectandum eſt, non hìc ſperandum ut hìc habeatur, ſed, *confirmata in ſęculum ſæculi*, id eſt, in æternum, hìc præcipiuntur, ibi confirmantur, hìc labor operis, ibi merces retributionis, *facta in veritate & æquitate*, hoc enim verum & ęquum, ut hìc laboretur & ibi quieſcatur. Mandata Domini in veritate facis, ſi propter Deum facis, in ęquitate facis, ſi nihil in eis niſi veritatem æternam attendis: omnis quippe homo eo ipſo quod homo eſt, ſuum intelligere debet auctorem, cujus voluntati tantò magis ſervit, quanto in ſe quia de ſe ipſo nihil ſit, penſat. Ecce autem ad hoc conditi, Deum conſiderare neglеximus, adhibita ſunt præcepta, adhibita ſunt mandata, mandatis quippe obtemperare noluimus, adjunctum eſt exemplum, venit ipſe qui mādata dedit, oſtendit quod docuit, ut quia conditionis noſtrę ordinem ſervare noluimus, pręceptis admoneremur: & quia pręceptis obedire contempſimus, exemplo

Digitized by Google

Caſſiod. *Potens in terra*, ſcilicet, viventium, ubi non divitiæ humanæ, nec honores temporales faciunt potentes, ſed contemplatio Domini, & ſine fine laudatio; ibi enim *potens in terra erit ſemen ejus*, id eſt, opera miſericordię, & alia bona facta, quę ſunt ſemen meſſis futuræ, quia inde colligitur meſſis æterna; & in terra viventium eum facit potentem, hic autem in præſenti miſera vita quamdiu vivimus, ſemper impotentes videmur, quia ſemper ſumus in timore, timentes ne opera noſtra bona impediat diabolus perſuaſionibus ſuis malis & iniquis; ibi verò nullus timor, nulla nos tentatio poterit impedire; merces etiam operum noſtrorum ſupra meritum in æternum permanſura; & *generatio rectorum*, id eſt, ſequaces & imitatores juſtorum, *benedicetur*, id eſt, multiplicabitur, hic in gratia & virtutibus, & in futuro, benedictione ęterna, in gaudijs & delicijs perpetuis; & quia benedictio Domini divites facit, ideo ſequitur. Hugo.

Gloria & divitię in domo ejus: verſ. 3. domus ejus cor ejus, ubi ipſe cohabitante Domino opulentius habitat cum ſpe vitę ęternę, quã divites ſęculi in marmoratis laqueatiſq; tectis; cũ timore mortis æternæ; hujus enim *juſtitia manet in ſęculum ſęculi*, illius autem purpura & byſſus, & epulę ſplendidæ, cum præſto ſunt, tranſeunt; & cum ad finem venerint, guttam ſtillantis aquæ deſiderans ardens lingua, clamat: tantò ergò verior juſti gloria, quantò ſempiterna, tantò meliores ſunt ejus divitiæ, quantò ſemper manſurę: ait ergò; Magal.

Gloria, id eſt, teſtimonium bonæ conſcientię, unde Apoſtolus, *gloria noſtra hęc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtrę, & divitię*, ſanctæ ſapientię, ſcilicet charitatis aliarumque virtutum, quę veniunt de obſervatione mandatorum Dei; ſunt Hugo. 2. Cor. 1. Ludol.

Digitized by Google

in domo ejus, id eſt, in corde ſecreto, in qua domo ipſe quieſcit à ſęculari tumultu, cum
Caſſiod. gloria, de conſcientiæ puritate: beati enim domus, eſt mentis ſecretum, ubi divitias ſanctas, & gloriam perpetuam reponit, quiſquis Domini præcepta compleverit: ſed illa gloria non habet finē, illæ divitiæ non maligna ſurreptione de Domini mandatis veniunt; unde quidquid requiritur, per eum integritate ſervatur: deinde ſequitur, *& juſtitia ejus*, id eſt, merces & retributio quam pro ſua juſtitia recipiet à Deo, *manet in ſæculum ſæculi*, id eſt, in æternum, quia æterna erit; quaſi diceret; non temporabiliter erit beatus; ſed propter ſuę juſtitiæ meritum, æternaliter præmiabitur in cœlis: Iuſtitia quidem hominis dicitur, ſed
Caſſiod. quę Deo largiente præſtatur; nam cum ſit nomen generale, advertitur tamen propria, cum divina diſpenſatione ad unumquemque hominem res conceſſa pervenerit. Hæc autem inde ſunt, quia

Exortum eſt in tenebris lumen verſ. 4.
rectis corde; meritò dirigunt Magal.
cor ſuum in Deum, & ambulant recti cum Deo ſuo, præponentes ejus voluntatem ſibi, nec de ſua quidquam ſuperbè præſumentes; meminerunt enim ſe aliquando fuiſſe tenebras, nunc autem lucem in Domino, (Eph. 5.) & quid eſt, *lumen ortum in tenebris rectis corde?* ſequitur, & dicit: *miſericors, & miſerator, & juſtus*: delectat quia miſericors & miſerator, (Aug.) ſed terret fortaſsè, quod juſtus Dominus? nulla deſperatione formides beate vir qui times Dominum, qui enim eum confitentur, habent miſericordem, & qui illum (Caſſiod.) contemnunt, juſtum ſine dubio ſuſtinebunt: ait ergò,

Exortum eſt & illuxit, *in tenebris* infidelitatis hujus mundi ut eas pellat, *lumen* gratiæ, & ſol juſtitiæ, *rectis corde*, id eſt.

Digitized by Google

eſt juſtis, ut eos juſtos faciat, qui corda ſua per fidem & miſericordiam ad hoc direxerunt, ut eum poſſent imitari; tenebræ namque & ignorantia veri boni, in hoc mundo ante adventum Chriſti regnabant; & poſt ejus adventum, recti & boni in hoc ſęculo viventes inter peccatores tanquam in tenebris, ab ipſo lumine gratiæ ſuæ ſpiritualiter ſunt illuminati, per quam inhabitat fidelium mentes.

Niсol.

Iſte autem adventus Domini, hìc mirabili proprietate deſcribitur: venit enim lux quæ ſuperat omnem lucem, & ut gratior eſſet, adjecit, *in tenebris*; non iſtis quas ſolis facit abſentia, ſed quæ peccatorum præſentia tenebreſcunt; intus ſunt enim in corde iſtæ tenebrę, ubi ſol mundanus non poſſit accedere, quas illud lumen expellit, quod mortem vicit, & delicta contrivit: ſed cum dicitur *rectis corde*, perverſi ab iſto lumine ſeparantur; iſtud autem lumen eſt ipſe Deus, illuminans mentem, qui eſt *miſericors* in natura, & quantum ad habitum miſericordiæ, dum exſpectat, *& miſerator* exhibitione, & quantum ad actum miſerendi, dũ juſtificat; *& juſtus*, reddendo ſecundum opera, dum remunerat: Et quia ſemper juſtitia cum miſericordia concurrit in divinis operibus; *juſtus* eſt ut puniat peccata, atque *miſericors*, immunis ab omni delicto, ut nos emundet à peccato.

Caſſiod. Ludol. Nicol.

Hic etiam verſiculus de adventu incarnationis poteſt intelligi, quoniam Chriſtus Dominus qui eſt lumen de lumine, venit *rectis corde* qui *in tenebris* infidelitatis erant, id eſt, ad utilitatem eorum, qui corda ſua direxerunt ad Deum per fidem: & miſericordiam quam *miſericors* Deus habebat in natura, nobis *miſerator*, exhibuit in actu, quando pro nobis carnem ſumere voluit,

Hugo.

Digitized by Google

ut tenebras noſtras gratia ſuæ viſitationis illuſtraret, & addit, *juſtus*, quia ipſe Deus factus homo, pro homine ſatisfecit, ne diabolus conqueri poſſet, quod injuſtè aliter hominem liberaſſet, ipſe homo
Ludol. ei ablatus eſſet. Noli igitur homo deſperare ſi peccator ſis, noli diffidere de venia, accede ad eum pleno corde, quia *miſericors & miſerator eſt*, juſtificans impium de ſua pietate & gratia; ſi verò ſuperbus es, & confidis de miſericordia Dei, noli negligens eſſe, quia *juſtus* eſt, reddens unicuique ſecundum opera ſua; & ne tibi noceat juſtitia Dei, fac quod ſequitur; eſto *jucundus* in operibus miſericordię, quę tibi præcipit Deus; hilarem enim datorem ipſe diligit.

Verſ. 5. *Iucundus homo qui miſeretur*
Magal. *& commodat*; ita juſtus eſt Dominus Deus tuus, ut *judicium*
Iac. 2. *ſit illi ſine miſericordia, qui non fecerit miſericordiam*; miſerere ergò, & commoda, & obedi præceptis Domini dicentis,
dimittite & dimittetur vobis, date & dabitur vobis, in eo quod Luc. 6.
dimittis ut dimittatur, tibi miſereris; in eo quod das ut detur, tibi commodas; quamvis enim generali nomine miſericordia dicatur quâ miſero ſubvenitur, intereſt tamen ubi non impendis nec ſumptum pecunię, nec corporalis induſtriam laboris, ſed ignoſcendo quod in te quiſque peccavit, & tuorum comparas gratis veniam peccatorum.

Hæc duo benignitatis officia ignoſcendorum peccatorum, & erogandorum beneficiorum ſicut in Euangelio commemorantur, *dimitte & dimittetur vobis, date & dabitur* Luc. 6.
vobis, ſicut in iſto verſu diſtinguuntur; non pigri ad hoc eſſe debemus, gloriam quæris volens te vindicare, imo gloriā quære attendens quod legitur, glorioſior eſt qui vincit iram, quam qui capit civita-

civitatem; divitias quæris cum dare non vis; imo veras divitias quęre, da pauperi, & habebis theſaurum in cœlo: non ergò eris inglorius ignoſcendo, quia de ira victa laudabilius triumphatur, non eris egens tribuendo, quia theſaurus certius poſſidetur.

Qui hæc itaque facit, *diſponit ſermones ſuos in judicio*; per ſermones enim accipimus opera, quia ſicut ſermones alicujus Oratoris benè & ordinatè diſpoſiti, homines defendunt in foro judiciario; ſic opera juſti benè & rationabiliter ad laudem Dei facta, eum defendunt in judicio futuro; Magal. facta igitur ſive opera, ſermones ſunt quibus in judicio defendetur; non enim erit ſine miſericordia, quia ipſe fecit miſericordiam, *quia in æternum non commovebitur*, in æterna enim requie collocabitur, ſicut Luc. 12. ſcriptum eſt, *& faciet illos diſcumbere, & tranſiens miniſtrabit illis*, quid eſt faciet illos diſcumbere? niſi quod in cœleſti patria collocabit! ubi tranſiens de morte ad vitam, de corruptione ad incorruptionem, miniſtrabit, id eſt, donabit gloriam ſempiternam: ait ergò.

Iucundus, id eſt, hilaris, Deo Caſſiod. gratus, & hominibus acceptus ſit, *homo*, ille, *qui* cordiali affectione, *miſeretur* in corde ſcilicet & animo condonando alijs, & ignoſcendo offenſam, ſive peccatum, unde ſibi meritò veniam ab omnipotenti Deo meretur, *& commodat*, id eſt, pauperibus temporalia diſtribuit gratis, opere & facto alijs pecuniæ ſive laborum beneficia quæque erogando, pro eiſdem in futuro recepturus ęterna: unde dicitur, *fęneratur Domino qui miſeretur pauperi*; Prover. 19. quia licet à paupere cui dat, nihil recipit, tamen à Deo remunerationem exſpectat ęternam. Impigrè igi- Caſſiod. Hugo. tur debemus facere omne hoc quo poſſumus alteri profice-

 re,

re, videlicet ſubveniendo, dando, compatiendo, delictū condonando, aut ignorantem docendo:

Etiam qui miſericordiam Dei conſequi deſiderat, ipſe *diſponat*, id eſt, diſcretè dicat, *ſermones ſuos*; vel *diſponit ſermones ſuos*, id eſt, diſpoſitè & ordinatè pręparavit opera ſua bona, ſibi ad ſuam ſalutem valitura, quæ pro ipſo reſpon-
Hugo. debunt *in judicio* extremo, in quo de operibus miſericordię diſputationem tenebit ſu-
Mathæi 25. am, de qua dicitur, *eſurivi & dediſtis*, *&c.* Et meritò juſtus modo ſermones ſuos ſic diſ-
Verſ. 6. ponit, *quia* propter hæc, *in æternum non commovebitur*, id eſt, numquam à Deo ſive ab ejus gloria ſeparabitur, ſed cum electis Dei gloriam ejus æternaliter poſſidebit ad dextram locatus; quia,

Verſ. 7. *In memoria æterna erit juſtus*,
Caſſiod. in memoria utique ęterna erit juſtus, quia vocatur ad præmium; impijs verò dicitur, non novi vos: quapropter ſicut illi qui deputantur ad pænam, de mente perhibentur excidere; ita iſti propter beatitudinem percipiendam, in memoria Domini dicuntur permanere, ſemper enim juſtus Magal.
in præſentia Domini apparebit, ſemper beata illius viſione fruetur; & quoniam in hac peregrinatione fideliter credidit, in illa cœleſti patria feliciter & ſine fine videbit.

Ab auditione mala non timebit, Caſſiod.
illum auditum malum dicit, quem audituri ſunt impij, *ite in ignem ęternum*, & reliqua: Mat. 25.
malus enim illis videtur, qui juſta ſeveritate plectendi ſunt, quia fas dici non eſt, niſi juſtū Domini ſemper eſſe judicium: ad juſtum enim non per- Magal.
tinebit vox illa quam audituri ſunt reprobi in judicio; ſed potius vox illa beata quâ juſtis dicitur, *venite benedicti patris* Mat. 25.
mei poſſidete regnum.

Ait ergò, *in memoria æterna* coram Deo, *erit juſtus*, id eſt, Landol.

pius

Digitized by Google

pius & miſericors, quia vocatur ad præmium, & ſcriptus eſt in libro vitæ, juſtitia enim ejus coram Deo non tranſibit in oblivionẽ in futuro, quamvis in præſenti vita ab eo videatur derelictus, ſed manebit *in memoria*, ut ab eo remuneretur, & ſemper beata illius viſione fruatur: ideo *ab auditione mala*, quâ dicetur impijs *non novi vos*, quę fit immiſericordibus, quibus dicetur *ite maledicti in ignem æternum*, *non timebit*, quia ipſe eſt de miſericordibus quibus dicetur, *venite benedicti patris mei*, &c. Et quia hæc juſto erunt in futuro, ideo interim non ſua querit, ſed quæ ſunt Ieſu Chriſti; nam labores & adverſa patienter ſuſtinet, & promiſſa fideliter exſpectat, ergò ſubditur:

Caſſiod. Mat. 25. Ibidem

Paratum cor ejus ſperare in Domino, non dicitur ſimpliciter ſperare, ſed præponitur *paratum cor ejus*, fruſtra enim in Domino ſperat, qui prius conſcientiam ſuam non parat, ſpes quippe infructuoſa eſt, cujus non eſt munda conſcientia: debemus ergò prius cor noſtrum parare, ſi in Domino volumus utiliter ſperare, debemus perverſas cogitationes, illicita deſideria, pravas voluntates abjicere, & facere hoc quod Dominus per Prophetam ſuum præcipit dicens: *lavamini*, *mundi eſtote*, *auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis*, quod quia agere quiſque vir ſanctus non ceſſat; benè de eo dicitur, *paratum cor ejus ſperare in Domino*; *confirmatum eſt cor ejus*, ideo confirmatum, quia in amore Chriſti, & in cœleſtibus poſitum, hinc quidam vir juſtus ait, *noſtra converſatio in cœlis eſt*, ideo confirmatum, quia in amore Chriſti fixum: hinc idẽ vir ſanctus ait, *quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio, an anguſtia, an fames, an nuditas, an periculum, an perſecutio, an gladius?*

Magal. Iſaię 1. Verſ. 8. Phil. 3. Roman. 8.

Non commovebitur donec deſpiciat

ſpiciat inimicos ſuos, commoveretur quidem ſi corde in terra figeretur, ſed quia incommutabilia amat, ideo incommutabiliter perſeverat *donec deſpiciat inimicos ſuos*, donec tranſcendat omnes tentationes, & omnes inimicorum perſecutiones, quod tunc erit, quando in libertate gloriæ filiorum Dei apparebit: inimici ejus hìc videre bona voluerunt, &
Aug. cum eis inviſibilia promitterentur,
Pſal. 4. dicebant, *quis oſtendit nobis bona?* confirmetur ergò cor noſtrum, nec commoveatur, donec deſpiciamus inimicos noſtros, illi enim voluerunt videre bona Domini in terra morientium, nos credimus videre bona Domini, in terra viventium: Sed magnum eſt cor confirmatum habere, & non commoveri, cum illi gaudent, qui amant quod vident, & inſultant ei, qui quod non videt, ſperat, & non commovebitur, donec videat & ipſe, non deorſum quod inimici ejus, ſed ſurſum *quod oculus non vidit, nec auris* 1. Co-
audivit, nec in cor hominis aſcen- rint. 2.
dit: quanti valet hoc quod non videtur & emitur? tantum, quantum habere quiſque potuerit, ait ergò;

Paratum, promptum, ac di- Lucdol.
vina inſpiratione inſtructum, eſt *cor ejus*; cor autem hìc poſitum eſt, pro rectæ mentis Caſſiod.
affectu, quod ſine aliqua cunctatione novit promiſſa expetere: *paratum* igitur eſt *cor ejus ſperare in Domino*, non in mundo; ut ipſius promiſſa Domini percipiat cum illis, qui à dextris ejus erunt, illius namque *cor* eſt *paratum ſperare* Caſſiod.
in Domino, qui ſæculi illecebras ejus juvamine calcavit; *con-* Verſ. 8.
firmatum in ſpe eſt cor ejus, per gratiæ & veritatis habitum in cœleſtibus poſitum, ac ita in amore Chriſti fixum, ut nulla re hujus ſæculi aut fœlicitate emolleſcat, nec extollatur proſperis, nec frangatur adverſis, & ideo deſpectis terrenis,

Digitized by Google

nis, caducis, & vanis, *non com-*
Nicol. *movebitur*, à ſpe & ſtabilitate
Lyra virtutis, Deo ipſum conſer-
vante, donec exiſtens in terra
viventium, *deſpiciat inimicos ſu-*
os quoſcumque, viſibiles &
inviſibiles, quorum tranſcen-
dit perſecutiones & tentatio-
nes, qui tunc deſpiciuntur ab
homine, quando de eis ple-
num habet triumphum: Et
quod prædicta meretur ho-
mo, oſtendit dicens;

verſ. 6. *Diſperſit, dedit pauperibus:*
juſtitia ejus manet in ſæculum ſæ-
Caſſiod. *culi*, hęc ſententia ad illud prę-
ceptum dominicum pertinet,
Mat. 19. *Si vis perfectus eſſe, vade &*
vende omnia quæ habes, & da
pauperibus: ipſa eſt diſperſio
quæ fœliciter congregat, ipſa
erogatio, quæ cœlorum regna
mercatur; pro vili & parvo
prætio emitur regnum cœlo-
rum, pauca expendit & ero-
gat, & ęternam gloriam ſibi
acquirit & comparat, quam
1. Corint. 2. nullus *oculus umquam vidit,*
nec in cor hominis aſcendit, quan-
ti valet, quod non videtur &
emitur? tantum, quantum Aug.
hìc quiſque potuerit: propter
hoc,

Diſperſit, dedit pauperibus,
non videbat, & emebat, ſed
ille theſaurum ſervabat in cœ-
lo, qui eſurire, & ſitire, in pau-
peribus dignabatur in terra;
non igitur mirum eſt, *ſi juſti-*
tia ejus manet in ſęculum ſæculi,
cuſtode illo, qui condidit Caſſiod.
omnia; ab illo auctore æter- Magal.
na recipit dona, qui condidit
ſæcula; *cornu ejus exaltabitur in*
gloria, cujus humilitas à ſuper-
bis contemnebatur in terra;
quid per cornu quod carnem
excedit, niſi fides quæ ad ſu-
periora tendit? habet autem
fides humilitatem, quia ſicut
Apoſtolus ait, *filij Dei ſumus, &* 1. Ioã. 3.
nondum apparuit quid erimus;
adhuc *gloria filiæ regis ab intus* Pſal. 44.
eſt, adhuc nos inimici noſtri
deſpiciunt, qui dum terrenam
gloriam appetunt, dum ſe in
gloria tranſitoria præferunt,
viles & abjectos propter glo-

F riam

riam ſempiternã contemnunt: Sed tunc *cornu* fidei noſtræ *exaltabitur in gloria*, cum id quod modo eſt fides, erit ſpecies, cum id quod modo credimus, manifeſtè videbimus: Scimus inquit Apoſtolus quia
Coloſ. 3 *cum Chriſtus apparuerit vita veſtra, tunc & vos apparebitis cum ipſo in gloria*: ſed quid de reprobis dicitur? vos autem
Pſal. 1. *impij non ſic, ſed tamquam pulvis, quem projicit ventus à facie terræ*: tunc quidem inimicos ſuos deſpicient ſancti, quando
Mat. 13. *ipſi fulgebunt ut ſol*, & projicientur ut pulvis inimici eorum; ait ergò:

Nicol. Lyra *Diſperſit* ob amorem Dei, bona temporalia, non autem uni dat omnia, ut divitem eum faciat, ſed multis, ut multorum ſuppleat inopiam: *dedit*, id eſt, gratis impendit, & liberaliter miniſtravit, non pro remuneratione temporali, ſed abſque ſpe retributionis terrenæ ſubſtantiæ, non hyſtrionibus, non adulatoribus, non divitibus, ſed *pauperibus* indigentibus, Chriſtum repreſentantibus: juxta id, *quod uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis*; Mat. 25.
juſtitia ejus, id eſt, retributio Ludol. juſtitiæ, atque merces, & fructus miſericordiæ ejus quam fecit, *manet in ſæculum ſeculi*, quia initium juſtitiæ ſuę comparat ei æternam mercedem, atque inde æternaliter præmiabitur: *cornu ejus*, id eſt, poteſtas, ſublimitas atq; potentia ejus, *exaltabitur in gloria* ęterna, cujus humilitas à ſuperbis contemnebatur in terra, qui enim hìc humilis fuerit, ibi poteſtatẽ habebit; nam quod hìc habuit in virtutibus, *exaltabitur in gloria*, quia propter virtutes illas, immortalitatem à Deo recipiet, & impaſſibilitatem.

Et nota, quod melius ſuperius dicitur juſtitia quam miſericordia ejus; juſtitiæ enim eſt dare pauperibus quod eis debetur, unde cum pauperibus tribuimus, non noſtra largimur, Gregor.

gimur,

Digitized by Google

gimur, ſed ſua eis reddimus: quęre quantum tibi Deus de-
Aug. derit, & ex eo tolle quod tibi ſufficit, cętera quæ ſuperflua ſunt, pauperũ ſunt, res alienæ poſſidentur, cum ſuperflua habentur: erogari ſibi vult Deus ex illo quod dedit, quid enim das, quod ille non dedit? quid habes quod non ac-
Ambroſ. cepiſti? eſurientium panis eſt, quem tu tenes, nudorum veſtimentum, quod tu recludis, captivorum redemptio & abſolutio, pecunia quam in terra defodis; non ſunt ergò ſuperflua retinenda divitibus, & un-
Ludol. de vivant habentibus, ſed pauperibus eroganda: alioquin & retinens, & tam erogans quam recipiens, timeat ſibi de rapina: Dico juſtus exaltabitur, & hoc,

Verſ. 10. *Peccator videbit & iraſcetur,*
Magal. ſed ſera illa atque infructuoſa pœnitentia, nam cui peccator magis iraſcetur quam ſibi; cũ
Sap. 5. dicet, *quid nobis profuit ſuperbia, & divitiarum jactantia quid contulit nobis?* videns cornu juſti exaltari in gloria, qui, *diſperſit, dedit pauperibus*, ipſe *dentibus ſuis fremet & tabeſcet*, quia illìc erit fletus & ſtridor dentium, non enim reviviſcet, & fremet ſicut fieret, ſi oportuno eum tempore pœniteret, ſed tunc pœnitebit, cum *deſiderium peccatorum peribit*, nullo ſuccedente ſolatio: peribit deſiderium peccatorum, cum tranſibunt omnia tamquam umbra, cum fœno areſcente, flos decidet; *verbum autem Domini, manet in æternum*, ſicut falſorum beatorum bonitati deriſum eſt, ſic eorundem miſerorum verorum perditioni ſubridebit; ait ergo,

Peccator ille qui prius in hoc ſæculo iram exercuit, *videbit*, ad ſuam pœnam, gloriam quam habebunt ſancti in futuro, ac illos exaltari & ſe confundi; *& iraſcetur* ſibi, eo Hieron.
quod non fecerit hìc bona, ſed ſera erit & infructuoſa illius pœnitentia, *dentibus ſuis fremet,*

fremet, id eſt, maximè ſæviet per pœnam exteriorem in inferno, ubi erit fletus & ſtridor dentium, ſicut ille qui dentibus ſuis mordet, & ſe proprio dolore caſtigat, *& tabeſcet*, id eſt, deficiet in fetoribus inferni, ubi peccatores torquebuntur, & hoc ideo, quia non poterit reviviſcere per pœnitentiam: marceſcit etiam non ſolum de pœna ſibi inflicta, ſed etiam de juſtorum gloria; infideles enim in imo poſiti, ante diem judicij fideles ſuper ſe in requie attendent, quorum gaudia contemplari non poſſunt, de quibus dicitur, videbunt; (ſcilicet, gloriam juſtorum,) *& turbabuntur timore horribili*, *& mirabuntur in ſubitatione inſperatæ ſalutis*, *præ anguſtia ſpiritus gementes*, *dicentes intra ſe*, *pœnitentiam agentes*, *hi ſunt quos aliquando habuimus in deriſum & in ſimilitudinem improperij*, *&c.* videbunt enim ſe præſumpſiſſe de gloria caduca, de poteſtate fugitiva, alioſque beatitudinem accipere, quæ neſcit aliquando finem, *& iraſcētur* ira juſta, indignatione vera, ſed non proficua temporibus ultionis; poterant enim ibi non indignari, ſi hìc ſuis vitijs redderentur infenſi:

Caſſiod. Gregor. Sap. 5. Caſſiod.

Deſiderium peccatorum peribit: peccatores namque diu deſiderant permanere in temporali proſperitate, ſed iſta ſæculi fœlicitas deficit in morte, nam ſicut illìc vota beatorum in regno Domini plantata florebunt, ita deſideria peccatorũ in morte ſucciſa marceſcunt. Audientes igitur chariſſimi horribilia gehennæ tormenta peccatoribus præparata, omni diligentia ſtudeamus fugere à ventura ira judicis, atque operibus miſericordię, illa perpetuæ fœlicitatis gaudia (quæ juſtis parantur in cœlo,) mercari: nam quod unuſquiſque pauperibus ob amorem Dei largitur in terra, procul dubio multipliciter

Caſſiod.

Digitized by Google

citer recipiet in vita beata, nec ſe quiſquam propter inopiam facultatis terrenæ excuſet, cum etiam calicem aquæ frigidę pauperibus largienti, promittatur præmium in cœlo; etſi nulla adſit facultas, nullatenus tamen abſit voluntas, quia non ſolum opus, ſed etiam voluntatem coronat Deus: ſicque liberari à pœnis æternis quæ impijs parantur, & pervenire poterimus ad illam perpetuam felicitatis patriam, in qua juſti ſine fine gaudebunt cum Domino noſtro Ieſu Chriſto, cui eſt honor & gloria in ſęcula ſæculorum, Amen.

Pſalmvs CXII.

De laude Dei, & exaltatione humilium.

verſ. 1. Caſſiod. *Laudate pueri Dominum, Laudate nomen Domini*: conſtat hoc nomen *puer*, ſimplicibus & puriſſimis dari, quando & ipſe Dominus Ieſus puer vocatur, ſicut eſt
Isaię 9. illud, *puer natus eſt nobis*; iſtam ſiquidem ætatem pro innocentia ſua conſtat à Domino electam; dicit enim diſcipu-
Mat. 10. lis ſuis, *Sinite parvulos venire ad me, talium eſt enim regnum cęlorũ.* Meritò ergò hos Propheta commonet laudes Domino debere cantare, qui corde puro ad eas videntur accedere, non enim eſt electa ętas, ſed puritas: reſpice quoque in hac repetitione quandam eſſe diſtantiam, Dominum laudat, qui probabili actione commendat nomen Domini, idē laudat qui virtutes ejus ſancta prędicatione concelebrat:

 pro-

proſtrata igitur & extincta erit
Magal. perfecta laus ex ore infantium
& lactentium; non cantant
iſta qui ſe magnos putant, *qui*
Roma. 1. *cognoſcentes Deum, non ut Deum*
glorificaverunt, non enim pueri
ſunt, nomen ſuum potius prę-
dicare volentes, quam nomen
Ibid. Domini; itaque, *evanuerunt in*
cogitationibus ſuis, & obſcuratum
eſt inſipiens cor eorum, dicentes e-
nim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti
ſunt: voluerunt nomen ſuum
diutiſſimè diffamari, citò ipſi
tranſituri, ſed Deum & Domi-
num potius ſemper & ubique
decet prædicari. Non itaque
Nicol. accipiuntur hìc pueri caren-
tes diſcretione ratione ætatis,
ſed accipiuntur hìc pueri pro
ſubjectis & miniſtris humili-
bus & puris: ait ergò,

Laudate ô vos *pueri* non ſen-
ſu parvuli, ſed malitiâ, & maxi-
mè ſuperbia parvuli, id eſt, vos
humiles, devoti, ſimplices,
Ludol. & puri, puritate cordis, oris,
& operis, quia tales ſoli dignè
laudant *Dominum* in eſſentia,
extollendo majeſtatem ejus;
nec ſolum laudetis Deum in
ſe, ſed etiam in ſuo nomine;
unde ſubditur. *Laudate nomen*
Domini, prædicando virtutes
& opera ejus, quibus nomi-
natus eſt & famoſus, & in qui-
bus ipſe laudabilis apparet, &
unde nomen ſuum & fama
ſua ſemper multiplicetur: vel
ita operando, ut alij videntes
opera veſtra bona, glorificent pa- Mat. 5.
trem veſtrum qui in cœlis eſt; &
ſic de bonis ſervis laudetur
bonus Dominus: Dico igi-
tur, *laudate nomen Domini* non
ad horam, ſed,

Sit nomẽ Domini benedictũ, ex Verſ. 2.
hoc nunc, & uſq; in ſeculum: quęrit
fortaſsè aliquis puerorum, cur Magal.
ex hoc, & non ante hoc, & non
ante omnia ſecula ſit nomen
Domini benedictũ? Reſpon-
debo parvulo qui non quærit
contumaciter: vobis dicitur
dominici pueri, *ſit* à vobis *no-*
men Domini benedictum, ex hoc,
utique, ex quo dicitur, ex quo
Deum cognoviſtis, incepiſtis
Deum

Digitized by Google

Deum laudare, ſed ſine fine laudate; & hoc *nunc & uſque in ſeculum*; ne dicatis incipiamus modo nomen Domini laudare, quia pueri ſumus, ſed cum creverimus magniq́ue fuerimus, nos ipſos laudabimus. Non ſic pueri, non ſic: dicit enim Dominus per Iſai-

Iſai-as. am, *ego ſum, & uſque dum ſeneſcatis ego ſum*: ſemper enim laudandus eſt, qui ſemper eſt.

Quoniam ergò hoc loco humilitatem deſignat pueritia; cui contraria eſt vana & falſa ſuperbię magnitudo, & ideo Dominum non laudant niſi pueri, quia non norunt eum laudare ſuperbi, ſit ſenectus noſtra puerilis, & pueritia ſenilis, id eſt, ut ſapientia noſtra nec ſit cum ſuperbia, nec humilitas ſine ſapientia, ut laudemus Dominum *ex hoc nunc, & uſque in ſæculum*; ait

Hugo. ergò. *Sit nomen Domini benedictum*, id eſt, ſicut in ſeipſo benedictum & ampliatum eſt, ſic à nobis benedicatur, & à cunctis fidelibus, benedictione laudis & gratiarum actionis *ex hoc*, id eſt, ex quo cœperunt homines credere in Deum, & ipſum laudare, *nunc*, id eſt, in præſenti ſine omni dilatione, & perduret ipſa benedictio in futurum; *uſque in ſeculum*, id eſt, aſſiduè, ut ſtatim incipiat, & in ęternum permaneat ac dilatetur.

A Solis ortu uſque ad occaſum: Verſ. 3.
Laudabile nomen Domini, hìc u- Caſſiod.
niverſalem deſignat Eccleſiam, ut per totum mundum cujus fabricator eſt Chriſtus, ejus pręconia debeant non taceri; juſta commonitio, eſt Domini Salvatoris injunctio, ut Creatorem ſuum creatura cognoſcat, eumq́ue magnificare debeat, quatenus ejus laudibus ſemper accreſcat: ait ergò, *à Solis ortu uſque ad occa-* Hieron.
ſum, id eſt, ab initio fidei ac ſanctæ vitæ, uſque ad mortem, in omni loco & ubique, ſit *laudabile nomen Domini*, & laudibus extollendum; ut qui

ubique

Digitized by Google

ubique eſt, ubique laudetur, & numquā & nuſquam ceſſet ipſius laus & benedictio; ideo autem ſemper & ubique & ab omnibus eſt laudandus, quia,

Verſ. 4. *Excelſus ſuper omnes gentes Dominus, & ſuper cælos gloria e-*

Caſſiod. *jus:* per has duas partes, univerſas vult intelligi creaturas, per gentes, terrena cuncta: ſuſpiciamus cœlos, advertamus univerſa cœleſtia, quoniam ſuper omnia probatur excelſus, cui ipſi quoque cœli ſubjecti ſunt, ſicut in alio Pſalmo

Pſal. 56. legitur: *exaltare ſuper cœlos Deus, & ſuper omnem terram gloria tua*; gentes homines ſunt; quid mirum, ſi ſuper homines ex-

Magal. celſus eſt Dominus? Ecce gētes ſuper ſe Dominum excelſum recognoſcunt & colunt, quæ prius creaturę potius quā Creatori ſervierunt: & non

Aug. ſolum Dominus excelſus ſuper omnes gentes, verum etiam *ſuper omnes cœlos gloria ejus:*

Magal. quid per cœlos, niſi ſpirituales prædicatores deſignantur? qui cum gloriam Domini prædicando diffundunt, relictis idolis gentes Dominum ſuum recognoſcunt; cœli ſu- Aug.
pra ſe ſuſcipiunt eum, & humiles eum ſecum habent conſtituti in carne infra cœlum, qui pro illo non colunt cœlum.

Vel *gentes* carnales homi- Caſſiod.
nes, cœlos verò ſpirituales debemus accipere, ut ſupra omnes creaturas altiſſimus ſentiatur, qui cunctarum rerum conditor eſſe dignoſcitur: ait ergò, *excelſus* eſt *Dominus* celſitudine ſcilicet naturę & potentiæ, *ſuper omnes gentes* Ludol.
& non tantum, ſed & *ſuper cœlos*, id eſt, cœleſtes & angelicas creaturas & ſanctos, eſt *gloria* & ſublimitas *ejus:* ipſe enim ex ſe eſt glorioſus, & excedit omnem altitudinem angelorum, quia ipſe eſt vita & refectio ipſorum; nam de ipſis ad ſuam gloriam & honorem ordinat & diſponit, ſicut ſibi placet, & videtur expedire; Nicol.
ideo ſubditur.

Quis

Digitized by Google

Verſ. 5. *Quis ſicut Dominus Deus noſter qui in altis habitat, & humilia*
Aug. *reſpicit in cœlo & in terra?* quiſquam putaret quod in altis cœlis habitet, unde terrena humilia reſpiciat? ſed *humilia reſpicit in cœlo & in terra:* in quibus ergò altis habitat; unde humilia reſpiciat in cœlo & in terra? an in quibus altis habitat, etiam ipſa humilia
Magal. reſpicit? in altis, id eſt, in Sanctis, qui in terris poſiti, in cœlo tamen converſantur, hoc
verſ. 6. eſt, *humilia reſpicit in cœlo & in terra:* cœlum ſunt ſpiritualia ſeminantes, qui judicaturi ſunt; terra autem, terrena exhibentes, qui etſi judicandi, ad dexteram tamẽ ponendi ſunt propter opera miſericordiæ quæ fecerunt, in quibus utriſque delectatur inhabitans Deus, quia reſpiciunt utrique quid fuerunt per ſe, quid facti ſunt per gratiam: *In altis habitat, &*
Aug. *humilia reſpicit*, quia ſic exaltat humiles, ut non faciat ſuperbos, *in altis habitat*, quia quos exaltat, facit ſibi cœlum, id eſt, ſedem ſuam, & eos non tamen ſuperbos, ſed ſemper ſubditos intuendo, *humilia reſpicit*, in quibus excelſus habitat:

Spiritus enim ſanctus per Iſaiam ita loquitur: *Hæc dicit* Iſaig
altiſſimus in excelſis habitans, in 57.
æternum nomen ejus, & Dominus altiſſimus in ſanctis requiem habens: expoſuit quid dixerit *in excelſis habitans*, hoc enim plenius eloquitur, *in ſanctis requiem habens:* Sed qui ſunt ſancti niſi humiles, qui pueri laudãt Dominum? itaque adjungit; *& puſillanimis dans magnanimitatem, & dans vitam qui in humilitate cordis ſunt;* dans utique magnanimitatem, excelſos facit, in quibus requiem habens, in excelſis habitat: ſed quia puſillanimis dat magnanimitatem, eadem excelſa in quibus habitat, humilia reſpicit: *& humilia* inquit *reſpicit in cœlo & in terra;* nam cum ſecundum dictum Apoſtoli &

2. Cor. 10. *in carne ambulent, & ſpiritualiter militent*, non mirum ſi humilitas eorum in cœlo reſpiciatur propter ſpiritus libertatem, & in terra propter corporis ſervitutem: proinde quiſquis intelligit & converſationem Apoſtoli in cœlo, & in carne manſionem, ſimiliter & intelligat oportet, Dominum Deum noſtrum habitantem in cœlis, & reſpicientem humilia: eodem modo ſanctos & humiles & excelſos in cœlo reſpicit, quando quę ſurſum ſunt ſapiunt, qui ſpe reſurrexerunt cum Chriſto, & in terra reſpicit, quoniam non ſunt ſoluti carnis vinculo, ut ex tota vita ſua, poſſint eſſe cum Chriſto: ait ergò;

Hugo. *Quis* alius in hominibus vel in cæleſtibus eſt, *ſicut Dominus Deus noſter?* quaſi diceret, nullus, qui per ſe poſſit ut ipſe, *qui in altis*, id eſt, in angelis & ſanctis, qui dono ejus alti ſunt per vitam & meritum, *habitat* per gratiam, & eminétiam virtutum, qui quamvis in terra poſiti adhuc converſantur, tamen in cælis & *humilia*, id eſt eoſdem in quibus habitat, *reſpicit*, per ſuam providentiam intuitu miſericordię, *in cælo & in terra* exiſtentes; ſancti enim qui ſunt in terra humiles, apud Deum ſunt alti, & hi ſunt in cælo per libertatem ſpiritus, quando elevantur in contemplativa, & in terra per inhabitationem carnis, quando humiliantur in vita activa.

Vel, *humilia reſpicit* per ſuam providentiam *in cælo*, quia ſuperbientes angelos dejecit, & humiliter ſibi adhærentes, in gloria confirmavit, ne deinceps ſuperbire poſſint; *& in terra*, juxta illud: *ſuper quem reſpiciam, niſi ſuper humilem & trementem ſermones meos?* quare non dixit in humilibus habitat, ſed *humilia reſpicit?* ideo, quia ubi reſpicit, ibi habitat, & ubi habitat, ibi reſpicit: Sic in cælo & in terra humilitas Deo

Nicol. Hieron. Iſaię 66. Caſſiod.

Digitized by Google

Deo placita reperitur, ſicut
ſuperbia probatur exoſa, per
quam diabolus cecidit, per
quam homines in tartaro pe-
netrali,id eſt, in interiori pro-
fundo,merguntur. Erubeſcant
ergò elati, & ſeipſos accepta
ratione convincant; quicquid
enim fideliter humile fuerit,
ibi Dei ſedes,& æterna poten-
tia reperitur.

Caſſiod. Nec mirum ſi Dominus re-
ſpicit humilem,qui eſt etiam,
verſ. 7. *Suſcitans à terra inopē, & de ſter-*
Caſſiod. *core erigens pauperem:* hoc bene-
ficium non ſolum ſibi vendi-
cent inopes & egentes; nam
de ſtercore & paupertate eri-
gitur, quiſquis de hac labe
corporis per Dei gratiam ſub-
levatur: rex deniq; ipſe mun-
danus, inops eſt munerum
Dei, & in ſtercore volvitur,
cui carnis vitia dominantur:
Elevat ergò ab iſtis Dominus
quoſlibet ordines, quaſlibet
ætates, cum miſericordię ſuæ
Aug. dona largitur; non igitur de-
dignentur eſſe humilia capita
excelſorum ſub dextera Do-
mini: quamvis enim colloce-
tur fidelis diſpenſator domi-
nicæ pecuniæ cum principi-
bus populi Dei, quamvis ſeſ-
ſurus ſit ſuper duodecim ſe-
des,angelos quoque judicatu-
rus; à terra tamen inops eri-
gitur, & de ſtercore pauper
exaltatur.

An fortè Paulus non de
ſtercore exaltatus, qui ſervie-
bat deſiderijs & voluptatibus
varijs? ſed fortè cum iſta jam
diceret, non erat pauper &
inops? cur ergò ingemiſcit
gravatus; quod *de cœlo eſt ſu-* 2. Co-
perindui cupiens? cur ne fortè ſe rint. 5.
extollat,colaphizatur; & ſub-
ditur *angelo ſathanę* ſtimulo car- 2. Cor.
nis ſuæ? altus quidem eſt ha- 12.
bitante in ſe Domino, & ha-
bens eum ſpiritum qui *ſcruta-* 1. Cor.
tur omnia etiam altitudinem Dei; 2.
itaque in cælo eſt Dominus;
ſed,& in cælo, *humilia reſpicit:*
ait ergò, *ſuſcitans* per ſolam Ludol
gratiam, *à terra*, id eſt, à terre-
nis deſiderijs, ſive à labe cor-

Digitized by Google

poris, *inopem*, id eſt, virtutibus carentẽ, *& de ſtercore*, id eſt, vitiorũ putredine, fetore carnalium deſideriorũ, & voluptate ac vitæ prętéritæ ſorditate, ut (Caſſiod.) tamquã ſtercora reputet ipſa, & *erigens* per gratiam ſuam *pauperem* ſpiritu, humilem ſcilicet in oculis ſuis & abjectũ, ad amorem æternorum.

vers. 8. *Ut collocet eum cum principibus: cum principibus populi ſui:* (Caſſiod.) Declarat ad quid pauperis & inopis pervenire poſſit erectio, ſcilicet, ut collocetur cũ principibus populi: principes enim populi ſunt Patriarchæ, Prophetæ, Apoſtoli, & quicumque Deo probabili converſatione placuerunt: Sed hîc principatum non honorem credas, qui hominum ſuffragio conquiritur, ſed illum, qui Domino largiente pręſtatur, qui in humilitate altus eſt, qui fide certus, qui mentis robore ſolidatur: nam quod addidit *populi ſui*, ſignificat Eccleſiam Catholicam, quæ toto orbe diffuſa eſt: ait ergò; (Lurdol.) *ut collocet eum* & ſedere faciat, nõ jam in terra & ſtercore inter pauperes & inopes, ſed in ſede honoris & glorię, *cum principibus*, id eſt, cum Angelis, Patriarchis, Prophetis, & Apoſtolis, quos pręfecit Dominus populo ſuo: quaſi diceret, ad hoc ſuſcitat inopem, & erigit pauperẽ, ut ad tantam potentiã & gloriã perducat, ut eũ addat cęli Ordinibus, qui ſunt ex Angelis & hominibus, cũ ipſis enim collocãtur, qui poſt peccata Deo largiẽte, probabili cõverſatione Domino placuerũt.

vers. 9. Hęc enim omnia operatur Dominus Deus noſter, *Qui habitare facit ſterilem in domo: matrẽ filiorum lætantem:* (Caſſiod.) Hîc facta eſt concluſio ſuperiorum ſenſuũ, & deſcendentium pulchritudo verborum; nam quod dixit *ſuſcitans de terra inopẽ, & de ſtercore erigens pauperem; ut collocet eum principibus, cum principibus populi ſui;* exponit ubi hoc fieri poſſit, ſcilicet, in eccleſia, quę

Digitized by Google

ante adventum ſponſi ſui ſterilis fuerat, ſed facta eſt mater lęta filiorum, quando Apoſtolorum prædicatione, ex qua, & Spiritu ſancto, copioſos filios in toto orbe procreavit; quondam fuſca, nunc pulchra, quæ per aquam fæcundiſſimā parit, & virginitatem glorioſa integritate cuſtodit: ipſa fuit igitur ſterilis, quā Dominus in domo ſua habitare facit lętantem, de partu ſcilicet & numeroſitate ſanctorum.

Ma-gal. Hæc igitur mater noſtra eccleſia prius ſterilis, nunc fęcunda, in una domo habita[illegible] ſuper fundamentum Apoſtolorū & Prophetarum ſita, unius ædis circumdata ędificio, jam de multitudine filiorum, & virtutibus, & pulchritudine lętatur: quamvis enim tota frumēti maſſa, in ſeparatione ſejunctę paleæ pauca eſſe videatur, per ſe tamen conſiderata, copioſa eſt: *multi enim filij deſertę, magis quā ejus quæ habet virum:* multi namque filij ejus, quæ per gratiam in ſenectute concepit, quā ejus quę ab ineunte ętate vinculo legis maritata eſt: non ſolū ergò erigit de pulvere quem collocet cum principibus, ſed etiam *facit habitare ſterilē in domo, matrē filiorum lętantem, qui in altis habitat, & humilia reſpicit, in cœlo & in terra*, Semē Abrahę ſicut *ſtellas cœli* ſanctitate ſublime, in ſupernis ſedibus collocatū, & ſicut *arenam maris*, innumeram multitudinē à ſiniſtris fluctibus atq; amaritudine impia ſegregatā; ait ergò, *qui inhabitare facit ſterilē*, id eſt, gentilitatē prius idololatrię deditā, non proferentē opera bona; hāc converſam per Apoſtolorū prędicationē, *habitare facit in domo*, id eſt, in eccleſia Catholica de Iudęis & gentibus collecta, ut in lapide angulari duo parietes conjungātur, & fiat *unū ovile*; *matrē* ſcilicet factā *filiorū* ſpiritualium, & ideo, *lætantem*, de fæcunditate ſcilicet ſibi collata, ac partu & numeroſitate ſanctorum.

Aug. Gal. 4. Ma-gal. Gen. 22. Ni-col. Ioā. 10. Hu-go.

Psalmus CXIII.

De beneficijs & miraculis hebręis in figuris, & Chriſtianis in Spiritu à Deo exhibitis.

Expoſitio litteralis.

Verſ. 1. Nicol. *IN exitu Iſraël de Ægypto: domus Iacob de populo barbaro:* In iſto Pſalmo invitat Propheta Iudæos litteraliter ad laudandum Deum, & recolēda Dei beneficia ſibi facta dicens, *In exitu Iſraël de Ægypto,* (de quo exitu habetur Exodi 13.) & idem ſub alijs verbis repetens, ſubjungit; *Domus Iacob,* id eſt, ejuſdem populi deſcendentis de Iacob, qui alio nomine dictus eſt Iſraël, Geneſ. 32. *De populo barbaro,* id eſt, de populo Ægypti gentili & extraneo: omnes enim populi dicuntur barbari, exceptis Hebræis, Græcis & Latinis, quia alia idiomata dicuntur barbara; cum ergò populus Iſraël exiret de Ægypto, tunc, *Facta eſt Iudęa ſanctificatio ejus,* id eſt, ſanctificatus eſt populus Iſraël in Iudæa, id eſt, in terra promiſſionis, colendo verum Deum, quę terra erat per idololatriam ante polluta & prophanata. *Iſraël poteſtas ejus,* id eſt, populus ille factus eſt potens in terra illa, qui in Ægypto fuerant ſervi, ibi facti ſunt Domini.

Exodi 13 · Gen. 32. · Aug. · Verſ. 2. · Hugo.

Mare ſcilicet rubrum, *vidit* populum de Ægypto exeuntem, id eſt, ad modum videntis & intelligentis obedivit, *& fugit,* quia ſe in partes diviſit, ut populus Iſraël ſicco pertranſiret pede, ſicut dicitur Exodi 19. *Iordanis converſus eſt retrorſum,*

Verſ. 3. · Exodi 19

Digitized by Google

retrorſum, hoc fuit in exitu de
Ioſ. 3. deſerto, ut habetur Ioſuæ 3.
quia aquæ Iordanis deſcen-
dentes ſteterunt elevatæ ad-
modum collis, ut dictus po-
verſ. 4. pulus tranſiret. *Montes exulta-*
verunt ut arietes, & colles, ſicut
agni ovium, id eſt, cauſam exul-
tationis dederunt filijs Iſraël,
Magiſt. quia in tranſitu fluvij Arnon,
in Hiſt ſcopuli, id eſt, rupes arduæ, ex
una parte inclinati ſunt, uſ-
que ad ripam oppoſitam flu-
minis, & ſic tranſitum præbu-
erunt filijs Iſraël, ut habetur
Numeri 21.

verſ. 5. *Quid eſt tibi mare quod fugi-*
ſti: & tu Iordanis quia converſus
es retrorſum? quaſi diceret, un-
de venerunt iſta mirabilia in
mari rubro, in Iordane, & col-
verſ. 6. libus ut dictum eſt, *Montes*
exultaſtis ſicut arietes, & colles ſi-
cut agni ovium? Interrogat qua-
re hęc facta ſint, ut admiratio-
nem excitet, & reſpondens
quæſtioni ſecundę de monti-
verſ. 7. bus & collibus, ſubjungit: *A*
facie Domini mota eſt terra, à fa-
cie Dei Iacob: A facie Domini,
id eſt, à præſentia Domini
deſcendentis, *mota eſt terra*, &
ex terræ motu ad præſentiam
facto, hoc provenit, ſcilicet, *à*
facie & præſentia, *Dei Iacob*,
qui non eſt Deus recens.

Ex hoc etiam patet ſolutio
primę quæſtionis de mari, &
de Iordane: quia factum eſt
ad præſentiam Dei, qui hoc
voluit fieri, quaſi diceret, à
divina voluntate proceſſerũt Nicol.
iſta, cui etiam obediunt inſen-
ſibilia, quia ſicut ad Dei nutum
mota eſt terra, quando abſor-
buit *Dathan & Abyron*, ita & Gen. 16.
colles in prædictis obedie-
runt: unde ſubditur aliud mi-
rabile.

Qui convertit petram in ſtagna verſ. 8.
aquarum, dando abundantiam
aquæ de petra, ut habetur Ex-
odi 17. *& rupes in fontes aqua-* Exodi 17
rum, de quo Num. 20. *Cumque* Numeri 20.
Moyſes levaſſet manum percuti-
ens virgâ bis ſilicem, id eſt, lapi-
dem, *egreſſæ ſunt aquæ largiſſimę*,
de quibus omnibus, laus &
gloria

gloria eſt Deo ſoli attribuenda: unde ſubditur;

vers. 1. *Non nobis Domine non nobis:* cætera plana ſunt juxta litteram uſque ad Pſalmi finem;& quia ſicut Apoſtolus ait, 1. Cor. 10. *hæc autem omnia in figura contingebant illis, ſcripta autem ſunt ad* doctrinam & *correptionem noſtram*, Pſalmus iſte vocem continet Prophetiæ, oſtendentis, ut quæ in eo hiſtoricè narrantur, ſpiritualiter dicta intelligantur: eſt enim intentio Pſalmi iſtius, ut ab initio Caſſiod. Hebraici populi, per magna miracula Chriſtum mundo miſſum nuntiaret, per quorum miraculorum ſimilitudines, hodiè unumquemque liberari approbat Chriſtianum.

Expoſitio moralis ejuſdem Pſalmi CXIII.

Exponitur hic Pſalmus moraliter de Dei beneficio exhibito circa quemlibet Chriſtianum, à peccatis egreſſum.

vers. 1. Mazal. *IN exitu Iſraël de Ægypto, domus Iacob de populo barbaro:* nō arbitremur nobis narrari præterita, ſed potius futura prædici, quia illa quoque miracula, cum illo populo fierent, præſentia quidem, ſed non ſine futurorum ſignificatione gerebantur: ideoq́ue ut oſtenderet qui pſallendo iſta præcinebat, eadem ſe verbis agere, quæ illìc figuris agebantur, uno eodemq́ue ſpiritu operante, & illa facta, & hæc dicta, ut quod in fine ſæculorum manifeſtandum reſervabatur, figuris rerum atque verborum recurrentibus nuntiaretur, non omnino ea dicit quæ ibi geſta ſunt, ſed aliter quædam quam illìc lecta didicimus, ne verè putaretur

tranſacta

Digitized by Google

tranſacta recolere, potius quã ventura prędidere.

Primò enim Iordanem ipſum non reverſum retrorſum, ſed ſtetiſſe legimus, nec montes aut colles exultaſſe ibi invenimus: Attendamus ergò quid admoneamur. Ægyptus quæ interpretatur afflictio, vel affligens, vel comprimens, vel tenebræ, ſæpè in imagine hujus ſæculi ponitur, à quo ſpiritualiter recedendum eſt, ne ſimus jugum ducentes cum infidelibus; ſic enim quiſque Ieruſalem cœleſtis idoneus civis fit, cum primò huic ſæculo renunciaverit; quemadmodum ille populus in terram promiſſionis duci non potuit, niſi prius ab Ægypto recederet: Sed ſicut ille non inde diſceſſit, niſi divino liberatus auxilio, ſic nemo corde ab hoc ſæculo avertitur, niſi divinæ miſericordiæ munere adjuvetur: quod ergò ibi ſemel pręfiguratur, hoc in iſto fine ſæculi, in unoquoque credente impletur.

Ergò qui vos cognoſcitis Iſraëlitas ſecundum ſemen Abrahæ, qui eſtis domus Iacob ſecundum promiſſionem hæredes, cognoſcite etiam vos exiſſe ab Ægypto, qui renunciaſtis huic ſęculo, exiſſe de populo barbaro, qui confeſſione pietatis, vos à blaſphemijs gentium ſejunxiſtis: non eſt lingua noſtra barbara, quæ Deum laudare novit, cui vos cantatis alleluja: Exitum igitur illum hìc debemus accipere, quando nos à peccatorum vinculis contingit exire; tunc enim ab Ægyptorum, id eſt, dęmonum turba liberamur, quando barbaricæ vanitatis illius jura non patimur, & verè reddimur Iſraëlitæ, cum pompa hujus mundi, à noſtra ceperit mente diſcedere: Barbarus autem à barba & rure dictus eſt, quod numquam in urbe vixerit, ſed ſemper in agris ut fera habitaſſe noſcatur: domus vero Iacob

Aug.

Caſſiod.

veraciter efficimur, quando Chriſtiani dogmatis præcepta ſervamus; ait ergò,

In exitu ſpirituali, qui fit ex munere & miſericordia Dei, *Iſraël*, id eſt, populi Chriſtiani videntis Deum, ante cujus oculos eſt timor Dei, qui mente, & vera intentione exit, *de Ægypto*, id eſt, de tenebris peccatorum & infidelitatis, ac etiam afflictione hujus ſęculi, cui renuntiat *domus Iacob*; id eſt, ejuſdem populi Chriſtiani luctantis contra vitia, & exeuntis *de populo barbaro*, id eſt, de numero peccantium, nec non de conſortio infidelium & dęmonum, qui dicuntur barbari, quia à Deo ſunt alieni: barbara enim eſt lingua, quę non laudat Deum: & poſtquam Iſraël iſte exivit de Ægypto.

Caſſiod.

Aug.

verſ. 2. *Facta eſt Iudæa ſanctificatio ejus, Iſraël poteſtas ejus:* Iudæam diximus non ſolum ad Hebræorum pertinere nationem; ſed ad omnes fideles poſſe reſpicere: verus Iuda Salvator eſt Dominus, in quo regnum & poteſtas Iſraëlitarum, id eſt, videntium Deum noſcitur eſſe perpetua: ita qui eum circumciſo corde ſequuntur, Iudæi veraciter nuncupantur: *poteſtas* autem *ejus Iſraël* dicta eſt, quoniam in ipſo magna miracula propriæ virtutis oſtendit: nam ubi ille non habet poteſtatem, qui omnia facit quæ vult, in cœlo & in terra?

Caſſiod.

Aug. Non igitur qui in manifeſto Iudæus eſt, neque quæ in carne eſt circumciſio, ſed qui in occulto Iudæus eſt, & circumciſione cordis: interrogate ergò corda veſtra, ſi ea fides circumcidit, ſi fides purgavit in vobis, *facta eſt ſanctificatio ejus* in vobis; *Iſraël poteſtas ejus:* dedit enim vobis poteſtatem filios Dei fieri; jam enim recordetur unuſquiſque veſtrum, num velit cor ſuum Deo applicare, carnalibus hujus mundi factis relictis, in quibus ſine fructu laborat tâquam

Digitized by Google

quam in Ægypto lateres ſub dura dominatione diaboli faceret, abjectiſq; vitijs ſub levi jugo Chriſti currere: recordetur etiam quemadmodũ omnia ſæcularia impedimenta ceſſerunt, diſſuadentium voces erumpere auſę non ſunt, conſiderato Chriſti nomine per omnes terras exaltato, tremefactæ ſunt; ait ergò,

Facta eſt Iudæa, id eſt Chriſtus, *ſanctificatio ejus*, qui ideo per Iudęam intelligitur, quia de tribu Iuda natus eſt, qui etiam propriè dicitur Iudæa, quia eſt confeſſio noſtra, unuſquiſque ſanctificatur in confeſſione quâ purgatur, nam Iudæa confeſſio interpretatur: Hugo. Eundem ergo Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Salvatorem noſtrum confitemur, qui ſalvos nos fecit, & etiam ipſe Chriſtus eſt terra noſtra, per quam ſubſiſtimus, ſicut & per Iudæam terram Iſraëliticus populus: Iudæa igitur illa, Chriſtus ſcilicet, eſt facta poteſtas ejuſdem Iudææ, id eſt, oſtendit Chriſtum potentem, à quo fortitudinem illam accepit, ut tam firmiter ſtare ac contra vitia pugnare poſſit, & per hoc factus eſt populus ille *Iſraël*, qui videns Deum Hugo. interpretatur: acſi dicat, habendo Deum præ oculis, ipſumque confitendo, & recognoſcendo quod omnia videt, efficitur quis potens ad reſiſtendum, & ad bonum faciendum, ut filius Dei fiat: unde magna nobis indicitur benefaciendi neceſſitas, cum ante oculos verſamur judicis cuncta cernentis; unde quidam dixit hos verſus. Aug. Boetius.

Cum quid turpe facis, quod me ſpectante ruberes,
Cur ſpectante Deo, non magis ipſe rubes?

Propter quod dixit David Propheta ſuperius; *Providebam Dominum in conſpectu meo ſemper*. Hoc enim notat cum ſubdit. Pſal. 15.

Mare vidit & fugit, Iordanis Verſ. 3.

Digitized by Google

nis converſus eſt retrorſum : Videns Propheta ingentiũ miraculorum ſe mole ſuperari, vitiorum omnium cauſas duabus alluſionibus pleniſſima brevitate concluſit; mare frequenter diximus pro peccatoribus iſtius ſæculi debere ſuſcipi, qui more undarum tumidis cogitationibus fluctuantur, Iordanem verò pro quolibet flumine debemus accipere, qui varijs deſiderijs homines rapiunt, & in mare illud magnum nefanda præcipitatione deducunt: iſta enim duo quæ genus humanum diverſa delectatione rapiebant, adventu Domini reſpecto, à ſuis conſuetudinibus retrorſum præcipitata redierunt. *Mare* ergò *vidit & fugit*, cum peccatores intellexerunt Chriſtum, & ſolitum abhorrentes iter, & diabolum fugientes, eum ſecuti ſunt, qui ait: *qui ſequitur me non ambulat in tenebris.*

Caſſiod.

Ioã. 8.

Iordanis converſus eſt retrorſum : Iordânis deſcenſio interpretatur; qui igitur ad tartara præcipiti itinere deſcendebant, nunc retrorſum converſi, poſt eum vadunt, qui *exaltatus à terra, omnia ad ſe trahere* promiſit; increpavit namque Dominus quoſdam, qui dorſum poſuerunt ad eum & non faciem, nam quiſquis principium ſuum deſerit, & à Creatore ſuo avertitur, tamquam fluvius in mare labitur, in hujus ſæculi amaricantem maliciam: bonum eſt ergò illi ut retrorſum convertatur, fiatque illi Deus ante faciem redeunti, quem ſibi à tergo poſuerat, & fiat illi retrò mare hujus ſæculi, quod ſibi ante faciem, cum illùc laberetur, effecerat, & ſic ea *quę retro ſunt obliviſcatur, & in ea quę ante ſunt extendatur.* Iordanis igitur illos ſignificat qui gratiam baptiſmi perceperunt, & ſic Iordanis convertitur retrorſum, cum illi convertuntur ad Deum, ut eum jam retrò

Aug.

Ioã. 12.

Phil. 3.

trò

Digitized by Google

2. Cor. 3. trò non habeant; ſed *revelata facie gloriam Domini ſpeculantes, in eandem imaginem transformentur, à gloria in gloriam:* ait ergò; *mare*, id eſt, homines in peccatis amaricantes, *vidit*, Deum judicem ſuum oculo cordis, *& fugit*, de peccato ad Deum: *Jordanis* interpretatur rivus judicij, ſive diſcenſus; per quem ſignificatur peccator fluens varijs deſiderijs in mare, id eſt, in mundum iſtum periculoſum diſcurrit, qui ſe judicat & humiliat, recognoſcens hic humiliter peccata ſua, *converſus eſt retrorſum*, à pravis & iniquis conſuetudinibus ſuis, ita ut jam à peccatis ceſſet, atq; ad Chriſtum redeat fontem ſcilicet ſuum, à quo in perfectione creatus eſt.

Hugo.

De iſta autem converſione, Verſ. 4. *Montes exultaverunt ut arietes: & colles ſicut agni ovium:* montes Apoſtolos & Euangeliſtas, vel omnes verbi prædicatores accipi poſſe manifeſtū eſt, qui & ſupernam lucem in cæteris prius acceperunt, & meritò montes appellati ſunt, propter ſanctitatis ampliſſimum cacumen, & fidei ſoliſſimam firmitatem: iſti enim exultaverunt in operibus ſuis tamquam *arietes*, qui fideliſſimum gregem ad caulas Domini, divino juvamine perducebant: *colles* autem mediocritatem ſignificant latè credentium, quorum pectora fidei ſemina efficaciter acceperunt; colles enim dicti ſunt à colendo; gaviſi ſunt igitur & alij ſancti, quoniam peccatores converſos viderunt *ut arietes*, ſcilicet totius dominici gregis ductores & principes, duobus teſtamentis quaſi duobus cornibus muniti:

Caſſiod.

Et colles ſicut agni ovium. Hi ſunt humiles & imperfecti, lacte adhuc & non ſolido cibo indigentes, qui non omnia poſſunt relinquere, ſed redimunt peccata ſua in operibus miſericordię, & faciunt ſibi *amicos de mammona iniquitatis*, Luc. 16.

 ait.

ait ergò : *montes*, id eſt, Apo-
Lu-dol. ſtoli vel altiores Eccleſię præ-
lati & prędicatores à Chriſto
ſanctificati, qui excelſi & alti
Aug. debent eſſe per altitudinem
vitæ, ſicut ſunt alti per cul-
men dignitatis & poteſtatis,
exultaverunt, de peccatoribus
qui ad Chriſtum ſunt conver-
ſi, & virtutibus eorum, *ſicut a-
rietes*, qui ſunt duces gregis, tam
verbo ſanæ doctrinę, quam
exemplo bonæ vitæ ſibi ſub-
ditos fecundantes; *& colles*, id
eſt, juniores & ſimplices per
Euangelium geniti, exultave-
runt *ſicut agni ovium*, qui edo-
cti ſunt & culti ab illis altio-
ribus, & prædicatoribus ma-
gnis.

verſ. 5. Sed *quid eſt tibi mare quod fu-
giſti : & tu Iordanis, quia conver-
ſus es retrorſum?* requiritur enim
Caſ-ſiod. mare, diſcutitur fluvius, cur ſu-
as conſuetudines perdiderunt,
ut ipſa greſſus defixerint, quę
pridem involuta omnia rapi-
ebant : & bene additum eſt
retrorſum, quoniam univerſæ
corruptiones tunc nobis pro-
veniunt, quando Domini be-
neficio, noſtra ſe inſtituta con-
vertunt, ait ergò ; *Quid eſt tibi
mare quod fugiſti?* ac ſi diceret, Aug.
quid eſt tibi ſęculum quod tua
impedimenta ceſſaverint? &
quid eſt vobis, ô tot millia fi-
delium toto corde mundo
renuntiantium, quod ad Do-
minum convertimini? mare
enim fugit priorem vitam :
vel, ô *mare*, id eſt, ô peccatores
amaricantes in peccatis, *quid
eſt tibi quod fugiſti?* id eſt, prio-
rem conſuetudinem peccandi
dimiſiſti? & ô *tu Iordanis*, quid
eſt tibi, *quia converſus es retror-* Hu-go.
ſum ad Deum tuum fontem
vivum? & unde ô vos *montes* verſ. 6.
*exultaſtis ſicut arietes, & colles ſi-
cut agni ovium?* priorum ver- Caſ-ſiod.
ſuum ordinem cuſtodivit, ſic
enim ſub alio modo & hìc
ſunt poſiti, ſicut in prima re-
ſponſione videntur eſſe nar-
rati : interrogat enim ſicut ſę-
culum per mare vel fluvium,
quid fuerit quod ejus ligamē-
ta

Digitized by Google

ta ſoluta ſint, & quoniam erat una reſponſio ſecutura, & illos quoque interrogat qui exultaſſe præcipuè videbantur: unus enim auctor, & illa fecit obſtupeſcere, & hæc preſtitit fixa proſperitate gaudere, ait ergò, *montes exultaſtis ſicut ari-*
Magal. *etes*, ac ſi diceret, quid eſt quod gaudetis duces & fideles diſpenſatores verbi veritatis, quibus in fine dicetur,
Mat. 25. *Euge ſerve bone & fidelis, quia in pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam? & ô colles ſicut agni ovium?* id eſt, quid gaudetis ô minores, qui temporalia non relinquitis, ſed benè diſponitis, quibus in fine dicetur, *ve-*
Ibid. *nite benedicti Patris mei, &c.* reſpondebunt, ideo gaudemus, quia,

Verſ. 7. *A facie Domini mota eſt ter-*
Caſſiod. *ra, à facie Dei Iacob:* ſecuta eſt competens que parabatur utriſque reſponſio, audite converſi, audite fideliſſimi Chriſtiani, commotionem iſtam, id eſt, permutationem quæ humanæ terræ feliciter evenit, non facta tremore montium, ſed proſpera converſione populorum; nam ſi quæras quid ſit Dominus, audi, *Deus Iacob*, ipſo enim miſericorditer apparente, *ab ejus facie*, id eſt, preſeutia, ſalutariter *terra commota eſt*, que mortis ſtupore pigra riguerat; que tamen ſic à ſua ſuperſtitione commota eſt, ut in cultura Domini æterno fixa robore, permaneret: propter cognitionem Domini terra commota eſt:
quid eſt *à facie Domini*, niſi à Magal.
preſentia, clementia, & à cognitione Dei quem preſentem viderat? *commota eſt terra* divine miſericordie, id eſt, peccator ad penitentiam converſus eſt à veteri converſatione ad novam vitam, & ne novum hominem intelligeremus, dicit, *à facie Dei Iacob*; ipſe eſt Deus luctantium contra vitia, nam Iacob luctator interpretatur vel luctans, otioſi verò non luctantur con-

tra

Digitized by Google

tra vitia, ſed ſe eis ſubjiciunt, habentes Deos alienos, ut ſunt luxurioſi & guloſi, de
Phil. 4. quibus dicit Apoſtolus, *quorũ Deus venter eſt.* Adjungitur.

vers. 8. *Qui convertit petram in ſtagna*
Caſſiod. *aquarum:* petram ut arbitror Iudęorum duritiam debemus advertere, quam in ſacri baptiſmatis *ſtagna aquarum convertit*, cum eos ad religionem fecit venire tranquillam: itẽ *rupes*, id eſt, arida & dura corda gentilium, divini eloquij manare fecit fontes irriguos, ut qui ante ſterilibus ſuperſtitionibus ſiccabantur, poſtea verbi Dei prædicationes effunderent copioſas: vel ali-
Ludol. ter, *Qui convertit petram in ſtagna aquarum:* iſta petra & iſta rupes eſt Chriſtus, qui ſeipſum prius durum cum ignoraretur, liquefecit, ut de eo manarent aquæ gratiarum & doctrinæ: de eo enim quatuor flumina, id eſt, quatuor Euangelia exierunt, & totum mundum irrigaverunt, & ipſe miſit Spiritum ſanctũ, de quo dicebat, *ſi quis ſitit veniat* Ioã. 7.
ad me & bibat: ſed iſtam magnam miſericordiam nemo habet à ſe, ſed Domino eſt adſcribenda, ideò ſubditur;

Non nobis Domine non nobis: vers. 1.
Sed nomini tuo da gloriam; gratia quippe eſt iſta erumpentis Aug.
aquæ de petra, *petra autem erat* 1. Cor. 10.
Chriſtus, non quaſi operibus præcedentibus data eſt, ſed miſerante illo qui juſtificat impium: etenim *Chriſtus pro* Roma. 5.
impijs mortuus eſt, ne ullam ſuam, ſed nominis Dei quærerent gloriã: Cum verò mul- Caſſiod.
ta beneficia dixerit Propheta quæ nobis Chriſtus Dominus profutura conceſſit, unius vera ſubſequitur & affectuoſa petitio, ut propter nomen ſuum humano generi præſtaret utilia, qui probabilia in peccatoribus nequaquam poterat invenire; nam cum bona largiatur immeritis, ipſius gloriæ probatur eſſe quod concedit; ait ergo, *Non nobis Do-* Ludol.
mine

Digitized by Google

mine Iudæis fidelibus, *non nobis* gentilibus credentibus, id eſt, non noſtris meritis attribuatur gloria, ſed de prædictis mirabilibus & beneficijs ac bona converſione noſtra, *nomini tuo da gloriam*, & da nobis de pietate nominis bona, pro quibus nomen tuum glorificetur, ut non noſtris meritis, non noſtris viribus attribuantur: Fac igitur nos intelligere miſericordiam & gratiam tuam nullo noſtro nobis dari merito, ſed propter nomen tuum ampliandum, quia pro bonis gratis nobis collatis, appares glorioſus: (Hugo.)

Da inquam *gloriam nomini tuo; Super miſericordia tua & veritate tua:* his duabus rebus gloriam Domini poſtulat Propheta debere concedi; miſericordia eſt enim, cum miſeris ac delinquentibus peccata dimittit: veritas cum beatitudinis futuræ promiſſa reſtituit, ſive ut alij volunt judicaturus eſt impios: utraſque enim res, ſive dum parcit, ſive dum judicat, ad gloriam Domini pertinere manifeſtū eſt: hæc enim duo, in ſcripturis ſanctis, ſibi ſæpè conjunguntur, in ſua quippe miſericordia vocavit impios, & in veritate judicavit eos, qui vocati venire noluerunt: *ne quando dicant gentes: ubi Deus eorum?* in noviſſimo enim apparebit miſericordia & veritas, quando *parebit ſignum filij hominis, & tunc plangent* ſuper ſe, *omnes tribus terræ*, nec dicent ubi eſt Deus eorum? cum eis non adhuc credendus prædicatur, ſed jam tremendus oſtenditur; ait ergò, (verſ. 2. Caſſiod. — Aug. — Mat. 24.)

Super miſericordia tua & veritate tua, id eſt, de mirabilibus & beneficijs quæ miſericorditer populo tuo feciſti, ut impleres promiſſorum tuorum veritatem: quia promiſiſti adventum filij tui in carne, ut inde prædicetur gloria nomini tuo, ita *da gloriã, ne quando dicant gentes* blaſphemando, (Ludol.)

Digitized by Google

bis tamē clarè & quidditativè non cognoſcitur, nec oculis poteſt corporeis ſubjici; ideo *dicunt gentes, ubi eſt Deus eorum?* Sed Propheta inſinuans per relationem ad creaturas, Creatorem evidenter cognoſci, addit: *omnia quæcumque voluit*
Pſal. 18. *fecit: Cœli enim enarrant gloriam*
Roma. 1. *Dei: Et invisibilia ejus per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur:* & ita ex factura factorem approbare potuerunt, & in operibus, Dei ſentire præſenti-
Pſal. 85. am, *quia non eſt ſimilis ipſi in dijs, & non eſt ſecundum opera ejus.*

verſ. 4. *Simulacra enim gentium argentum & aurum, opera manuum hominum:* ratio erroris in gentilibus fuit, quod nihil niſi corporeum intelligere valebant, ideo Deum ex materia & forma compoſitum eſſe voluerunt; & ne ratione materię vileſcerent ſimulacra eorum, de pretioſioribus metallis argento & auro, in ſimilitudinem hominis mortui efformarunt ea; ſed non habent membrorum officia. Moraliter autem uniuſcujuſque hominis ſimulacrum & Deus eſt, quod veneratur & colit, pręferens Deo vivo & vero; ſicut avari, Deus eſt pecunia, gaſtrimergi, Deus venter, luxurioſi, Deus libidinis eſt Aſmodęus, & ſic de cęteris; quod quiſque plus diligit ſibi Deus eſt; ait ergò,

Simulacra gentium, id eſt, hominum gentiliter & beſtialiter viventium, *argentum & au-* Aug. Hugo.
rum: ſicut evidenter apparet de cupidis & avaris, quia ſicut dicit Apoſtolus, *avaritia eſt ido-* Eph. 8.
lorum ſervitus: opera manuum hominum, ſicut ſunt & pecuniæ. Dij igitur gentium ſecundum materiam, ſunt *argentum & aurum*, & ſecundum compoſitionem, ſunt *opera manuum hominum:* & in hoc evidenter & maximè notatur eorum ſtultitia, quia ea quæ ipſi faciunt, quaſi Creatorem venerantur & colunt. Vnde pudor eſt dicere, ſimulacrum ab illo coli,

Digitized by Google

cujus ipſe auctor potuit inveniri,& in hoc etiam apertiſſimè apparet ſimulacrorum ſuorum impotentia,quia ſecundum litteram,

verſ. 5. *Os habent & non loquentur,*
oculos habent & non videbunt.
verſ. 6. *Aures habent & non audient,*
nares habent, & non odorabunt.
verſ. 7. *Manus habent & non palpabunt,*
pedes habent & non ambulabunt:
Caſſiod. *non clamabunt in gutture ſuo.* In
his tribus verſibus veriſſima diſcretione notati ſunt, qui falſis numinibus ſuis, membra hominum inaniter aſſignare voluerunt: nam quid rogo illi opus fuit os, qui loqui non poterat? quid oculi, qui conſpicere non valebat? quid aures, qui non erat auditurus? quid nares, qui nullatenus fragrantia ſentiebat? quid manus, qui res palpabiles ignorabat? quid pedes,qui ſe movere minimè prævalebat? & ut talibus rebus augeretur irriſio, addidit,ut nec ipſis quoque animalibus ratione carentibus debeãt comparari, quando in *gutture ſuo* non habent vel confuſum ſonum, quem pecora emittere proprijs quibuſdam vocibus conſueverunt:

Ergò artifex melior eſt eis, (Aug.) quia ea potuit membrorum motu atque officio fabricare, quem tamen artificem te utique puderet adorare: melior & tu,quamvis ea non feceris, quoniam quæ illa non poſſunt, facis: melior eſt & beſtia,ad hoc enim additum eſt, *non clamabunt in faucibus ſuis:* (Magal.) nam cum ſuperius dixiſſet *os habent & non loquentur*,quid opus erat poſtquam à capite uſque ad pedes membra decurſa ſunt, de gutturis clamore repetere? ſed quod de ore dixerat, proprium eſt hominis, quoniam beſtiæ non loquuntur, cætera autem cum hominibus & beluis communia: nam & vident, & audiunt,olfaciunt,& ambulant, & quædam ſicut ſimiæ, contrectant

Digitized by Google

trectāt manibus. Ne quis ergò ad ſola humanorū membrorum opera referret quæ dicta ſunt, & Dijs gentium ſolos homines anteponeret, poſt omnia ſubdit dicens; *non clamabunt in gutture ſuo*, quod rurſum hominibus pecoribuſq; commune eſt. Nam ſi dixiſſet primum cum ab ore cępit membra percurrere. *Os habent & non loquentur*, cuncta etiam ſic ad naturam hominis referrentur, ut non facilè ibi quidquam de communione ferarum ſenſus audientis adverteret: cum verò de ore illud dixit quod hominis proprium eſt, & poſt enumerationem partium corporis adjunxit, *non clamabunt in gutture ſuo*, lectorem vel auditorem fecit intentum, ut dum quærit cur additum ſit, admoneri ſe inveniat ſimulacris gentium non tantum homines, ſed etiam beluas ſe debere pręponere, ut ſi pudet adorare beſtiam, quam fecit Deus videntem, audientem, odorantem, contrectantem, ambulantem, clamantem *in gutture ſuo*, videret quam pudendum eſſet adorare mutum & carens vita ſenſuque ſimulacrum.

Ait ergò moraliter prædictos tres verſus exponendo: Homines beſtialiter viventes, *Os habent & non loquentur* ad confitendum peccata ſua, vel ad pronuntiandum divini eloquij verbum purè ſolùm propter Deum, pro correctione morum, ac emendatione vitæ proximorum, ſive ad defendendam juſtitiam & veritatem *Oculos habent* corporis apertos ad vanitatem ſæculi, ad concupiſcendum carnalia, & temporalia caduca, *& non videbunt* oculis cordis, ad contemplanda cæleſtia vel æterna: *Aures habent* corporis, *& non audient* divina pręcepta & mandata ad operandum ea, ſive ad retinendum retinaculo cordis, quod corporalibus auribus audierunt: *Nares habent*

Hugo.

Hugo.

Ludol.

Digitized by Google

habent corporis diſcernendi, ſcilicet ſenſum olfactus, ſed non odorabunt intus ſuavem odorem Chriſti: *Manus habent & non palpabunt*, bonum eligendo, ſcilicet, ac benè & rectè ad honorem Dei, ad ſalutem propriam,& proximorum,operando bonum: *Pedes habent & non ambulabunt* in via Domini, de virtute in virtutem: *Non clamabunt in gutture*
Hugo. *ſuo*, Deum devotè orando, ſive laudes & gratiarum actiones ſibi dignè exhibendo. Illi enim clamant in gutture ſuo, quorum vox procedit ex puro corde; garruli verò & blandiloqui in labiorum ſummitate.

Ludol. Boni autem clauſtrales, ſenſus ſuos cohibentes, *Os habent & non loquentur* inutilia & nociva, *Oculos habent & non videbunt* vana, ad ea concupiſcendum vel delectandum. *Aures habent & non audient* detractiones & inutilia, quæ non ædificant: *Nares habent & non odorabunt* odorifera illicita: *Manus habent & non palpabunt* tangendo illicita vel mala & inutilia, quæ non ſunt Deo placita neque proximo ædificativa: *Pedes habent & non ambulabunt* alicubi ſine licentia, ſive ad mala: *Non clamabunt in gutture ſuo* vana inutiliter, vel alia verba mala otiosè loquẽdo, vel etiam in corde murmurando.

Et quia gentilium ſimulacra talia ſunt ut preſcribitur. *Similes illis fiant qui faciunt ea: & omnes qui confidũt in eis.* Audit forſitan paganus & gaudet ſe ſuis numinibus comparatum, ſed intelligat quantum tali patrocinio potuit proficere, ut de rationabili homine ad inſenſibilia metalla meruerit pervenire: intelligat culturam ſuam in indignationem propriam fuiſſe converſam, & refugiat illud adorare, unde plectibile judicium cognoſcitur excepiſſe. Similes quippe illis fiunt, qui fieri talia decreverunt. vers. 8. Caſſiod.

runt. Nec illud omittendum eſt, quod fabricatores & cultores hujus rei, una perculſi eſſe probantur ſententia: ſimilis eſt enim iniquitás, alios ſuis operibus decipere, & culturis ſe peſſimis obligare: De his enim dicit Apoſtolus, qui commutaverunt veritatẽ Dei in mendacium, & coluerunt & ſervierunt creaturæ potius quam Creatori. Nihil igitur eis eſſe poteſt, quam ut Dijs
Ma-gal. ſuis ſimiles fiant: videant ergò
Aug. iſti apertis & ſcientibus oculis, & adorẽt clauſis & mortuis mentibus, nec videntia nec viventia ſimulacra; ait ergò,

Ludol. *Similes illis fiant*, id eſt, ſimiles ſe eis eſſe intelligant, ut diſſimiles fieri laborent, *qui faciunt ea*, per ſculpturam vel fuſuram, *& omnes qui confidunt in eis*, non ſolum ea faciendo, ſed etiam illa adorando, ſive aliquid ab ipſis petendo; vel aliter: *Similes illis* ſimulacris in
Hugo. pœna *fiant*, carendo vita ſpirituali, ſicut illa ſenſibili: In anima namque illis ſimiles efficiuntur, dum non emendantur, quia mente inſenſibiles ſunt; nec vident, nec intelligunt, neque diſcernunt, *qui faciunt ea*, id eſt, qui eos ad hoc inducunt, *& omnes qui confidunt in eis*: gentes enim quæ in ejuſmodi idolis ſperaverunt, nihil proficui habuerunt.

Domus Iſraël ſperavit in Domino: adjutor eorum & protector eorum eſt. vers. 9.
Caſſiod. Damnatis iniquitatibus perfidorum, ad celebrãda præconia Domini, lætus accedit: *Domus Iſraël* Eccleſiam cognoſcitur fidelium ſignificare populorũ, ipſa enim ſperat in Domino, quę mundana deſideria ſemper abjiciens, ſola ipſius delectatione perfruitur. *Domus Iſraël ſperavit in Domino*, Patriarchæ, Prophetæ, cum numero Apoſtolorum: Spes enim quæ videtur non eſt ſpes, ſi autẽ quod non videmus ſperamus, per patientiam exſpectamus: Sed Ma-gal.

ut

ut perduret uſq; in finē ipſa pa-
tientia, *adjutor eorum & protector*
eorum eſt: benè autem non ſolū
adjutor, ſed & *protector* Domi-
nus dicitur; niſi enim ipſe ad-
juverit, nihil poſſumus facere,
& niſi protegendo cuſtodie-
rit, ea etiam in quibus adjuvà-
mur, non poſſunt prodeſſe; ait
Hugo. ergò, *Domus Iſraël*, id eſt, Eccle-
ſia fidelium Chriſtianorum,
ſperavit, non in fallaci & abje-
cto mundo, non in auro, ar-
gento, aut divitijs terrenis, ſed,
Caſſiod. *in Domino* & ideo *adjutor eorum*
in bonis agendis, *& protector*
eorum contra pericula immi-
nentia in malis vitandis, quo-
niam animas ſanctas nulla ſi-
vit diabolica fraude ſubverti.
Et quod hoc verſu generaliter
dixit, hoc nunc de Sacerdoti-
bus decora iteratione retexuit.

vers. 10. *Domus Aäron ſperavit in Do-*
mino, adjutor eorum & protector
Caſſiod. *eorum eſt*, ut excelſus Ordo
Pontificum non in generali
commemoratione, ſed ſpeciali
præconio laudaretur: Aäron
autem in populo Iudæorum
primus Sacerdos electus eſt,
cujus commemoratione meri-
tò ipſe ordo declaratur; ait
ergò, *Domus Aaron*, ſcilicet Magal.
Pontifices & Sacerdotes om-
niſque ordo eccleſiaſticus, *ſpe-*
ravit in Domino non ſine fructu,
quia Dominus *eſt adjutor eorū*,
ut & ipſi extendantur perſe-
veranter in ea quę ante ſunt, &
currant donec apprehendant
& cognoſcant, ſicut cogniti
ſunt: *& protector eorum eſt* ne Lucas.
eis noceatur.

Et quid per ſingula? om-
nes de quacumque conditio-
ne *Qui timent Dominum, ſpera-* vers. 11.
verunt in Domino: adjutor eorum
& protector eorum eſt. Expoſuit
quod ſuperius dixit, *Domus*
Iſraël & domus Aaron: ipſi ſunt Caſſiod.
enim, *qui timent Dominum, &*
ſperaverunt in Domino. Duo iſta Magal.
ſunt quæ beatos faciunt & fe-
lices. Omnis igitur in his ver-
bis fidelium multitudo con-
tinetur, & ſi ſpem noſtram fi-
xam habuerimus in Domino,
& ad

Digitized by Google

& ad alta ſuſpendamur, adjutor noſter & protector erit ipſe Dominus: Item ſi timorem Domini habuerimus pro peccatis quę perpetravimus, nihilominus adjutor & protector noſter erit Dominus. Spes ad alta proficientes, & de virtutibus cogitantes pertinet, timor verò ad inchoantes & peccata ſua per pœnitentiam corrigẽtes; neque enim pius & miſericors Dominus adjuvat tantùm eos qui ad alta proficiunt, ſed etiam eos adjuvare paratus eſt, qui de profunditate vitiorum ad ejus miſericordi-
Nicol. am recurrunt; ait ergò, *Qui timent* ex omni gente *Dominum* timore caſto & filiali, *ſperaverunt in Domino* ſpe charitate formata, quæ eſt exſpectatio futuræ beatitudinis ex meritis & gratia præveniente, propter quod, *adjutor & protector eorum eſt*, quantũ ad eorum ſpectat ſalutem. Spes & timor bonos faciunt, & ſunt quaſi duæ molę, inter quas debet moli Chriſtianus; ut fiat panis coram Deo reponendus; ſi ſperas & non times, præſumis; ſi times, & non ſperas, deſperas; & quia nullis noſtris meritis prę-venimus miſericordiam ſuã, ſequitur:

Dominus memor fuit noſtri: & benedixit nobis. Vers. 12. Caſſiod. Hæc eadem pulchra varietate congeminat, ut benedictionem Domini pręſtari talibus, inculcata ratione crederemus. nam cum dicit *memor fuit noſtri*, gratiam divinæ pietatis oſtendit. quibus enim meritis debebatur, ut Chriſtus Dominus adveniret, qui & errantes populos doceret, & converſos ſua benedictione ſalvaret? ait ergò, *Dominus* Lodol. qui quaſi oblitus eſſe videbatur, *memor fuit noſtri* bona nobis faciendo, quod maximè apparet in hoc, quod filiũ ſuum pro noſtra redemptione incarnari fecit, in multis etiam alijs benevolentiam ſuam erga nos oſtendendo, tunc enim memor noſtri eſſe videtur

Digitized by Google

Dominus, quando nobis ali quod facit bonum, quod prius non faciebat, *& benedixit* Nicol. *nobis* benedictione ſpirituali in virtutibus & bonis ſpiritualibus nos multiplicando: Et quibus benedixit?

Benedixit domui Iſraël, benedixit domui Aaron: Benedixit Caſſiod. domum Iſraël, de ſanctæ Mariæ virginitate naſcendo; benedixit quoque domum Aäron Sacerdotij honore præcinctus, ſicut de ipſo in alio Pſal. 109. Pſalmo dictum eſt, *Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem* Aug. *Melchiſedech*: utroſque benedixit, hoc eſt, domum Iſraël cum domo Aaron, eos utique qui ex ipſa gente crediderunt in Salvatorem Ieſum, quia non in omnibus illis beneplacuit Deo, Roma. 3. *ſed ſi quidam illorum non crediderunt? numquid incredulitas illorum fidem Dei evacuavit? abſit,* Roma. 9. *neque enim omnes qui ſunt ex Iſraël, hi Iſraëlitę, neque* Ibid *qui ſemen Abrahę omnes filij,* ſed ſicut ſcriptum eſt, *reliquiæ ſalvę factæ ſunt.* Ex perſona enim eorum qui crediderunt, dicitur; *Niſi Dominus Sabaoth reliquiſſet nobis ſemen, ſicut Sodoma facti eſſemus, & ſicut Gomorrha ſimiles fuiſſemus,* Iſaię 1. ſed ideo ſemẽ, quia ſparſim per terras multiplicatum eſt; ait ergò, *benedixit domui Iſraël,* id eſt, ſubditis in Eccleſia, omni ſcilicet populo Chriſtiano: *benedixit domui Aaron:* ordini videlicet Sacerdotum, id eſt, Pontificibus & Sacerdotibus: Primò ergò benedixit ſubditis, ſecundò majoribus, & nunc tertiò generaliter omnibus Deum colentibus in univerſali Eccleſia, dicens;

Benedixit omnibus qui timent Dominum, puſillis cum majoribus. Verſ. 13. Poſt ſpeciales enumerationes, ad benedictionem generalitatis aſcendit, Caſſiod. ubi ſimul omnes benedicuntur, qui ſervire Domino pura mente elegerunt: Hoc enim fecit in piſcatoribus, hoc fecit in regibus, nec ullum genus homi-

num

num ei credens, probatur exceptum, quod ſit ab ejus muneribus alienum; unde ſubdit, *puſillis cum majoribus*, ſaltem benedictione ſiniſtra, eis temporalia ſcilicet bona largiendo; unde dicitur, *puſillum & magnum fecit Deus*, &, *eſt illi æqualiter cura de omnibus*. Indifferenter enim benedicit Dominus omnibus perfectis & imperfectis, nullum genus & nullus gradus hominum excluditur, dum tamen timent Dominum. Sed quia benedictio ſemper creſcit in eis qui in ejus virtute proficiunt, ſive majores ſive puſilli ſint, id eſt, ſive perfecti ſive imperfecti, bene de illis ſubjunctum eſt:

Sap. 6.

Ibid

Magal.

verſ. 14. *Adjiciat Dominus ſuper vos: ſuper vos, & ſuper filios veſtros.*

Caſſiod. *Adjiciat* duplici modo videtur intelligi, ſive benedictionem quam in hoc ſæculo ſanctis ſuis pro parte concedit, ſive *adjiciat* numero veſtro populos fideles; quod & noſtris temporibus facit, & uſque ad finem ſæculi non deſinet operari. Acceſſerunt enim *de lapidibus ſuſcitati filij Abrahæ*; acceſſerunt *oves quæ non erant ex hoc ovili ut fieret unus grex & unus paſtor*, adjiciente Domino non ſolum ſuper patres qui in Chriſto cæteros imitaturos præirent, ſed etiam ſuper filios eorum, qui patrum pia veſtigia ſequerentur; Nam ſic ait ille his quos per Euangelium in Chriſto genuerat. Imitatores mei eſtote ſicut & ego Chriſti. Adjecit ergò Dominus non ſolum ſuper *montes* geſtientes & *exultantes ſicut arietes*, ſed etiam ſuper *colles* exultantes *ſicut agni ovium*; ait ergò, *Adjiciat Dominus* ad hoc bonum quod jam habetis, benedictionem & bona ſuper vos ô patres & magiſtri, gratiam ſcilicet ſuam augmentãdo *ſuper vos*, etiam meritum multiplicando, *& ſuper filios veſtros*, id eſt, ſuper diſcipulos & imitatores veſtros, quos verbo doctrinæ, aut exemplo

Aug. Mat. 3. Ioã. 10.

1. Cor. 11.

Hugo.

Digitized by Google

bonæ vitę, Deo genuiſtis, vel *ſuper filios veſtros*, id eſt, ſuper opera veſtra, quę per deſiderium devotionis acquiſiſtis:
Magal. proinde his utriſque magnis & puſillis, montibus & collibus, arietibus & agnis, dicit Propheta quod ſequitur.

verſ. 15. Caſſiod. *Benedicti vos à Domino: qui fecit cœlum & terrã.* Cum ſuperius optaverit Propheta ut benedicerentur fideles, jam ipſa prędeſtinatione confiſus, benedictos dicit eſſe juſtiſſimos, & vide genus benedictionis, *Domino* poſuit, quia ipſa eſt perfecta beatitudo nõ ſibi quemquam præparari, ſed Domino. Hoc enim verbo fideliũ corda roborantur, & futura beatitudo unde provenire poſſit, oſtenditur. *Qui fecit cœlum & terram*; Ipſe enim cujus operatione omnis creatura perfecta eſt, ſolus dare poteſt benedictionem gratię in præſenti, & gloriæ in futuro; quod adhuc amplius declarat dicens.

verſ. 16. Caſſiod. *Cœlum cœli Domino, terram autem dedit filijs hominum*; id eſt, ſupremum cœlum empyreum, quod eſt ſupra firmamentum, competit ſpecialiter *Domino* Ieſu in quo regnaret, *dedit* autem, ad humanitatem pertinet incarnationis; nam verbo quid dari potuit, quod cum Patre & Spiritu ſancto ſemper cuncta poſſedit & poſſidet? & in hujus cęli comparatione, quidquid oculis carneis cernitur, terra dicenda eſt, quę *filijs hominum* eſt attributa, ut ejus conſideratione, (Aug.) ſive ab ea parte quæ ſuperilluſtrat, ſive ab illa quæ ſubter illuſtratur, conjiciant Creatorem, quem infirmis adhuc cordibus, ſine iſto conjecturæ adminiculo, videre non poſſunt: & gratia Domini ſe multiplici colluctatione purificãtes, ad ęternam vitam ex iſtius mundi agone perveniant: Et quia eſt alia multitudo reproba, quæ nec ad illud cœlum, nec ad illam terram pertinet,

quæ

Digitized by Google

quæ à Domino non benedicetur, ſed maledicetur, ſequitur de ea, & converſo ſermone ad Dominum, dicit:

verſ. 17. *Non mortui laudabunt te Domine, neque omnes qui deſcendunt in infernum.* Per mortuos intelligimus eos de quibus Salvator in Euangelio dicit, *moriemini in peccatis veſtris*, & iterũ, *Sinite mortuos ſepelire mortuos ſuos.* Certè mortui ſepultores, non ſunt corpore mortui, quia ſi hoc eſſent, corpora mortua non ſepelirent, ſed intus in anima à vera vita ſeparati, opera non faciunt meritoria ad laudem tibi, & meritum ſibi; *neque omnes*, id eſt, aliqui omnium, *qui deſcendunt in infernum*, laudabunt te: Clamat namque ſcriptura; *peccator cum in profundum venerit, contemnit*; vel aliter, mortuos hic illos dicit, qui perpetuis cruciatibus affligendi ſunt, quorum voces nõ ſuſcipit Dominus: nam à mortuo quaſi ab eo qui non eſt, perijt confeſſio: dicendo autem *neque omnes qui deſcendunt in infernum*, oſtendit & ſanctos ad inferna quidem deſcendere, ſed in Domini exaltatione gaudere; quia ergò in inferno non eſt laus Dei, ſed magis blaſphemia, rectè ſubjungit.

(Ioã. 10. Mat. 8. Aug. Prover. 18. Caſſiod.)

Sed nos qui vivimus benedicimus Domino, ex hoc nunc, & uſq; in ſæculum. Expoſita parte damnatorum, aptum fuit ut pulchritudinem Pſalmi, beatorum bona concluderent, non enim mortuorum Dominus eſt, ſed vivorum, quos gratia in operibus vivificavit: Hi laudant Dominum meritoriè *ex hoc nunc & uſque in ſæculum.* Deus enim in laudibus terminum habere non poteſt, qui nec in præmijs probatur ſuſtinere occaſum. verſ. 18.

Pſalmus CXIV.

Gratiarum actio de exauditione orationis pro liberatione à malis, & oratio pro requie poſt hujuſmodi gratiam liberationis.

Verſ. 1. Caſſiod. *Dilexi quoniam exaudiet Dominus vocem orationis meæ.* Amorem Domini hominibus duobus provenire conſtat articulis: Eſt unus quando pro collatis beneficijs etiam ab infidelibus diligitur atque laudatur, ſicut in alio Pſalmo de peccatore legitur, *Confitebitur tibi cum beneſeceris ei.* (Pſal. 48.) Alter eſt certiſſimus atque perfectus, cum devoti animus nullius accidentium malorum adverſitate dejicitur, ſed in miſerijs ſuis ſpe futurorum in caritate Domini ſemper accenditur, ſicut dicit Apoſtolus, *quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio an anguſtia, an perſecutio, an fames, an nuditas? &c.* Hunc ergò modum Propheta ſubter exponit quoniam in tribulationibus & anguſtijs ſuis *dilexit*, quando illi dolores & tribulationes præſtiterunt, ut Dominum invocare mereretur; & quia dilectionem ſpes ſolet accedere, *dilexi* tranſacti temporis eſt, in exauditione autem futuri: Sed etiam futurum pro præterito ſæpè ponunt Prophetæ, maximè in canticis metricè conſcriptis, qualis eſt Pſalmus iſte in Hebræo. Quapropter David non in regni amplitudine lætus exultat, non de mundi felicitate gratulatur quam noverat tranſituram, ſed gaudet orationem (Caſſiod.)

tionem ſuám in anguſtijs à clementiſſimo Domino fuiſſe ſuſceptam, quod prodeſſe ſibi perpetuò ſentiebat. Nam cum in deſerto Maön à Saülis exercitu obſeſſus, præter ſpem liberatus eſſet, (ut legimus,)
1. Reg. 23. *venit nuntius ad Saül, dicens: Feſtina & veni, quoniam infuderunt ſe Philiſtæi ſuper terram. Reverſus eſt ergò Saül deſiſtens perſequi David:* Tunc carmē iſtud compoſuit, in quo divinæ bonitatis recolens immenſitatem, gratiſſimum amoris debitū pollicetur. Vnde ſubditur:

vers. 2. *Quia inclinavit aurem ſuam mihi: & in diebus meis invocabo.*
Caſſiod. Auris appellata eſt ab auditu, quam meritò ad nos inclinare dicitur Deus, quia ut nos dignetur audire, nulla ad ipſum humana merita videntur attingere, quod factum in adventu Domini, veritatis ipſius tradit auctoritas, quando mūdi miſertus ſceleribus, medicinam beatæ incarnationis attribuit. Mirabilis ſententia, beata viciſſitudo, & fidelem ſemper beneficia quęrere, & clementem Dominum continua benignitate pręſtare. Ideo
dilexi, quoniam exaudiet Dominus; ideo exaudiet, *quoniam inclinavit aurem ſuam mihi:* Sed unde ſcis ô anima humana, quod inclinavit Deus aurem ſuam tibi, niſi dicas *credidi?* manent ergò tria hęc, fides, ſpes, charitas; quia credidiſti, ſperaſti, quia ſperaſti, dilexiſti, fides enim credit, ſpes futura præſtolatur, charitas corroborat fidem & ſpem, ſed fides & ſpes nutriūnt charitatem: Nam ſi quæram unde crediderit anima inclinaſſe ſibi aurem Deum ſuum? nonne reſpondebit, *quia prior dilexit nos,* Ioa. 4.
&, *filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit eum*; cum hæc omnia erga me geſta cernerem, quomodo non crederem, quod *inclinavit aurem ſuam mihi?*

Non habet autem aurem Magal.

Digitized by Google

Deus ut homo, incorporeus & incircumſcriptus eſt, ſed tam clementer humanæ conſulit infirmitati, ut quia eum ſicut eſt non poſſumus agnoſcere, noſtrę locutionis more ſe nobis inſinuet, ut per noſtra ad ſua nos traheret, & dum condeſcenderet nobis, conſurgeremus ei. Dicitur ergò per ſimilitudinem auris ejus, miſericordia ipſius, quam videtur inclinare, dum nos clementer dignatur audire; inclinatio quippe auris, probatio eſt futuræ exauditionis: Nam ſi Deum dignatus eſt ad hominem inclinare, quantò magis dignabitur hominem ad Deum elevare, & ſic vocem ejus exaudire? Dum illa attendit adhuc in peregrinatione ſua famulus Dei, gemit & dicit; *In diebus meis invocabo* dies mei quippe diſtant à diebus Domini mei; dies enim meos dicere poſſum dies miſeriæ meæ, dies mortalitatis meæ, dies ſecundum Adam plenos laboris & ſudoris, dies ſecundum vetuſtatem putredinis, dies meos dico quos ipſe mihi feci privata audacia, quia Deum meum deſerui, unde merui carcerem, id eſt, ignorantiæ tenebras, & compedes mortalitatis accepi.

Circumdederũt me dolores mor- verſ. 3.
tis: & pericula inferni invene-
runt me: Cauſas adhuc reddit Caſſiod.
altiſſimas, cur vir ſanctus dilexerit Dominum, non illas in quibus ſe amari putat humanitas, ſi inflatis honoribus evehatur, ſi divitiarum mole grãdeſcat, ſed ideo ſe dixit divina gratiâ viſitatum, quia doloribus & periculis probatur affectus; meritò, nam quando hæc perducunt ad gloriam, iſta præcipitant ad ruinam. Et inſpice verba ſimplicia magnis ſenſibus eſſe farcitã: Circumdatum ſe dicit doloribus, & ne putares mediocres, addidit *mortis*, adjecit etiam *inferni pericula*, quæ conſtat tormentis omnibus eſſe graviora:

Digitized by Google

viora: Dolores iſti, vehementiſſimæ ſunt peccati mortalis tentationes, quæ animæ pariunt dolorem & mortem; Sequitur quoque, *invenerunt me*, quaſi inopinatum, quaſi ſecurum, quaſi à Domini defenſione ſepoſitum, ut facilè potuerit capi, quem à tanto contigerat munimine ſegregari: & ſic non *invenirent me*, niſi aberrantem abs te: nunc autem illa *invenerunt me*, ego verò illa non inveniebam, qui gaudebam proſperis ſæculi, in quibus plus fallunt *pericula inferni.* Sequitur:

Aug.

verſ. 4. *Tribulationem & dolorem inveni, & nomen Domini invocavi.*

Caſſiod. Hæ ſunt tribulationes, quæ ad Dominum exclamare fecerunt: hi dolores, qui medicinaliter corda punxerunt, ut ad verum medicum clamaret ægrotus, unde veniret auxilium. Superius ubi captus eſt à doloribus, inventum ſe dicit; hìc ubi remedium repperit, inveniſſe ſe ipſos dolores aſſeruit: Ille enim cauſas ſuæ calamitatis cognoſcit, qui ſe afflictum, ut convertatur, intelligit, nam ut tunc medicus quæritur, quando viſcera hujus vitæ pænalitatibus gravari quis ſentit, ſic me interiores dolores cordis & animi mei, ad Deum cogunt refugere, & nomen Domini invocare, ut eo præſtante, & dolor & tribulatio celeriter vinceretur, cui dicitur; *Da nobis auxilium in tribulatione, quia vana ſalus hominis.* Ego autem de vana ſalute hominis gaudendũ arbitrabar, ſed cum audiſſem à Domino, *beati qui lugent nunc, quoniam ipſi conſolabuntur,* non exſpectavi ut prius amitterem bona temporalia quibus malè oblectabar, & tunc lugerem; ſed attendi in eandem ipſam meam miſeriam qua talibus oblectabar, quæ & amittere formidarem, & tenere non poſſem: attendi & me non ſolum excruciari adverſitatibus hujus ſæculi, ſed

Pſal. 107.

Mat. 5.

Magal.

etiam obligari proſperitatibus: vidi, atque ita *tribulationem inveni*, quę me latebat, *& nomen Domini* corde contrito *invocavi*, dicens.

verſ. 5. *O Domine libera animam meam: Miſericors Dominus, & juſtus, & Deus noſter miſeretur.*

Hic incipit ſupplementum R. P. MARCI MASTELLINI, in Viridi Valle Canon: Reg:

Fidelis itaque enumeratis paſſionibus ſuis, exclamat ad Dominum ut liberet animam ejus à peccato, & de miſerijs ac omni impedimento hujus ſæculi, ne tantis perplexitatibus pereat involuta: Hanc autem liberationem firmiter
Ludol. ſperans, ſubjunxit; *miſericors* in natura *Dominus*, per gratias prævenientes excitando: quis enim ipſum invocavit, niſi quem prior ipſe vocavit? *inclinavit enim aurem ſuam mihi: & juſtus*, quoniam corripit peccatorem ad veniam requirendam, & iterum miſeretur
Heb. 12. cum *recipit filium quem flagellat:* non enim pœnalis, ſed ſalutaris eſt dolor quem facit ſecando, in cujus voluntate, & beneplacito eſt omne bonum noſtrum: Imo quia tam facilis eſt Dei iræ in miſericordiam commutatio, ut ſtatim adſit pœnitentibus, & lugentes è veſtigio ſubſequatur conſolatio. Semel juſtum poſuit & bis miſericordem, ne tam amarum videatur quod flagellatur quiſque fidelis, quia recipit ad beatitudinem quem flagellat, & ſic poſtquam miſericordem Dominum generaliter eſſe profeſſus eſt, nunc univerſaliter parvulorum dicit eſſe cuſtodem, ac ſe humiliatum & liberatum eſſe proclamat.

Cuſtodiens parvulos Dominus, humiliatus ſum & liberavit me: verſ. 6.
Humiles ſiquidem in oculis ſuis, ſpiritu pauperes, & ſimplices corde, benignè reſpicit Dominus; nunc eos à malo cuſtodiens, & in futuro ad ſalutem ęternam exaltans, eos verò

Digitized by Google

verò qui in ſuperbia extollentiam animi monſtrant, deſpicit ac reprobat: quamobrem & ipſe deſpiciens ſuperbiam, ait: *Humiliatus ſum* veraciter in pœnitentię flagellis, in mente parvulus factus coram ipſo,& ſic, *liberavit me* ſua virtute & gratia à laqueis diaboli, ab anguſtijs meis,& onere peccatorum.

verſ. 7. Amodo ergò *Convertere anima mea in requiẽ tuã, quia Dominus benefecit tibi.* Cantet anima hoc cum Propheta quæ peregrinatur à Domino; cantet hoc ovis illa quæ erraverat,& cuſtodis revecta humeris, ad caulas redijt paſtoris; cantet hoc filius ille, qui mortuus fuerat, & revixit, perierat & inventus eſt; cantet hoc populus devotus, qui pretioſo ſanguine redemptus, ad deſideratam requiem pervenire Domini largitate promeruit. Quapropter animam ſuam hortatur Propheta, ut remota affectione & deſiderio ab omni terrenorum delectatione, convertatur ad Dominum, unde illi & tranquilla venit requies, & abolitio peccatorum. Suam ergò requiem dicit, quę illi data eſt per gratiam, non meritorum compenſatione poſſeſſa, *quia Dominus benefecit tibi.* Talis actio debet eſſe animæ quæ tendat ad quietam ſecuritatem, non quæ augeat inquietum laborem, ſicut Dominus nos admonet dicens. *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos, tollite jugum meum ſuper vos: & diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde, & invenietis requiem animabus veſtris.* Mitis itaque & humilis tamquam viam ſequens Chriſti debet eſſe animæ actio tendẽtis in Deum, non tamen pigra & deſidioſa, ut curſum conſummet, ſicut ſcriptum eſt, *In manſuetudine perfice greſſus tuos*; neque enim ſicut in iſta vita ſomni requies nos reparat ad actionem, ſed actio bona per-

Caſſiod. Mag. Mat. 11. Eccl. 3.

 ducit

Digitized by Google

ducit ad ſemper vigilantem quietem: *Convertere ergò anima mea* per gratiarum actioné, *in requiem tuam*, id eſt, Deum, à quo proceſſiſti perfectione creata, à quo receſſiſti affectione inordinata; quod autem convertaris, miſericordię Domini eſt:

verſ. 8. *Quia eripuit animam meam de morte, oculos meos à lachrymis, pedes meos à lapſu.* Caſſiod. Declarantur cauſæ quare dixerit ſuperius, *quia Dominus beneſecit tibi*: ſed hæc intelligamus præſcientiæ virtute Prophetam dicere dę futuro, quoniam in iſto ſæculo viventibus convenire non poſſunt. Ait enim: *Eripuit animam meam de morte*: animæ quippe juſtorum cum de iſto ſæculo tranſeunt, ab illa morte liberantur, de qua dicitur: Apocal. 2. *Qui vicerit, à morte ſecunda non lædetur.* Conſequenter ait: *Oculos meos à lachrymis*; ceſſant utique lachrymę, quando jam mors animæ non probatur eſſe ſuſpecta, non enim in iſta ſecuritate plangitur, ſed in iſto agone, ubi calamitas futura metuitur: Addidit *pedes meos à lapſu*: quando dicit *à lapſu*, oſtendit pronum & lubricum eſſe peccatum, ſed benè illìc non formidatur ruina, ubi pedes, id eſt, intellectus & affectus in Chriſto fundati ſunt æterna ſecuritate: nam in iſto ſęculo conſtituti (ſicut dictum eſt,) & mortem animę juſti timent, & aſſiduè lachrymas fundunt, & pedes ſuos à lapſu non credunt ullatenus alienos: Hìc enim colluctatio eſt, ideo cuncta ſub metu ſunt. Quod Magal. ſi mortem peccati velimus intelligere, rectè dicet fidelis jam ereptam eſſe animam ſuã ex hac morte, eo ipſo quod fidelis eſt effecta, & liberata à peccatis, per quę fuerat ad mortem æternam deducenda; Sic *oculos eripuit* Dei miſericordia *à lachrymis* gehennæ inconſolabilibus, greſſus quoque præſervavit, ne de via juſtitiæ caderent in foveam gehennalem;

Digitized by Google

hennalem; id eſt, converſationem vitæ meæ ita direxit, ut per eam non fuerim deductus in infernum: Sed quia duo hęc poſteriora ſpe completa ſunt in eis, qui nondum ex hoc mundo migraverunt, ideo ſubjungens ait.

vers. 9. *Placebo Domino in regione vivorum.* Rectè dicit *in regione vivorum,* illa enim eſt vera vita à morte libera, quæ habet bona pura & immiſta; ibi enim anima ſemper vivit, ibi cum corpore de immortalitate lætatur, & ſic homo ex omni parte Deo placens ſecurus eſt, quod amplius diſplicere non poſſit: Sed quamdiu peregrinatur à Domino, perfectè juſtus eſſe non poteſt, quia *nemo mundus eſt à peccato nec ſi diei unius fuerit vita ejus:* ut tamen in futurę vitę ſtatū placere poſſit, etiam in hac vita placere Domino neceſſe eſt. nam nulli dubium eſſe debet, quod niſi quis hìc caſtè inculpateq; vixerit, atq; illi terra iſta mortalis, terra fuerit viventiū, quę quidem vitæ conditiò futuræ pignus eſt, & arrha, eum fruſtra vivere, cui neque cœlum ipſum vitam ſuppeditabit, quandoquidem nihil aliud eſt hìc verè vivere, quam futuram vitam appetere, & fide ac operationibus, quæ à charitate proficiſcuntur quærere, ac (ut ſic dicam) commercari.

Iob. 14. juxta vers. 70. Interp.

PSALMVS CXV.

De fidelium ac ſanctorum martyrum in fide & confeſſione conſtantia.

vers. 10. *CRedidi, propter quod loquutus ſum: ego autem humiliatus ſum minus.* Hujus Pſalmi ſenſum à ſuperioribus pendere volunt aliqui, illìc enim David ſuę dilectionis in Deū dedit

dedit ſpecimen, hîc fidei: Et eſt ac ſi diceret;meis in oppreſſionibus & anguſtijs ſpem ſemper firmam ac fidem in Deo habui; & ut quidem credidi & ſperavi,ſic egit mecum benigniſſimus Dominus: quare id loquar, dicamque omnibus, quanta fecit Deus animę meę; afflictus enim eram nimis, ut pœnè animo deſtituerer, eripuit tamen me, ut credidi.

Sed hîc etiam Pſalmus de martyrum illo populo reverendo commodè intelligitur, Caſſiod. qui ordinem veri dogmatis ſervans, prius ſe dicit crediſſe, & poſtea fuiſſe prolo-quutum; propter illos ſcilicet deſtruendos, qui veraciter nō credentes affectant de ejus aliqua prædicare magnalibus: Poſt veram fidem ſi quidem ſancta debet venire confeſſio, ne illud audiat importunitas, Pſal. 49. *peccatori autẽ dixit Deus, quare tu* Aug. *enarras juſtitias meas?* Non igitur perfectè credunt, qui quod credunt, loqui nolunt; ad ipſam enim fidem pertinet illud etiam credere quod dictum eſt, *qui me confeſſus fuerit* Mat. 10. *coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo*; & ex hoc appellatus eſt fidelis ille ſervus non tantum quia accepit, ſed quia impendit & lucratus eſt. Quia verò qui piè vivere volunt & pro veritate zelant, perſequutiones patiũtur, ideo addit: *Ego autem humiliatus ſum nimis*. Notandum eſt quod dicit *ego*, quia homo humiliari poteſt ab eis qui veritati contradicunt, non ipſa veritas quam credit & loquitur; unde Paulus cum de catena ſua diceret *Sermo inquit Dei non* 2. Tim 2. *eſt alligatus*. Per particulam *nimis*, denotat immenſitatem tormentorum in quibus ex humana infirmitate pavebãt ſancti martyres, quando etiam loquendo ſub diſcrimine gladij confeſſi ſunt. Et ne quis Caſſiod. putaret hanc veram fidei confeſſionem mortalium viribus attri-

Digitized by Google

attribuendam, quid proprium humanitas habeat, ipſe profitetur dicens.

Verſ. 11. *Ego dixi in exceſſu meo: omnis homo mendax.* Si hęc ad hiſtoriam referas, ſenſus eſt, quod David cum trepida ac præcipiti fuga ſibi conſuleret, in quodam ſtupore & conſternatione poſitus, non quieto animo ſuſpicatus ſit, ſed in metu, & ſui parum compos, adlatravit potius, quam dixit, Samuelem in illis regni pollicitationibus, ſimul ac omnem hominem, falli potuiſſe, cum regni aſſecutionem conciperet impoſſibilem, ex eo quod morti magis proximus factus eſſet, quam vitę. Vel aliter, *Omnis homo* ex ſe, & ex fragilitate ſuæ naturæ de ſe præſumens, eſt *mendax*; & quia hanc conſiderationem non facile potuit invenire, niſi humanos affectus ratione excedens, addidit, *in exceſſu*, quando anima

Caſſiod. corporea ſorde purgata, cauſas rerum manifeſtis ſpeculationibus intuetur. Magna ſiquidem prudentia geritur, ut ſibi aliquis imprudens eſſe videatur; nam ſicut leves ac fatui ſe eſſe veraciſſimos mentiuntur, ita illuminati, mendaces ſe eſſe agnoſcunt. Quapropter hęc nos regula certa conſtringat, ut quando carnis fragilitate mendaces ſumus, noſtrum eſſe fateamur; quando veraces, divinis meritis applicemus. Conterritus igitur reſpexit infirmitatem ſuam, & vidit non de ſe ſibi eſſe pręſumendum. Quantum enim ad ipſum hominẽ pertinet, mendax eſt, ſed gratia Dei verus effectus eſt, ne inimicorum preſſuris non loqueretur quod crediderat, ſed negaret; ſicut accidit Petro, quoniam de ſe pręſumpſerat. Hoc itaque conſiderans devotiſſimus fidelium teſtium populus, quomodo infirmitatem humanam Dei miſericordia nõ relinquat, in cujus infirmitatis pavore dictum eſt *Omnis homo mendax*;

Magalr.

mendax, quomodo conſoletur humiles, & impleat fiducia trepidantes, ut penè mortuo corde reviviſcant, & in ſemetipſis fidentes non ſint, ſed in eum qui ſuſcitat mortuos, & linguas infantium facit diſertas, conſequenter ſubjunxit:

verſ. 12. *Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi?* Primò tribuit Deus in creatione animam & corpus homini, & propter ejus conſervationem omnia, quæ extra eum ſunt produxit, ſed longè majora retribuit in recreatione, quando repugnantibus peccatis noſtris miſit unigenitum filium ſuum, qui juſtitiam una manu, miſericordiam altera apprehendit; & mirabiliter conjunxit ſeipſum tormentatum, crucifixum ac mortuum, interponens ad noſtram juſtificationem: ut ſicut per Adam, in quo radicaliter eramus, omne malum fluxit in ramos, ita per Chriſtum, qui eſt ſcala Iacob, ſecundum carnem terram tangens, ſecundum divinitatem cœlos penetrans, omne bonum ad nos deſcendit, & viciſſim aſcendit omne meritum noſtrum ante thronum ſanctiſſimę Trinitatis, ut libro vitæ inſcribatur ad æterni præmij retributionem. Conſiderans ergò homo divini amoris inappretiabilem valorem, in magna pœna & hæſitatione conſtituitur, ſe debitorem cognoſcens, & materiam non inveniens retributionis. ſed quia naturalis obligatio fruſtra eſſe non poteſt, ſola reſtat voluntas, quæ aliquid dare poteſt; & primum quod dare poteſt amor eſt, conveniens & acceptabile donum; qui enim cuncta dat per amorem, reciprocum petit hominis amoré, nil acceptat, quod amore non ſit informatum: Denique non ſatisfit divino amori, niſi per amoris retributionem; ideo quia *amorem* Ioã. 15.
majorem nemo habet, quam ut animam ſuam ponat quis pro

amicis

Digitized by Google

amicis ſuis; rectè addit:

Verſ. 13. *Calicem ſalutaris accipiam; & nomen Domini invocabo.* Secundum Hiſtoricos, ſacra olim erant inſtituta convivia, in quibus ſolemnes Deo pro maximis illius beneficijs, gratiæ agebantur: Vnde eo ex ritu Kemhi Hebræorum doctiſſimus, ita hunc locum exponit: quando convivium lætus exſtruxero, levabo calicem vino plenum, & gratias agam Domino, propter hanc ſalutem mihi conceſſam in conſpectu multorum aſſidentium. Alij per calicem vas libaminum intelligunt; Erant enim apud Iudæos varij ſacrificiorum modi; quorum unus libamen ſalutaris dicebatur; vas autem illud quo libabant, calicis figuram habebat. Pulcherrimè verò ac breviter definita eſt martyrum mors *calix ſalutaris; calix*, quia ſub menſura bibitur; *ſalutaris*, quia in ęternam ſalutẽ Domino præſtante propinatur; in hebręo enim habet, calicem Iheſu accipiam; hoc ipſum & Angelus interpritatur, *& vocabis nomen ejus Ieſum, ipſe enim ſalvabit populum ſuum*: Calicem ergò Ieſu accipiam, id eſt, poculum paſſionis bibam pro illo, qui prior bibit pro me, & iſta ſola eſt digna compenſatio paſſionis ejus, pro ſanguine ſanguinem retribuere, ut liberati à Salvatore, pro Salvatore libenter ſanguinem profundamus: Et quamvis hæc retributio non ſit ſecundum abſolutam & perfectam ęqualitatem actionum, cum Deus pro hominibus, Dominus pro ſervo, juſtus pro peccatore paſſus eſt; tamen quia nihil aliud habet ſervus quod retribuat Domino, reputat illi Dominus pro æqualitate. Digna igitur hęc eſt promiſſio, ſed ſi in humanis viribus ponatur, periculoſa præſumptio, quis enim poteſt confeſſoribus tormentorum patientiam dare, niſi qui ligneum ſa-

Fo-leng. Caſſiod. Matt. 1.

M lutis

Digitized by Google

lutis poculum è quo crux for-
mata eſt, pro nobis dignatus
eſt accipere? Nã ut hoc huma-
nę virtuti impoſſibile abſolu-
tè monſtraret, proſequitur; *Et
nomẽ Domini invocabo:* cujus fre-
tus auxilio credebat ſe com-
plere, cui carneam fragilitatẽ
non putabat poſſe ſufficere.

verſ. 14. *Vota mea Domino reddam co-
ram omni populo ejus*; id eſt, de-
ſideria mea moriẽdi pro Chri-
ſto actu complebo, & hoc, *co-
ram omni populo ejus*, non eru-
beſcens mori pro ipſo, ut per
me multiplicetur, dilatetur, ac
extendatur in cordibus pluri-
morum, honor, laus, & gloria
Dei. Revera quiſque ſeipſum
vovet, debet ſeipſum reddere,
hoc exigitur, hoc debetur:
Hinc eſt quod conſpecto num-
Leodol. mo dixit Dominus, *reddite quæ
Mat. 22. ſunt Cęſaris Cęſari, & quę ſunt Dei
Deo*; imago ſua reddatur Cęſa-
ri, imago ſua reddatur Deo; nec
mirum quod ita facit, quia;

verſ. 15. *Prætioſa in conſpectu Domini;
mors ſanctorum ejus.* Reſpon-
deant nunc Iudæi quomodo
omne corpus humanum di-
cunt eſſe immundum in lege:
Denique ſi quis moriatur apud
Iudęos, ſive Propheta, ſive
qualiſcumque ſanctus; ſi quis
eum tetigerit, uſque ad veſpe-
ram immundus eſt; hoc ſe-
cundum literam in lege ſcri-
ptum eſt. Benè enim dicitur
prætioſa, quæ ſanguine noſcitur
comparata, ut in conſpectu
Domini eſſet eximia; hanc
cognoſcimus Dominum fa-
mulis ſuis magna gratię uber-
tate conferre, quam ipſe di-
gnatus eſt aſſumere: O mors Caſſiod.
vitalis, ô interitus ambiendus,
ô tranſitus glorioſus, quę mem-
bra Chriſti imitari ſuum ca-
put facis: Et ut ſit *prętioſa* non
divitijs oblatis efficitur, ſed
effuſione ſanguinis compara-
tur: emit enim eam ſanguine
ſuo, quem prior fudit pro ſa-
lute ſervorum, ne pro Domi-
ni nomine ſervi fundere ſan-
guinem dubitarent, quod ta-
men eorum, non Domini uti-
litati

Digitized by Google

Mazal. litati proficeret. Confiteatur itaque conditionem ſuã mancipium tanto prætio comparatum; & dicat.

verſ. 16. *O Domine quia ego ſervus tuus: ego ſervus tuus, & filius ancillæ* Caſſiod. *tuę*. Venit ad poſitionem ſecundam, ubi munere ſingulari ſuſcepto exclamat dicens, *O Domine ego ſervus tuus:* admiratur enim ſe talia beneficia ſuſcepiſſe, qualia ipſe pro redemptione mundi eſt dignatus aſſumere: quomodo enim non miraretur ſervus conditione primi hominis implicatus ad illa venire, quæ tanta majeſtas dignata eſt elegiſſe? pavor eſt dicere quæ beneficia ſuſcipiat, qui ſuis actibus meretur offenſam; nam ut admirationis ſtudio declararet augmentum, repetit, *ego ſervus tuus*, addit, *& filius ancillæ tuæ*, ut humilitatem ſuam triplicatis confeſſionibus indicaret: Sed & in Hebræo eſt anah pro *ô Domine*, quę vox ingentem deprecantis ſonat affectum. Vnde non dicit hìc communem ſervitutem, ſed eam quę oritur ex magno amore & affectione: etenim quovis diademate præclarius eſt eſſe ſervum Domini, & non ſervum peccati. Quia non habeo inquit Dominos homines; quia non habeo Dominum peccatum, *nec enim regnat in meo mortali corpore*, propterea, *ego ſervus tuus ſum*, grande meritum. Romã. 6.

Quocirca Deus quoque pro maxima laude poſuit dicens: *ſed non ſicut ſervus meus Moyſes:* Et Abraham, & Iſaac, & Iacob, dicuntur ſervi Domini. Propterea & Apoſtolus ita incipit, *Paulus ſervus Ieſu Chriſti*. Adjectum eſt, *filius ancillę tuę*, hoc eſt, à multis retrò ſæculis, à tempore majorum meorum, dicatus ſum tuę ſervituti. Quod etiam Paulus poſuit in Timotheo pro maximo ornamento, dicens; *recordationem accipiens ejus fidei quę eſt in te non ficta, quę habitavit primùm in avia tua Loide, &* Numer. 12. Romã. 1. 2. Tim. 1.

matre tua Eunice, certus ſum au-
2. Tim. 3. *tem quod & in te, qui ab infantia*
didiciſti ſacras literas. Et rurſus
Phil. 3. de ſeipſo. *Hebræus ex Hebręis.*
2. Cor. 11. Et rurſus. *Hebręi ſunt, & ego;*
Iſraëlitæ ſunt, & ego. Proſelytos
enim antecedebant, qui à ſuis
majoribus tales erant. Vel *fi-*
lius ancillę tuę, id eſt, Eccleſiæ
ſanctæ ancillæ tuę, quę me ti-
bi per fidem & verbum tuum
in Spiritu ſancto genuit: &
ideo competenter advertimus,
non eſſe martyrium niſi quod
ſervus Domini & Catholicæ
filius meretur Eccleſiæ: quæ
Ludol. meritò dicitur ancilla in præ-
ſenti, dum hic humiliter ſer-
vit & militat, in futuro autem
ſcilicet in patria, erit libera &
ſponſa, quoniam erit in am-
plexu ſponſi ejus ſcilicet Chri-
ſti, & cum eo regnabit in æter-
num, cujus filijs adhuc pere-
Gal. 5. grinantibus dicitur; *vos in li-*
bertatem vocati eſtis: & rurſus
eos ſervos fecit dicens, *ſed per*
Romi. 6. *charitatem Spiritus ſervite invi-*
cem: quibus iterum dicitur, *cum*
ſerviebatis peccato liberi eratis ju-
ſtitiæ, nunc autem liberati à pecca-
to, ſervi autem facti Deo, habetis
fructum veſtrum in ſanctificatio-
nem, finem verò vitam æternam.

Dirupiſti vincula mea: Tibi
ſacrificabo hoſtiam laudis, & no-
men Domini invocabo. Virtutem Caſſiod.
hîc martyrij ſentimus exponi,
cujus impetu triumphali diſ-
rumpuntur omnia vincula
peccatorum, & aſtringuntur
vincula dilectionis; nulla e-
nim in homine macula rema-
nere poteſt, quam pius ſanguis
abluerit; quicumq; verò ſan-
ctus extinguitur morte ex le-
ge naturæ adveniente, licet
miſericordias operatus ſit, fe-
cerit ſigna, demones ejecerit,
non vadit ad Dominum ſe-
curus, conditionis humanæ
eſt, ſub diſcrimine exitus con-
turbari, *non vult expoliari, ſed* 2. Cor. 5.
ſuperveſtiri, & qui *nullius conſci-*
us eſt qui tamen in hoc juſtificatus 1. Cor. 4.
non eſt, de conditionis affectu,
de ſanctitatis defectu anxius,
judicium quod ignorat, vere-
tur.

tur. Martyr autem etſi poſt Baptiſmum peccaverit, tamẽ ſecundo Baptiſmate martyrij ablutus, ſecurus vadit ad Dominum, qui virtute martyrij diſrumpit & abſumit vincula peccatorum, pænalitatum, & omnium ſatisfactionum, & de vinculis plicat coronam victoriæ: *Ubi enim abundavit delictum, ſuperabundavit & gratia.* Romã. 5.

verſ. 17. *Tibi ſacrificabo* non hyrcum aut vitulum, illa Iudaica erant & tranſierunt, ſed *hoſtiam laudis,* quia diſrupta fuerant vincula peccatorum, quod ſacrificium minus videtur Domino acceptum: ipſe enim docet in Euangelio, *decem ſalvati ſunt, & non eſt inventus qui daret gloriam Deo, niſi hic Samaritanus:* ſicut autem martyres laudant purè Dominum in regione vivorum, ita etiam religioſi qui pſallunt die ac nocte, debent eandem puritatem habere martyrum, & ſeipſos offerre acceptabilẽ hoſtiam, vitia in ſe mortificando, nec non ſe in pœnitentia mactando cum gratiarum actione. Luc. 17. Hieron.

Vota mea Domino reddam in conſpectu omnis populi ejus, in atrijs domus Domini, in medio tui Ieruſalem: Si hìc Chryſoſtomi expoſitionem addere libeat, dicit is quod cum beatus David Prophetica edoctus gratia, prævidiſſet quæ superventura erant Iudæis in obſidione & captivitate Babylonica, prorupit in hęc verba dicens, *credidi, &c.* quod captivi erunt Iudæi, & quod in patriam iterum reſtituentur: & propterea hac de re *locutus ſum* varijs in Pſalmis, dolens autẽ captivorum vicem, *humiliatus ſum* valdè, & conſiderans maximam humanæ felicitatis inconſtantiam & ſignanter ſtatus Iudęorum mutationem, penè redditus ſine ſenſu, dixi verè omne bonum humanum fallax eſt: quia propriè naturæ ratione permanens non eſt. verſ. 18. Chr. Euth. Monac.

 Verum

Digitized by Google

Verum quia illos in patriam iterum revocandos perſpexi, magno affectus gaudio dico, *quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi?*

Sed nunc prætactum verſum juxta ſupradicti ſenſus conſequentiam exponamus. Dixit itaque Propheta, *vota mea Domino reddam in conſpectu omnis populi ejus*; hoc etiam ſuperius dixit, ſed non eſt fruſtra quod idem Spiritus ſanctus replicavit: nam cum ſuperius dixit *vota mea Domino reddam*, præmiſſum eſt, *calicem ſalutaris accipiam*, ut hoc votum ſit omnipotenti Deo reddere, paſſionem martyrij pro
Magal. amore ejus ſuſcipere: Nunc verò dicens *vota mea Domino reddam*, præmiſit, *tibi ſacrificabo hoſtiam laudis*, quare hujus voti redditionem poſſumus intelligere ſacrificij & laudis immolationem, neque enim tantum Domino Deo votum redditur, cum pro amore ejus corpus hominis occiditur, ſed hoc eſt ei magnum votum reddere, cum interior homo ſpiritualis amoris gladio ſe immolans, ſeipſum non ceſſat Deò in ſacrificium laudis offerre *in conſpectu omnis populi ejus*, ut bona confeſſio generalitatis auribus imbibatur ad ædificationem,
In atrijs domus verſ. 19.
Domini quantum ad Eccleſiam Lud. militantem, per quam tamquam per atrium intratur in domum Domini æternam, non manufactam, ſi ad Eccleſiam triumphantem atrium referatur, atrium enim eſt porticus ad ingrediendum medium domus, ibi tenebo nec dimittam, & adorabo Dominum, quem in Euangelio legens inveni crucifixum, in cœlis video regnantē cum Angelis, *in conſpectu omnis populi ejus*, coram omni cetu ſanctorum, *in medio tui Ieruſalem*, quæ eſt cœleſtis civitas pacis, & mater noſtra, cujus jam civis & domeſticus effectus ſum, per Ieſum Chri-

ſtum

ſtum Dominum noſtrum, qui & nobis præſtare dignetur, ut compreſſo bello carnali, charitatis ſuę nobis pace largita, filijque effecti civitatis cœleſtis, ſanctis ſuis mereamur adjungi pro meritis, ipſi gloria cum æterno Patre & Spiritu ſancto, in ſæcula ſæculorum, Amen.

Psalmus CXVI.

De adventu Chriſti in carnem promiſſo, & miſericorditer exhibito.

Verſ. 1. L*Audate Dominum omnes gentes, laudate eum omnes populi*, Notandum quod
Nicol. gentiles pręponit hic Iudęis, quia pauci de Iudęis primò crediderunt, & multi de gentilibus, ſicut dicit Apoſtolus:
Romã. 11. *Cæcitas ex parte contigit in Iſraël, donec plenitudo gentium intraret, ut ſic omnis Iſraël ſalvus fieret*. Quod autem omnes gentes laudaturæ atque
Hieron. adoraturę eſſent Deum; hoc Magi ab oriente venientes inchŏaverunt, offerentes munera nato homini regi ac Deo: Idem titulus ille prænuntiavit, quem ſuper crucem Dominicam poſuit Pilatus, ſcriptum hebraicè, græcè, & latinè, quo generaliter omnes gentes commonentur Dominũ debere laudari, ac cunctorum fidelium in unum redacta laudatione, collaudari, cujus laudis rationem ſubjungit dicens.

Quoniam confirmata eſt ſuper nos miſericordia ejus, & veritas Domini manet in æternum. Verſ. 2.
Quoniam firmata fuit in ejus incarnatione, confirmata in paſſione miſericordia ejus, id eſt, reparatio hominis miſericorditer Hugo.

Digitized by Google

corditer promiſſa: & benè dicitur *confirmata eſſe ſuper nos miſericordia ejus*, quamvis enim ſine miſericordia numquam fuerit, tamen miſericordia ejus *confirmata* major & mirabilior apparuit, cum univerſas infirmitates carnis, quibus ob culpam humana ſubjacet natura, abſq; culpa dignatio ſuſcepit divina, & Deus majeſtatis ſeipſum exinaniens, non ſolum terreno mortaliũ corpori, ſed etiam infirmæ ac puſillę infantium ſe configuravit ętati, ut ſuam oſtenderet miſericordiã noſtra indutam miſeria, & novo miſerendi genere de ipſa miſeria miſerorum operantẽ remedia. Ad hoc ſiquidem ars miſericordię beatitudinẽ Dei, & miſeriam hominis in unitate mediatoris temperavit, ut operante ſacramento unitatis, per virtutẽ reſurrectionis beatitudo miſeriam abſorbeat, mortemq; vita deglutiat, & totus homo glorificatus in divinæ conſortiũ naturę tranſeat.

Adjecit etiã. *Et veritas Domini manet in æternum.* Veritas eſt Ieſus Chriſtus, qui de ſeipſo dicit; *ego ſum via, veritas & vita:* Ioã. 14.
Ipſe puer natus eſt nobis, puer antiquus dierum, puer, forma corporis & ætate, antiquus dierum, incomprehenſibili verbi æternitate; de quo etiam ſcribit Apoſtolus, *Ieſus Chriſtus heri & hodiè, ipſe & in ſæcula.* Heb. 13.
Nos verò ſupplices Dominum deprecemur, ut appareat benignitas & miſericordia Salvatoris noſtri Dei, quatenus per hanc digni efficiamur & idonei, quibus tandem appareat majeſtas & divinitas Creatoris noſtri Dei, ipſi laus in ſæcula ſæculorum, Amen.

PSAL-

Digitized by Google

Pſalmus CXVII.

De laude bonitatis divinæ: & de beneficijs nobis exhibitis.

verſ. 1. *Confitemini Domino quoniam bonus: quoniam in ſeculum miſericordia ejus.* Controvertitur inter Scriptores quo tempore David hunc Pſalmum compoſuerit: Aſſignant aliqui dies iſtos, cum arca inſigni pompa in urbem invecta, populus in delicijs eſſet. Alij item tum, cum ab Iſraële in regem inaugurare-tur: Re itaque incerta relicta, quæ explorata ſunt ſequamur. Confeſſio ergò hæc non ád peccatorum remiſſionem, ſed ad laudem pertinet Deitatis, cujus materia & cauſa aſſignatur, cum ſubditur, *quoniam bonus* per eſſentiam, à quo omnes creaturæ bonæ ſunt participativè & dependenter, ut à cauſa efficiente, exemplari, & Ludol. finali. Prima itaque ratio laudis eſt bonitas illius in ſe, quia cum propter ſe laudatur, laudatur gratis, & ſic laudandus eſt; cum propter vitam æternam, minus gratis laudatur, cum verò propter beneficia temporalia, omnino non gratis; bona tamen eſt laus, ſi ad iſta non referatur principaliter. Ipſius quoque Boni quem dixerat expoſitio dilucidatur, *quoniam in ſæculum miſericordia ejus*: id eſt, æterna eſt ejus miſericordia, ſicut & ipſe, cum idem ſit ei eſſe, & miſericordem eſſe. Effectus quoque divinę miſericordiæ manet in ſæculum, quia non ſolum juſti miſericordia circumdantur, ſed etiam peccatores ſalvantur, ubi enim miſericordia flagitatur, interrogatio ceſſat, ubi miſericordia poſtu-

Digitized by Google

latur, judicium non ſævit, ubi miſericordia petitur, pœnæ locus non eſt, ubi miſericordia, quæſtio nulla, ubi miſericordia, condonata reſponſio eſt: & quia qui in hac vita non requirit miſericordiam Dei, prçveniendo, certè in futuro non inveniet eam ſed potius iram, ideo ſubditur.

verſ. 2. *Dicat nunc Iſraël quoniam bonus, quoniam in ſçculum miſeri-*
verſ. 3. *cordia ejus. Dicat nunc domus Aäron: quoniam in ſæculum miſeri-*
verſ. 4. *cordia ejus. Dicant nunc qui timent Dominum: quoniam in ſæculum miſericordia ejus:*

Omnes enim hi bonitate & miſericordia Dei multis modis potiti ſunt, Domus quidem Iſraël, quç captivitates perpeſſa innumerabiles, quç in Ægypto ſervijt, quç in orbis terrarum extrema abducta eſt, quç in Palæſtina mille toleravit afflictiones, teſtis eſt locuples magnalium Dei; pariter & Domus Aäron, etenim propter eam ignis dimiſſus eſt, terra aperta eſt, virga germinavit, & innumerabilia alia patrata ſunt miracula. Verum hoc nomen Iſraël rationabiliter accipi poteſt pro congregatione juſtorum, ſcilicet hominum exiſtentium in via ſalutis çternæ, cum ei nominis ſenſus non ſolum conveniat, ſed principalius conveniat quam alicui alij. Iſraël enim interpretatur mons videns, ſive princeps Deo ſuo, ſive fortis directio Dei ſui: Si ergò communis populus Chriſtianus debet Dominum laudare, multò fortius Sacerdotes & miniſtri Eccleſiæ, intellecta divina bonitate Sacerdotium gerant animæ ſuç, & Deiformiores effecti, ſicut ſupremi Angeli thearchicum radium ſive divinum lumen inferioribus tradunt, ita puſillos de utilibus inſtruant, ut ardenter, deſideranter, & reverenter ad Deum ſe convertant.

Et quia non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris, ideo Nicol.

circa

Digitized by Google

circa prædictos ad laudem Dei invitatos, oſtendit quorum laus eſt Deo accepta, dicens. *Dicant nunc qui timent Dominum, &c.* ſcilicet timore filiali, qui radicaliter ex amore procedit: nam timor ſolus de ſe non poteſt dari, niſi cum pœna & triſtitia, fatigatione & cöactione, non ſponte, non liberè, quia non eſt donum voluntarium: Sed quando conjungitur cum amore, tunc liber eſt, ſpontaneus, & voluntarius, nec pœnam habet aut triſtitiam, ſed gaudium: Et multum convenit timor iſte cum amore, quia confortat, juvat, & ſolidat amorem, unit & ligat voluntatem magis cum Deo, ideo timor & amor ſunt duę cathenæ, duo clavi tenentes voluntatem fixam cum Deo, nec Deo convenit aliter amari, quia appareret quędam æqualitas & nulla ſuperioritas.

Et bęnè dicit *qui timent Dominum*, eſt enim timor qui oritur ex amore Dei bonus, ſanctus, & juſtus; eſt & alius timor qui oritur ex amore proprio, malus & inordinatus, & iſti duo timores faciunt operationes contrarias, quia timor Dei non multiplicatur, ſed eſt unus ſolus, quia qui timet Deum, nihil timet aliud, quia nihil aliud eſt timendum, & ideo unit & fortificat hominem cum Deo, & nullam pœnam nec triſtitiā dat, quia ſemper conjunctus eſt cum bono amore, ſed timor qui oritur ex amore ſuiipſius, multiplicatur in infinitum, immo ex uno amore oriuntur infiniti timores, qui enim primò amat ſeipſum, ſummè amat vitam ſuam, ſuum eſſe, & conſervationem ſuiipſius, & ideo ſummè timet perdere ſeipſum primò, & ſuam vitam, quia eſt res perdibilis & deſtructibilis, & ipſe non poteſt conſervari per ſeipſum, & per conſequens timet omnia iſta quæ poſſunt perdere, deſtruere, ſeu diminuere

nuere ſeipſum, & ſuum eſſe, & vitam ſuam, & ideo timet mortem, infirmitatem, peſtes, terram, aquas, aërem, ignem, venena, animalia, & homines, omnia denique quæ poſſunt vitam auferre. Item qui ſeipſum amat, amat proprium honorem, famam, laudem; & excellentiam, carnis delectationes, divitias, amicos, &c. & ideo timet illa omnia quæ rebus amatis contrariantur, & quia timor alicui debetur quia Dominus, & ille qui timet eſt tamquam ſervus, ſequitur quod homo qui primò non timet Deum, conſtituit ſe ſervum & ſubjectum omnium creaturarum, & omnis creatura dominatur ei, & ſic incurrit infinitas ſervitutes.

Ecce ergò qualiter timor malus multiplicatur in infinitum, cujus fundamentum eſt, quod res amata perdibilis ſit & varietati ſubjecta. Sed qui amat primò Deum, quia Deus non eſt res quæ poteſt deſtrui & auferri, nec corrumpi, nec per violentiam tolli, nec aliquid ſibi poteſt nocere, ideo nihil aliud timet, ſed ſolum timet eum quem amat, & ſic amor Dei non multiplicat timores, ſed ſolum habet unicum timorem, qui cum amore liberat ab infinitis timoribus malis. Ergò qui primò timet Deum, eſt ſolum ſervus unius, & ſolum unum habet Dominum, qui eſt Dominus omnium creaturarum, timet quod timendum eſt, & ideo habet bonum timorem: Sed qui non timet Deum primò, timet quod primò timendum non eſt, quia timet creaturas de nihilo factas, & talis timor eſt contra naturam hominis, in quantum homo eſt; & contra totum ordinem creaturarum, quia creaturæ ſunt factæ propter hominem ad ſerviendum homini: Sed timor Dei eſt ſecundum naturam hominis, in quantum eſt homo, & ordinem omnium rerum.

Digitized by Google

rum, ideo convenit homini & proficit ſemper. Vides igitur de quo timore loquatur Pſalmiſta, quoniam timor & confeſſio laudis quæ poſſunt dari abſq; amore, non ſunt acceptabilia, quia nō ſunt voluntaria nec gratuita, niſi oriantur ab amore & fundentur in amore: Ideo qui timet ſine amore, habet triſtitiam & pęnam, & qui honorat ſine amore adulatur.

Dicant ergò qui timent Dominum quoniam in ſæculum miſericordia ejus: id eſt, Omnes ſervi Domini ſine exceptione qui colitis & diligitis Dominum, omnipotentis Dei cum timoris reverentia miſericordiam decantate, quam gratioſè fecit vobiſcum dum animā inſignivit ſua imagine, decoravit ſimilitudine, participem rationis, & capacem fecit ęternæ beatitatis. Sed quia hęc modica non immeritò fortè judicarentur, ſi mortis termino claudi poſſent, cum prędictis dedit naturam immortalem, ſubſtantiam incorruptibilem, durationem interminabilem, vitam perpetuam. Sed & nunc ô homo converte radium contemplationis ad tuā ſuper omnes creaturas poteſtatē: Omnis natura ad hunc finem curſum dirigit, ut tuis utilitatibus deſerviat, tuiſque oblectamentis ſecundum diſtributionem temporū indeſinenter occurrat; Ecce Angeli purgant & inflammant tuum affectum, illuminant & informant tuum intellectum, adſiſtunt oranti, adſtant meditanti, magno ſtudio te in bono conſervant, magno deſiderio te ad æternam ſalutem exſpectant: Cœlum tibi deſervit per ſuum motū; luminaria cœli per ſuum influxū; Sol cauſat tibi diem; Luna illuminat tibi noctem, ignis tibi temperat aëris frigiditatē, aër tibi mitigat ignis internā caliditatem, aqua mundat tibi fœtorem, reſtinguit ſitis ardorem, fœcundat terrę ſiccitatē,

terra verò te ſuſtentat ſua ſoliditate, nutrit fertilitate, delectat amœnitate. Cogita ergò homo quis hoc inſtituit? quis iſtud præcepit naturæ, ut ſic unanimiter ſerviat tibi? unde & clamat omnis creatura, accipe, redde, accipe beneficium, redde debitum, ſentis beneficium, & hoc negare non potes, cognoſce ergò beneficij datorem, & confitere illi *quoniam bonus, quoniam in ſæculum miſericordia ejus.* Sed quia humana actio à ſenſibilibus incipiens, ſępè ad ſpiritualia non progreditur niſi homo per tribulationem ſibi ipſi oſtendatur, ut recognoſcens juſtitiam, videat averſionis culpam, ac ejus requirat miſerationes in adverſis, cujus bonitatem non conſideravit in ſecundis, ſubditur in Pſalmo.

verſ. 5. *De tribulatione invocavi Dominum, & exaudivit me in latitudine Dominus.* Tribulatio ſiquidem tamquam malleus ſeu martellus eſt percutiens animam, & faciens ipſam intrare in Deum, dum Ionam & tribulatum quemlibet de ventre piſcis clamare compellit ad Dominum, quem vana proſperitas reddiderat ſomnolentum; in cujus curia expedit hominem, quaſi ſolutio pro liberationis litera, nec pati potuit repulſam Lazarus, qui habuit tot ora ad Deum clamantia, quot habuit in corpore vulnera: quod ulterius declarat dicens, *Et exaudivit me in latitudine Dominus.* Quia ſicut martellus aurifabri dilatat aurum, unde formandum eſt vas frequenti percuſſione, ſic Deus Fabricator univerſæ creaturæ ordinat tribulationem ad cordis dilatationem, ut plura donorum ſuorum in eo poſſit reponere: Licet ergò duri ictus martelli te affligant, in hoc tamen conſolare, quod aurifaber cordis tui in manu tenet martellum, & benè novit moderari ictum ſuum ſecundum poſſibilitatem mate-

riæ

Digitized by Google

riç recipientis, & ſecundum
quod vaſis forma requirit: imo
1. Cor. 10. quod majus eſt, *faciet cum ten-*
tatione proventum, ut illa in tu-
am vertatur utilitatem & glo-
riam cum fuerit ſuperata; ſi-
cut patuit in Abraham, in Iob,
in Ioſeph, in Tobia, & tandē
in martyribus Chriſti, quos
omnes eo glorioſiores tenta-
tio effecit, quo fuit ipſa vehe-
mentior. Eț quia multū pro-
deſt ad vires & animum col-
ligendum & ſtrenuè pugnan-
dum, ſi attendamus Deum
nos adſpicere, ideo dicit:

vers. 6. *Dominus mihi adjutor, non ti-*
vers. 7. *mebo quid faciat mihi homo. Do-*
minus mihi adjutor, & ego deſpi-
Magal. *ciā inimicos meos,* id eſt, ex quo-
libet genere inimici inſurgant,
ſive ex genere malorū homi-
num, ſive ex numero malorū
angelorum, ego ſupra huma-
nam aſcendens imbecillitatē,
deorſum aſpiciam, non ſolum
non timens, ſed quod plus eſt,
vilipendens & pro nihilo ha-
bens inſultus perſequutionis
eorum, divinę gratiæ ſcuto
protectus, quod apud ſęculū
quidem diſtinguitur à coro-
na, apud Deum verò eſt unū;
ipſe eſt ſcutum, ipſe eſt victo-
ria & corona noſtra. Sed quia
ſpei aptè correſpondet hujuſ-
modi protectio, benè ſubjun-
git.

Bonum eſt confidere in Domi- vers. 8.
no, quam confidere in homine, Bo- vers. 9.
num eſt ſperare in Domino, quam
ſperare in principibus: Licitum
eſt humanis conſilijs, auxilijs,
beneficijſque uti juxta naturæ
ordinem & curſum à Deo no-
bis inſtitutum, nam revera ip-
ſe eſt qui tribuit auxilia, & per
quæcumq; media nobis ſub-
venit homo, Deus ipſo medi-
ante hoc facit: Sed ſpem fi-
nalem in homine ponere, va- Nicol.
num eſt, ipſe ex ſe nihil po-
teſt, ſępè decipit, deficit, & fal-
lit, & quovis vento agitabili-
or; promptum habet in ore
quod promittat, nihil in ope-
re quod exhibeat, non lingua
animæ conſonat, non opera
linguæ:

Digitized by Google

linguę reſpondent; nihil in eo niſi fictio & duplicitas, & rei à promiſſis diſcrepantia: ſupplantat unuſquiſque proximum ſuum, & invidet filio genetricis ſuæ. Sed & favore Principum nihil mutabilius, nihil periculoſius : quorum
Eo. leng. poteſtas non ſolum cum hoc ſæculo labitur, ſed hodiè dant torquē auream, & cras mortis
Eſth. 7. laqueum, ut in Aman probavit eventus, & ſic una eademque hora amplectuntur & obtruncant. Volve & revolve homo non tantum ex auditis, ſed etiam ex expertis, quam fallax ſit humana fiducia, quam fucata amicitia, quā pernitioſa invidia, quam mutabilis gloria; & ſpera in Domino qui non relinquit ſperantes in ſe ex toto, quamvis ad tempus pro ſua pietate quandoque deſerat, ſed adjuvante gratia ſua hìc in pręſenti vita dat benè operari, ut copioſè poſtmodum in ęternum ſummo bono quod ipſe eſt, poſſit remunerare : unde pia & fidelis illa Eſther dicebat;
Domine mi, qui Rex noſter ſolus Eſth 14.
es, adjuva me ſolitariam, cujus prę-ter te auxiliator eſt nullus, quia ſpem in alium numquam habui præter in te Deus Iſraël. Hinc etiam Pſalmiſta favorem Dei contra morē hominum conſtantiſſimum expertus, ſubjungit.

Omnes gentes circuierunt me: Verſ. 10.
& in nomine Domini quia ultus ſum in eos; id eſt, omnes gentes ſimul in me irruentes impetū fecerunt, ac veluti in ſagena
me comprehenderunt: primò Caſſiod.
enim quando religio innotuit Chriſtiana, omnes gentes diverſis cladibus affecerunt fideliſſimos viros, qui tamen in ſuis perſequutoribus juvante Domino vindicarunt, quando eos converſione mirabili ſubdiderunt, ut de ſe pœnitentibus pœnas exigerent, quas pridem innocentibus ingerebant; vel alias hìc per gentes intelligit peccatores genti-

Digitized by Google

gentiliter viventes, qui varijs modis aggrediuntur, nunc blanditijs, nunc minis ad malum pertrahendo: & *in nomine Domini* vici eos, auxilium namque ejus fugat à me omnes inſultus, tam hominum perſequutorum, quam dæmonum peſſimorum, *quia ultus ſum in eos* amputando capita eorum, hoc eſt, motus primos vitiorum, tentationum & perſequutionum, ne conſentirem eis quantumcumque in me ſęvirent: nam,

verſ. 11. *Circumdantes circumdederunt me, & in nomine Domini quia ultus ſum in eos.* Benè hìc non eſt repetitum *omnes gentes*, ut ſubtiliter indicaret paſſionem, quam Eccleſia primò pertulit in ſuo capite, quam à ſolis Iudæis conſtat eſſe completam; quia illìc ipſe populus qui eſt corpus Chriſti, perſequutores ſenſerat, de quorum gente caro illa ſuſcepta eſt, & pro quo factum eſt, quidquid ab illa interiori divinitate, per exteriorem carnē virtute immortali, mortaliter factum eſt. Repetens autem Propheta ſæpius ſe circumdatum fuiſſe, & ſæpius ultum inimicos ſuos, hujuſmodi repetitione, & inevitabilis periculi magnitudinem oſtendit, & admirandam fuiſſe liberationis rationem conſtituit: ac denique iterum pulchra uſus eſt ſimilitudine ad commonſtrandam inimicorum ſuorum vehementiam, promptitudinem, & effrenatam iram.

Ma-gal.

Circumdederūt me ſicut apes, & exarſerunt ſicut ignis in ſpinis, & in nomine Domini quia ultus ſum in eos. verſ. 12. Hìc ipſum Dominum caput Eccleſiæ rectè accipimus, qui à ſęvientibus Iudæis circumdatus, paſſionis ſuę per totum mundum mella profudit; apes enim favum circumdant, quando per domos cereas mella recondunt, & cum ſibi putant victualia reponere, faciunt unde homines poſſunt ſua deſideria ſatiare:

Caſſiod.

O

tiare: Neſcientes autem perſequutores Domini, fecerunt eum nobis ſua paſſione dulciorem, ut *guſtemus & videamus quam ſuavis eſt Dominus*, qui *traditus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter juſtificationẽ noſtrã.* Iam verò quod ſequitur, *exarſerunt ſicut ignis in ſpinis*, in ejus corpore, hoc eſt, in ejus populo ubique diffuſo, melius intelligitur, quem tribulationibus vallatũ omnes gentes exurere voluerunt: de eis quoque Domini gratia vindicatum eſt, quando de illo melle converſi ad Dominum, ſuaviſſimè ſunt repleti; & qui eorum contempſerunt vocãtis miſericordiam, veritatem judicantis in fine ſenſuri ſunt. Vel aliter,

Pſal. 33. Romã. 4. Aug.

Circumdederunt me tam fortiter & tam acriter, *ſicut apes* blandientes ore & vulnerantes occultè, quæ cum aliquem pungunt, frangunt aculeum & inde moriuntur, vel inutiles remanent: Ita perſequutores juſtorum, nec non peccatores adulantes, blandè exterius loquuntur, interius tamen in corde ſeviendo ſeipſos interficiunt & necant, & planè inutiles fiunt ad dulcedinem mellis Spiritus ſancti percipiendam; apes namque favum circumdant ut mel infundant & augeant; ita ipſi diverſimodè circumdantes me ad tribulandum, auxerunt in me virtutes, *& exarſerunt ſicut ignis in ſpinis*, id eſt, ſicut ſpinæ dant igni fomenta ut magis ardeat, ſic ſpinæ & tribulationes ipſorum faciunt, & pariunt in me majus incendium amoris; nam peccata in me igne perſequutionis cremaverunt, cui volentes nocere, profecerunt. Vel aliter, *Circumdederunt*, id eſt, omni ex parte ſenſualiter & intellectualiter ſubjectus ſum tentationibus, nam interius radicè & cauſam habeo, à qua peccatum cepit in primum hominem pullulare, à quo hæc mihi pœna relicta eſt,

Digitized by Google

eſt, ut appetitus ſenſitivus ſit proximè diſpoſitus & expeditus, ut poſſit exire in actum ſine menſura rationis, & ſic à ſenſualitate incipit concupiſcentia prætendens delectationem melleam & dulcem, ut exardeſcat ſicut *ignis in ſpinis* rationis, quę inordinatos motus refrenare deberent. Sed conſideravi finem quomodo pungunt per æternæ mortis obligationem, *& in nomine Domini quia ultus ſum in eos*. Ecce quomodo malorum magnitudinem expreſſit, à multitudine, à figura, à promptitudine, ab ira illorum qui invadunt. Dicit etiam ab ijs quæ ipſe paſſus eſt,

verſ. 13. *Impulſus everſus ſum ut caderē, & Dominus ſuſcepit me*. Contingit hominem cadere diverſimodè, primò per illaqueationem irretitum fraudulenter; unde ſcriptum eſt, *Abſcondita*
Iob. 18. *eſt in terra pedica ejus, & decipula illius ſuper ſemitam*. Pedica laqueus pedum eſt, moraliter autem pedes animę, cordis ſunt affectiones, qui pedica in terra abſcondita illaqueantur, quando terrenarum rerum amorę *incident in tentationem &*
in laqueum diaboli, & deſideria 1. Tim. 6.
multa inutilia, quæ mergunt hominem in interitum & perditionem. Secundò contingit cadere per deſcenſum, aut in lubrico incedentem, & hic caſus eorum eſt, qui poſt carnē in immunditiæ concupiſcentia ambulāt, unde & per Prophetam dicitur. *Lubricaverunt veſtigia noſtra* Thr. 4.
in itinere platearum noſtrarum, appropinquavit finis noſter. Hæ ſunt plateæ delitiarum in quibus plurimi obligati ſunt & ceciderunt, de quibus rurſus ſcriptum eſt; *Idcirco via eorum erit* Ier. 23.
quaſi lubricum in tenebris, impellentur enim, & corruent in ea. Tertiò cadere hominem contingit impulſum violenter. Spiritualiter quidem à nobis impellimur interius, & ab homine & diabolo exterius: cadit autem homo cui Domini

Digitized by Google

fortitudo ſubtrahitur, unde munimen adverſus hunc caſum oſtendit cum ſubdit; *Et Dominus ſuſcepit me*, ac ſi diceret, cum ille erectorum everſor ita impelleret, ut parum abfuerit quin caderem & deturbarer, apprehendi petram firmam, columnam ſtabilem quæ portat omnia, id eſt, Dei virtutem, & Dei ſapientiam, Dominum Ieſum Chriſtum, & ideo meritò,

Verſ. 14. *Fortitudo mea & laus Dominus, & factus eſt mihi in ſalutem.*

Aug. Qui ergò cadunt cum impelluntur, niſi qui ſibi ſua fortitudo, & ſibi ſua volunt eſſe laudatio? ſola enim gratia Dei fortem me effecit in bello, tradens armaturam Dei & ſcutū paſſionis Salvatoris mei: nam fortitudo corporea à Spiritu ęmanat, omnibus autem Spiritibus, & proinde etiam humano, fortior eſt dęmon; quiſquis igitur dęmonem ſuperare voluerit, alio Spiritu quam humano opus eſt ut pugnet, Spiritu ſcilicet Ieſu Chriſti, quem corpori ſuo myſtico communicavit; is benè cogitandi, benéque volendi, & benè operandi, ſufficientiſſimum eſt & ſolum principium, & contra quaſlibet tribulationes inexpugnabile propugnaculum. Ne autem laudem ſibi arroget eorum quæ ſine dicto Spiritu agere nulla ratione poteſt, addit, *laus mea Dominus*, id eſt, laudatio & gloriatio mea, ſive argumentum carminis mei, eſt Servator Dominus: nihil enim quod Deo magis conveniat habere poſſumus, quam laudem & honorem, quæ ſunt virtutis prępmia: Et benè actorū omnium virtus in Deo eſt, ex quo omnis ſufficientia noſtra, à quo *omne datum optimum, &* Iac. 1.
omne donum perfectum eſt.

Notandum quoque quod dicit, *Fortitudo & laus mea*, nā licet gratia nobis à Deo mera ſua liberalitate donetur, quamprimùm tamen nobis donata eſt,

Digitized by Google

eſt, noſque illam libero aſſenſu recepimus; noſtra jam effecta eſt, & quæcumque ab ea proficiſcuntur, verè noſtra ſunt, & ex radice, quæ in nobis eſt, oboriuntur: hinc alibi dicitur;
Iſaie 26. *A facie tua Domine concepimus, & parturivimus, & peperimus Spiritum ſalutis*; ubi per faciem, gratiam, per concipere, proponere, per parturire & parere, operari tam intrinſecè quam extrinſecè, & per ſalutis Spiritum opera meritoria intelligere debemus. Similiter Paulus ad Corinthios ſcribit, *Gra-*
1. Cor. 15. *tia Dei ſum id quod ſum*; dicit quidem *ſum*, ſupple juſtus, ſed *gratia Dei*, qua gratis à Deo reformatus eſt animus meus, juſtum me effecit, & juſtorum operum effectorem, cum opus aſſimulari neceſſe ſit formæ, quâ operans operatur, ideo
Ibid ſequitur, *Abundantius omnibus laboravi, non autem ego, ſed gratia Dei mecum*; quoniam neque Paulus ſine gratia, neque gratia ſine Paulo, ſed gratia ut principium, quod cum Paulo operatum eſt: ſed principio à Sapientibus opus adſcribi, omnibus certum eſt; quare & 1. Tim. 4.
Paulus coronam gloriæ à juſto judice ex debito juſtitiæ ſibi reddendam aſſerit; quod etiã attendens Pſalmiſta ſubjungit:

Vox exultationis & ſalutis in verſ. 15.
tabernaculis juſtorum; id eſt, in conſcientijs & ſecretis cordium bonorum, qui ſunt tabernaculum Dei per inhabitantem Spiritum ſanctum in eis; & benè dicit *in tabernaculis*, nõ in domibus, volens oſtendere non diligenter extructam, ſed extemporalem habitationẽ, quali in procinctu utimur, cujus *depoſitio velox eſt*, quia juſti 2. Petr. 1.
diſſolvi cupiunt, & eſſe cum Chri- Phil. 1.
ſto, adhuc in mundo exiſtentes extra mundum ſurgunt, & ideo quando perſecutores eorum putant eos mœrore confici, & tribulatione conſumi, illi divina contemplatione Caſſiod.
gaudentes, de ſua pœna exul-

tant & lætantur, quia non niſi tormentis itur ad aſtra Dei, martyres dum lachrymantur inter flagella & cruciatus terribiles, triſtes videntur eſſe in vultu, ſed gaudent in corde, ſecuri de ſpe cœleſtium prœ-
Romi. 8. miorum, ſcientes quia *non ſunt condignę paſſiones hujus temporis, ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis*. Et ut cognoſceres unde dictum gaudium proveniat, conſequenter ſubjungit.

Verſ. 16. *Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me, dextera Domini fecit virtutē.* Dextera Dei Chriſtus eſt; per dexteram enim Dei primò ęqualitas ejus intelligitur, & Chriſtus ſecundum divinitatem æqualis eſt Deo: Item dextera eſt
Prover. 3. æternitas vitæ. *Longitudo dierum in dextera ejus*, in qua Chriſtus eſt in æternum manſurus. Item dextera eſt honoris po-
Act. 2. teſtas. *Dextera Dei Chriſtus eſt exaltatus*. Hæc ergò *dextera, fecit virtutem*, à peccatis & periculis me liberando: *Dextera* Hugo.
Domini exaltavit me ab humilitate diverſarum paſſionum, elevando me de luto vitiorũ, ad ſtatum gratię in virtuoſis operibus promovendo, præſervando à recidivo peccati, atque in gratia confirmando. Vel, *dextera Domini exaltavit me*, id eſt, glorificavit me, non ſolum enim in liberatione à malis, ſed etiam in acquiſitione gloriæ, Dei conſiſtit beneficium; & benè dicitur *dextera Domini* exaltare, illius enim eſt quod peccato reſiſtimus prævalemuſque: Verùm victoria frui noſtrũ eſt; illius eſt quod corona donaris, ut datam verò contineas, tui muneris eſt, & ideo in gratiarum actione præ lætitia extenditur, & eandem ſententiam repetit, *Dextera Domini fecit virtutem*: Ma- Magal.
gna igitur virtus eſt exaltare humilem, Deificare mortalẽ, præbere de infirmitate perfectionem eis à quibus paſſus eſt, de ſubjectione gloriam, de paſſio-

Digitized by Google

paſſione victoriam, ut afflictis vera Dei ſalus pateſceret, affligentibus autem vana ſalus hominis remaneret.

Verſ. 17. Et cum hoc ita ſit, *Non moriar, ſed vivam: & narrabo opera Domini.* Hanc coronidem ad omnia quæ præceſſerunt referendam puto; ubi abeſt Chriſtus, ibi mors, omnia ergò quæ vivunt per Chriſtum vivunt; dicebat ille, *Manete in me & ego in vobis, ſicut palmes non poteſt ferre fructum à ſemetipſo niſi manſerit in vite, ſic nec vos niſi in me manſeritis.* Vel aliter, contra illa hęc dicuntur, quæ adverſum Eccleſiam Chriſti perſequutorum loqui ſolet veſana procacitas, ad hunc ferè modum: Illi omnem quo me interimerent volverunt lapidem, verum ego adhuc illis invitis vivo, vivamque diutius quam illi volent, atque ita Dei per me celebrabuntur operationes. Nam ſancti martyres cum ita eſſent in periculo mortis conſtituti & deſperatione vitę, per flagella, verbera, lapidationes, ſubitò virtute Dei corroborati confortabantur, & quaſi ex mortuis vitam recipiebant; Sic legimus de beato Paulo, quia cum Lyſtris tamdiu eſſet flagellatus, lapidibus obrutus, per plateas quoq; civitatis tractus quouſque quaſi mortuus relinqueretur; nocte eadem tranſcurrente, diluculo cœpit in Derben verbum Dei publicè prędicare. Vel *non moriar* morte culpæ & pœnæ, ſed *vivam* vita animę, gratiæ ſcilicet in pręſenti, & gloriæ in futuro æternaliter cum Chriſto; *&* interim quamdiu hìc ero, *narrabo*, id eſt, annunciabo alijs, *opera Domini* ad laudem ſuam, ut per hoc Eccleſia augeatur; Deinde oſtendit cauſam quare non morietur æterna morte, dicens,

Margin notes: Ioã. 15. — Caſſiod. — Act. 14. — Hugo.

Verſ. 18. *Caſtigans caſtigavit me Dominus, & morti non tradidit me.* Norma hæc eſt Dei, ut crux pijs vita ſit animis, impijs autem

tem

tem mors; Caſtigat ergò me Dominus, quando quotidiè pręproperis meis reſiſtit votis, dico ſapiens efficiar, & ipſe longè recedit à me, clamo ad eum, nec exaudit me, volo accedere ad eum, & repellit me; decerno rem, & in contrarium mihi cedit, & per omnia ferè in duritia manus ſuæ adverſatur mihi; ſed *morti non tradidit me*, divina clementia, quæ duritiam ſe ſimulat, ſed magna pietate pugnat adverſus eos pro quibus pugnat nēpe ut contrarietate ipſa animum acuat, vires exercitet, conſtantiam probet, multiplicet victorias, augeatque coronas. Licet enim inſtar Iacob in vitæ hujus ſtadio cum Deo luctemur, non uſque ad enervationem femoris, ſed etiam uſque ad corporis mortificationem, abſit tamen ut fortis adverſum nos exiſtat, mortique nos tradat, qui pro nobis infirmari uſq; ad mortem voluit, tot vulneribus confoſſus eſt, toto corpore crucifixus eſt; Vnde quæſo virtus ei eſſe poteſt ad reſiſtendum illi charitati, quę veluti victum & captum per omnia genera infirmitatum *uſque ad mortem, mortem autem crucis* perduxit? jam non fortis ut mors, ſed fortior quam mors dilectio, cum virtute dilectionis infirmata ſit uſque ad mortē Dei fortitudo, cujus tamen infirmitas inventa eſt fortior omni fortiſſimo, cujus mors probata eſt eſſe *mors tua, ô mors*. Videns ergò populus fideliū quod qui ſub diſciplina ſunt, filij ſunt & hæredes cœleſtis Ieruſalem, ejus januas ſpiritali fervore ſibi poſtulat aperiri.

Phil. 2. Oſee 13.

vers. 19. *Aperite mihi portas juſtitiæ, ingreſſus in eas confitebor Domino, hęc porta Domini, juſti intrabunt in eam.* Sunt portæ mortis, ſunt portæ interitus, ſunt portę vitę, ſunt portę arctæ & anguſtę: quoniam ergò ſunt multę, dicit inſigne civitatis

Domini

Domini,ſubjungẽs; *hæc* eſt *porta Domini*; illę enim non ſunt Domini, quodnam eſt autem ejus inſigne? quod qui caſtigantur
Mat. 7. ingrediuntur per eã, eſt enim *arcta & anguſta*, quemadmodũ quæ *ducit ad interitũ, lata eſt & ſpatioſa*: Quibus ergò dicitur *aperite*, niſi Prophetis & Apoſtolis, qui cœlorũ claves myſticis virtutibus acceperũt? qui etiã benè per allegoriã portę vocati ſunt, portæ enim dictæ ſunt per quas victualia civitatibus importantur, ſicut & per illos animarum pabula
Caſſiod. conſtat inlata. Sed quęrendum cum primò dixerit portas, cur ſtatim voluerit ponere portam in numero ſingulari? Scilicet ut deſignaret Prophetas atque Apoſtolos januas quidem eſſe cœlorum, ſed has omnes ad unam poſſe perducere, quia univerſæ conſueverunt ad Dominum intromittere Salvatorem, qui & porta poteſt appellari quam Sancti introëunt in virtute Dominicæ paſſionis, quia per ſanguinem Chriſti aperta eſt janua vitę, unde & ipſe in Euangelio dicit, *ego ſum oſtium*. Ait ergò, Ioã. 10.
Aperite mihi inſtando ô perſecutores, *portas juſtitiæ*, id eſt, portas tribulationis & mortis per quas juſti intrant in requiem, (*Per multas enim tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei*,) & ego *ingreſſus in eas*, id eſt, per eas ad vitam, *confitebor Domino*, id eſt, laudabo eum in voce exultationis, quia *Hæc porta Domini* eſt qua exivit de mundo, Chriſtus enim ſic paſſus, ſic intravit in gloriam ſuã, & *juſti* imitantes caput Chriſtum, *intrabunt in eam, non* enim *eſt ſervus major Domino ſuo*. Ludol. Act. 14. Verſ. 20. Luc. 24. Ioã. 13.

Vel aliter, *Aperite mihi portas juſtitiæ*, quaſi diceret, ſicut terra aperitur corpori, ſic cœlum aperiatur animæ, propter quod & præſens verſus canitur in exequijs mortuorum; & benè dicit *portas juſtitię*, quia tunc non eſt tempus miſericordiæ ſed juſtitiæ: unde fa- Hugo.

Digitized by Google

tuis virginibus tunc dicentibus *Domine Domine aperi nobis*, Mat. 25. Dominus reſpondit, *amen dico vobis neſcio vos*, qui autem hìc juſtitiam fecerit ſanctè vivendo, tunc ſecurè dicere poterit *aperite mihi portas juſtitię*, 2. Tim 4. quia *bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi; nunc mihi reddenda eſt corona juſtitiæ:* Et *ingreſſus in eas*, quando dictum mihi fuerit *Intra in* Mat. 25. *gaudium Domini tui*, tunc *confitebor Domino*, quia in patria eſt confeſſio laudis ſempiterna. Vel poteſt hic verſiculus allegoricè exponi, circa quod ſciendum, Nicol. quod ſalvatio generis humani facta eſt per fidem Chriſti paſſi & glorificati, propter quod David loquens in perſona generis humani, primò dicit *aperite mihi portas juſtitię*, id eſt, Sacramenta Eccleſię ſcilicet novæ legis, quibus credentes juſtificamur & plenam juſtificationem aſſequimur, *& ingreſſus in eas*, id eſt, in illis receptus, *confitebor Domino*, ei gratias agendo. Et quia omnia Sacramenta habent efficaciam à Chriſto, eo quod omnia fluxerunt de latere in cruce dormientis, ideo ſubdit, *hæc porta Domini*, id eſt, Chriſti qui eſt filius Domini Dei Patris, ac ſi diceret, omnes portę prædictæ, id eſt, Sacramenta, referuntur ad unam portam quæ eſt Chriſtus: unde & ipſe dicit *ego ſum oſtium, per me ſi quis* Ioã. 10. *introïerit, ſalvabitur*; ideo ſubditur, *juſti intrabunt in eam* per fidem & devotionem, & ſic intrabunt per eam in requiem & gloriam ſempiternam: Deinde convertit ſermonem ad Dominum dicens.

Confitebor tibi quoniam exau- verſ. 21. *diſti me, & factus es mihi in ſalutem.* Iam ſępè oſtendimus laudis eſſe iſtam confeſſionem, non vulnera medico oſtendentis, ſed de percepta ſanitate gratias agentis, ipſe autem medicus ſalus eſt. Ait ergò, *Confitebor tibi* confeſſione lau- Hugo. dis ô Domine, *quoniam exaudiſti me*

Digitized by Google

ſti me in omni anguſtia & tribulatione, redimendo me per mortem tuam, *& factus es mihi in ſalutem*, id eſt, Salvator meus, dans mihi de paſſione victoriam, & animæ juſtificationem; deinde oſtendit per quem factus eſt in ſalutem, ſcilicet per lapidem angularem, id eſt, Chriſtum, nam,

Lu-dol.

verſ. 22. *Lapidem quem reprobaverunt ędificantes, hic factus eſt in caput anguli.* Tradunt Hebræi Salomone ædificante Templum, lapidem magnum fuiſſe, qui cum diu tamquam non neceſſarius reprobaretur; actum eſt divinæ voluntatis conſilio, ut totius domus fabrica nequaquam poſſet perfici, niſi lapis in angulo poſitus utrumque parietem conjungeret: hic lapis præfiguravit Chriſtũ, qui propter ſuam ſoliditatem & immobilitatem lapis dicitur, quem pro nihilo habuerunt & contempſerunt *ędificantes* videlicet Pontifices, Sacerdotes, & Doctores Iudæorum, quem legebant in Scripturis & non intelligebant, ad quorum officium ſpectabat populum ædificare in moribus & fide, ſed fabricam minimè perfecerunt, quoniam ipſum qui erat lapis fortiſſimus, more dementium putaverunt eſſe tenendum. Dominus autem Chriſtus *factus eſt in caput anguli* connectens duos parietes, unum de circumciſione, alium de præputio in uno novo homine, hoc eſt, in ſemetipſo, à Domino Patre mediator factus noſter & ejus; & ideo inter cœlum & terram crucifigi voluit & mori, ut ima ſummis reconciliaret: Inclinavit enim Patrem (qui erat pars læſa) ad miſericordiam, & creaturam peccatricem elevans in humili recognitione ſuę offenſæ, traxit ad ſpem & ſui amorem; ideo inſuper brachia extendit, ut juſtitiam & miſericordiam in favorem humanæ naturæ reconciliaret; juſtitia enim punire volebat

Lyra

Caſſiod.

peccata, quæ & privationem gloriæ & pœnas merebantur inferni; è contra miſericordia prò peccatorum clamabat remiſſione, quæ contrarietas concordari non poterat, niſi per Ieſum Chriſtum, qui ſe inter utramque ponens, juſtitiam una, miſericordiam altera manu apprehendit, & mirabiliter conjunxit in oſculo pacis: Iuſtitiæ ſatisfactum eſt,
1. Petr. 3. quia *juſtus pro injuſtis mortuus eſt*, cujus opera ex divinitate accipiebant infinitatem valoris: miſericordia quoq; contentata fuit, videns hominem ſoluto captivitatis vinculo, re-
Romá. 8. dactum *in libertatem filiorũ Dei*: & ne lapidem iſtum ſaxeis montibus putares exciſum, conſequẽter adjunxit dicens:

verſ. 23. Caſſiod. *A Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris.* Lapidem iſtum in ſalutem mundi *à Domino* dicit *factum*, ſed dum memorat *factum*, natura humanitatis oſtenditur, iſte *mirabilis eſt in oculis* fidelium, quia non ſolum eum corporaliter, verum etiam illuminata mente conſpiciunt; viderunt enim & Iudæi, ſed non mirabilem, quia ſolam intuebantur carnem quam videbãt eſſe communem.

Hæc eſt dies quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea. verſ. 24.
Hic lapis angularis ipſe eſt dies ſalutis, qua ſcilicet factum eſt tempus novi Teſtamenti; tempus enim novi Teſtamenti vocatur dies ratione veritatis revelatæ, quæ latebat ſub figurarum obſcuritate; propter quod Apoſtolus vocat vetus Teſtamentum noctem, & novum Teſtamentum diem, dicens, *Nox præceſſit, dies* Romá. 13.
autem appropinquavit: *Quam fecit Dominus* ad redemptionem & ſalutem cunctis gentibus; hanc diem dicit Dominum feciſſe ſingulariter, non quia eam plus alijs, ſed quia in ea plus quam in alijs fecit, in qua Dominus venit, & ſpecialem gratiam exhibuit, in hac ſiquidem

Digitized by Google

ſiquidem die & in hoc tempore novi Teſtamenti, ſpecialiter nos illuminavit, & cordibus noſtris lucem ſuæ cognitionis infudit,& ideo *exultemus* corpore in operibus bonis, *& lętemur* corde devotis orationibus. Iſte autem verſus multotiens cantatur in die reſurrectionis Domini, quæ
Hugo. ſpecialiter & propriè dicitur dies, eo quod Sol juſtitiæ Chriſtus Deus noſter, tunc ortus eſt de ſepulchro, & tenèbras infidelitatis amovit,in qua diabolus jus ſuum perdidit, homo revixit, & mundus ſalutem accepit: *Exultemus* ergò *& lætemur* in hoc lapide prætioſiſſimo, angulari, fundamentario, ac juncturarum omnium ædificij conciliatore, qui à Iudęorum perfidia neglectus & fractus, revixit tamen immortalis, atque ad Dei dexteram aſcitus, factus eſt Rex univerſorum. Ad quę quidem nos,qui ad illius ſtructuram pertinere confidimus, ſupplices noſtris in ærumnis, quibus tota hæc reſperſa eſt vita confugiamus,clamemuſque tamquam unus animus & cor.

O Domine ſalvum me fac;ô Domine benè proſperare: Benedictus qui venit in nomine Domini. Verſ. 25.
O Domine, ſic tu noſtram operare ſalutem, ô Domine, ſic nobis fac nunc proſperè credere iſtam quam tu es operatus ſalutem, ut per fidem rectam, & converſationem dignam,ejus efficiamur participes. *Benedictus qui venit in nomine Domini*; In hoc ſiquidem Verſ. 26.
benedictus eſt à Patre Filius, ut qui benedixerit ei, benedictionibus repleatur, non una ſcilicet, ſed pluribus, quia nimirum benedictio quam quis Domino fęneratur, cum multiplici fænore redit in caput ejus. Et quia populus Chriſtianus percepit de benedictione Chriſti in participatione Sacramentorum, ideo in perſona eorũ qui benedicti ſunt,

Digitized by Google

& delegati à benedicto, ſubjungit:

verſ. 27. *Benediximus vobis de domo Domini: Deus Dominus & illuxit nobis*; id eſt, nos majores Sacerdotes ô reliqui Chriſtiani, imprecati ſumus vobis benedictionem *de domo Domini*, id

Ludol. eſt, de Eccleſia Catholica, unde ſalutare baptiſma venit, unde communicatio ſancta procedit, unde olei ſacrati unctione mundamur, unde denique omnis vera benedictio pręſtatur, quia extra eam non eſt verum ſacrificium, nec benedictio: Ipſa tamen benedictio non eſt à Sacerdotibus, licet per eos miniſtretur, ideo

Hugo ſubjungit, *Deus Dominus*, id eſt, Ieſus Chriſtus Dominus noſter & verus Deus, ille qui venit in nomine Domini, benedixit *& illuxit nobis* tam majoribus quam minoribus, benedictionis ſuę gratiam infundendo, & Spiritum ſuum ſanctum conferendo, qui mentes permeans humanas, in ipſas animæ medullas fæliciſſimos ſuæ cognitionis, addo & amoris, immittit radios; quocirca,

Conſtituite diem ſolemnem in condenſis, uſque ad cornu altaris. Vnus quidam interpretum expoſuit; Agite celebritatem in operientibus, hoc eſt in ſacrificijs, per quę altare operiri ac tegi ſolet, uſque ad ejus cornua, id eſt, uſque ad ejus extremitates: Alius verò; Feſtivitatem, inquit, agite in germinantibus, hoc eſt, in florentibus coronis, atque in virentibus arborum ramis, græcam enim dictioné πυκάζειν. quæ hìc habetur, alij idem ſignificare intellexerunt, quod operire, alij verò idem quod germinare: hebràicum autem ita dicit. Iſruhag baavothim: quod ſimiliter alij ſplendidas hoſtias ſacrificate, alij coronis & ramis templum cingite, vertunt; quidquid ergò ſit, ſignificat feſtum, & diem lætum, & celebrem conventum, ac ſplendidam ſolemnitatem; quæ

Digitized by Google

quę juxta Hebręos quidem, eo modo agenda eſt, ut jam diximus, juxta fideles verò, ſpiritualibus celebranda eſt ſacrificijs, & virtutum coronis, bonorumq; operum ramis; quorum denſitate ac copia, inviſibile animæ noſtræ obtegatur altare. Vel victimæ nos ipſi ſumus, altare, crux Chriſti, ignis, amor, gladius, fides; Sacerdos autem, qui & ara ſimul eſt, & gladius, & ignis, Chriſtus Ieſus: Et hæc ſolemnitatis dies uſque *ad cornu altaris* præcipitur tendi, quouſque ſcilicet ad ſuperni ſacrificij altitudinem, id eſt, gaudia pertingat æterna, ubi nihil dicemus niſi,

Euth Mo. nac.

Verſ. 28. *Deus meus es tu, & confitebor tibi, Deus meus es tu, & exaltabo te.* Ea, inquit, ratione, quia *Deus meus es* à me tibi maximę agendę ſunt gratię, tametſi nulla in me hactenus contuliſſes beneficia, propter majeſtatem, propter ſubſtantiam, propter gloriam ineffabilem: hoc enim ſignificat, poſtquam dixit beneficia quibus affectus eſt. Iam illud poſtremò notandum, verſum illum intercalarem, nempe *Confitebor tibi quoniam exaudiſti, &c.* in hebræo non inveniri, ſed oſtenſa erga Deum ſui animi conſtantia & fide, exhortationem quam poſuerat in principio, repetit, & omnes generaliter ad laudem Dei invitat dicens.

Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in ſæculum miſericordia ejus. Verſ. 29. In his Pſalmus accipit terminum, in quibus ſumpſit exordium; videlicet ut ab initio credulitatis noſtrę, uſque ad finem in Deum noſtrum fiduciam habẽtes, ejus laudes confiteamur perſeveranter, juxta illud Domini, *Qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit* Matt. 24. qui nobis fiduciam in ſe ſperandi largiri dignetur; Ipſi gloria cum æterno Patre, & Spiritu ſancto, in ſęcula ſæculorum, Amen.

PSAL-

Digitized by Google

Psalmus CXVIII.

Pro intelligentia & cuſtodia divinæ Legis petitio.

Verſ. 1. *Beati immaculati in via,*
qui ambulant in Lege Do-
mini. Per viam tranſito-
riam hanc vitam intelligit, be-
atos eos dicens, qui abſque
reprehenſione per eam ambu-
lant & inculpatè vivunt; græ-
ca enim dictio ἄμωμος, non
tam immaculatum, quam ir-
reprehenſibilé ſignificat, nec
illud vacat quod dicit *in Lege*
Domini, eſt enim Lex peccati,
Romi. ſicut & Apoſtolus ait, *Video a-*
7. *liam Legem in membris meis, repu-*
gnantem Legi mentis meæ, & cap-
tivum me ducentem in Lege pecca-
ti: non ergò ſunt beati in er-
rore inquinati, qui ambulant
in perverſitate ſæculi, ſed qui
ambulant in Chriſto, ipſe e-
Ioā. 14. nim dixit *ego ſum via*, in hac
Ma-gal. via qui ambulant, non errant,
ſi tamen ab hac via non rece-
dant; & eſt via Lex, & ideo
dum immaculati ſunt in Le-
ge Domini ambulant, nec in
hac via ambulare deſinant, ne
immaculati eſſe deſiſtant, ibi
enim ambulare juſtorum eſt,
non pedibus corporeis, ſed
greſſibus probabilis actionis,
ut ſemper creſcant in multipli-
cation virtutum, donec curſu 1.
completo bravium capiant Cor.
cum Apoſtolo: Sed quia ad 9.
hoc quod ambulent in Lege
Domini, exigitur ipſius Legis Lu-dol.
notitia, ideo ſubditur.

Beati qui ſcrutantur teſtimo- Verſ. 2.
nia ejus; in toto corde exquirunt
eum. Et vide quam pulcher ſit Ma.
ordo, quam plenus gratiæ & gal.
doctrinę; non prius *qui ſcru-*
tantur teſtimonia ejus dixit, ſed
prius, *Beati immaculati in via:*
ante enim vita quam doctrina
quærenda

Digitized by Google

quęrenda eſt, vita enim bona & ſine doctrina, habet gratiam, doctrina verò ſine vita, non habet integritatem, ita ut ſi perfectionem requiras, nec vita ſit ſine cognitione, nec cognitio ſine vita. Et qualis eſſe debeat dicta perſcrutatio teſtimoniorum, quæ per Prophetas & Apoſtolos nobis tradita, & miraculis divinis ſunt confirmata, inſinuat clarè cum dicit, *in toto corde* & ſimplici, non duplici, id eſt, non diviſi ut hæretici & amici hujus mundi; ſed toto intellectu & affectu ac tota mentis devotione, *exquirunt eum* pręomnibus alijs ſolum, & non aliud, niſi propter eum. Differt autem contemplatio ſanctorum à contemplatione Philoſophorum, quia hæc eſt propter perfectionem perſonæ contemplantis, & conſiſtit in intellectu, ſed contemplatio Theologica eſt propter amorem ipſius contemplati, & ideo non conſiſtit in intellectu per cognitionem, ſed tranſit in affectum per amorem Dei, tamquam principaliter intentum. Conſequenter notatur qui à prędicta perfectione & contemplatione excluduntur. Caſſiod.

Verſ. 3. *Non enim qui operantur iniquitatem: in vijs ejus ambulaverunt.* Cum beati Ioannis Apoſtoli veracia verba ſint, *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt*, videntur nec ſancti in vijs ejus ambulare, quos cognoſcimus habere peccata. Verum hæc quæſtio veritatis voce diſſolvitur: Sunt enim illicita deſideria quæ originalis peccati neceſſitate committimus, ſed in eis conſenſu animi non detinemur; illi ergò *qui* voluntariè & perſeveranter *operantur iniquitatem*, peccatum, & infidelitaté, id eſt, per plenum conſenſum, & ex plena deliberatione, nefanda delectatione, ac prava dilectione exercent malum, 1. Ioā. 1. Caſſiod.

(ſicut Pagani qui fidem impugnabant, Iudæi qui Chriſtum perverſis machinationibus ſemper perſequebantur, hæretici qui per humanas verſutias novas affectant invenire calumnias; & mali ac falſi Chriſtiani qui proximis ſemper nocent & nocere cupiunt publicè vel occultè,) *in viis ejus non ambulaverunt*, id eſt, ad perennem beatitudinem obtinendam non profecerunt; tales namque in Chriſtum veraciter non crediderunt, neque mandatis Domini obediunt de quibus ſubditur.

Verſ. 4. *Tu mandaſti mandata tua cuſtodiri nimis.* Caſſiod. Dixerat beatum eſſe cui hæc talia ſuffragantur, ut ſit immaculatus, ambulet in Lege Domini, ſcrutetur teſtimonia ejus, & quod eſt perfectiſſimum vivendi genus, *in toto corde exquirat Dominum:* Et ne hæc tanta negligenda viderentur, ſequitur juſſionis dominicæ veneranda pręceptio, ut mandata ejus non ſolum ſedulè, ſed nimiè requirantur; *nimis* autem ſive ad mandantem, ſive ad cuſtodientem referas, pro valdè accipitur: nam aliquando latina lingua hoc verbo ſic abutitur, ut nimis pro eo quod eſt valdè poſitum inveniamus in literis ſacris, & ponamus in ſermonibus noſtris; *nimis* ergò *mandata* Domini oportet cuſtodiri, ubi nec aliquid poteſt ſine culpa pręteriri, nec aliud aliundè admitti, imo plus quam patitur natura carnis cuſtodienda ſunt, & adeo, ut propter temporalia vel timorem mortis, non dimittatur aliquod mandatum incuſtoditum; quia *qui in uno offendit, factus eſt omnium reus:* ergò depræcativè ſubjungit. Iac. 2.

Verſ. 5. *Utinam dirigantur vię meæ ad cuſtodiendas juſtificationes. Utinam* gratiâ tuâ dirigantur, id eſt, in finem debitum diſponantur à te ſcilicet rectore & ductore, *vię meę*, proceſſus cogitationum & locutionum & operum Nicol.

operum meorum, atque omnes actus vitæ meæ, qui per ſe ſunt tortuoſi, *ad cuſtodiendas*, id eſt, diligenter ſervandas *juſti-*
Lu-dol. *ficationes tuas*, id eſt, mandata tua ad vitam activam & contemplativam pertinentia, nec non cęremonias quæ hominem juſtificant ſpiritualiter intellectæ, & perfectam continent juſtitiam. Niſi enim à te greſſus mei dirigantur, nullius roboris erunt & infirmi, infirmi quidem ſumus propter carnis fragilitatem, ſed tu pręcepiſti: utinam ergò fiat mihi quod tu pręcepiſti, & mandata tua juſti, & ſancta, & bona: Sed peccatum per bonum mihi operabitur mortem, niſi adjuvet gratia: Ideo, *utinam dirigantur vię meę* per charitatem à Deo infuſam, nã opera bona extra charitatem, ſunt cur-
Aug. ſus extra viam.

verſ. 6. *Tunc non confundar, cum perſpexero in omnibus mandatis tuis.* Sentit vir ſanctus ſe numquã ſuis in conſilijs, quę à ſpe ęternæ vitę proficiſcuntur, atque adeò in adipiſcenda mentis integritate, quæ in ſedula pręceptorum Dei meditatione ſita eſt, fraudatum iri: *Tunc* in- Ma-
quit, *cum perſpexero*; mandata gal.
quippe Dei tamquam ſpeculum intuenda ſunt ſecundum Iacobum dicentem, *Si quis ad-* Iac.
jutor eſt verbi, & non factor, hic 1.
comparabitur viro conſideranti vultum nativitatis ſuę in ſpeculo: Conſideravit enim ſe, & abijt, & ſtatim oblitus eſt qualis fuerit. Qui autem perſpexerit in Lege perfectæ libertatis, & permanſerit in eà; non auditor obliviosus factus, ſed factor operis, hic beatus in facto ſuo erit: Alioquin Legem Dei habebit ubi non gratuletur, ſed ubi confundatur, ſi voluerit mandata inſpicere quæ non facit. Et quia ad cuſtodiendum mandata Domini requiritur illuſtratio & directio Dei, ideo ſubditur.

Confitebor tibi in directione verſ.
cordis, in eo quod didici judicia ju- 7.
ſtitię tuæ. Te ô Domine cele-

Digitized by Google

brabo, ſimplicique vitæ inſtituto ac ratione quod rectum eſt, quoque itur ad te conſilium, laudibus meritò efferam; quia ſecretiſſimam me docuiſti tuę Legis virtutem & efficaciam, dirigens cor & animũ meum ad prędicta intelligenda, cuſtodienda, & opere adimpléda. Nam nihil prodeſſet quod ea didicerim, ſi corde perverſo habeã vias pravas: non enim lætarer in eis, ſed accuſarer ab eis: quapropter.

Juſtificationes tuas cuſtodiam,
verſ. 8. *non me derelinquas uſquequaque*: id eſt, præcepta tua juſtificantia adimplebo, & quia imbecille valde arbitrium humanum ſi ſe nititur, fortiſſimũ, ſi Deo, dicit, *ne me derelinquas* ſub
Magal. trahendo auxilium protectionis tuæ, *uſquequaque*, id eſt, penitus, ex toto. Plerumq; enim derelinquit Deus, quos vult probare, penitus derelinquit, quos deſerit, *ne derelinquas uſquequaque*, ſi dereliquiſti me ut ſine auxilio tuo infirmus apparẽã, noli *uſquequaque*, ne pereã, Si dereliquiſti me ne gloriarer in me, noli *uſquequaq;*, & juſtificatus abs te, gloriabor in te; tunc *dirigentur viæ meæ, tunc non confundar*, tunc *confitebor*, tunc *juſtificationes tuas cuſtodiam.*

IN quo corrigit adoleſcentior viam ſuam? in cuſtodiendo ſermones tuos. verſ. 9. Interrogat ſe, & reſpondet ſibi: Sed hoc loco cuſtoditio ſermonum Dei, eſt operatio pręceptorum, fruſtra enim cuſtodiuntur memoria, ſi non cuſtodiuntur & vita: Aug. non ergò ait *in quo* exercet junior memoriam ſuam, ſed *in quo corrigit viam ſuam?* atque ad hoc reſpondet, *in cuſtodiendo ſermones tuos*: Neque ullo Magal. modo dicenda eſt via recta, quamdiu eſt vita perverſa, ſed quid velit iſte *adoleſcentior*, an fortè admonitio eſt qua potiſſimum ætate corrigere ſe quiſque debeat, ſecundum quod alibi dicitur, *fili à juventute tua excipe doctrinam, & uſ-* Eccl. 6.

que

que ad canos invenies ſapientiam? Eſt & alius intellectus, ut hìc ille agnoſcatur Filius Euangelicus junior, qui *profectus in regionem longinquam, effudit ſubſtantiam ſuam vivens luxurioſè*, & poſtea quam porcos pavit, & egeſtatem famemque perpeſſus eſt, ad ſemetipſum reverſus ait; *Surgam & ibo ad Patrem meum*: in quo enim correxit *viam ſuam*, niſi *in cuſtodiendo* verba Dei, quę tamquam panē paternum eſuriens concupivit? neque enim correxit viam ſuam frater ſenior qui patri ſuo dixit, *ecce tot annis ſervio tibi, & numquam mandatum tuum præterivi*; junior ergò ille correxit *viam ſuam*, quam ſe ita depravaſſe perverſamq; habuiſſe confeſſus eſt, ut patri diceret, *Iam non ſum dignus vocari filius tuus*.

Luc. 15.

Ibid

Ibid

Ibid

Tertius quoque mihi intellectus occurrit quem quidem ego quantum pro modulo meo ſapio, duobus ſuperioribus antepono; ut Senior agnoſcatur vetus homo, & novus junior, Senior, qui portat imaginem terreni hominis, junior qui cœleſtis: quia *non prius quod ſpirituale eſt, ſed quod animale*, poſtea ſpirituale. Sic ergò quilibet licet quantum ad ętatem pertinet corporis, annoſa vetuſtate decrepitus ſit, junior erit apud Deum prædicta novitate converſus, & in hoc *corrigit* junior *viam ſuam, in cuſtodiendo* verba ejus, *hoc eſt verbum fidei quod prędicamus*, & ipſa eſt fides, quę per dilectionem operatur: Sed junior populus, gratiæ filius, homo novus, cantator cantici novi, hæres Teſtamenti. Iſte eſt junior non Cayn, ſed Abel, non Iſmaël, ſed Iſaäc, non Eſau, ſed Iacob, non Manaſſes, ſed Effraim, non Heli, ſed Samuel, non Saul, ſed David: Iunior quippe iſte quemadmodum correxit viam ſuam in ſubſequenti reſponſione oſtendit, *In cuſtodiendo ſermones tuos*, tunc ſcilicet, cum Euangelicam

Aug.

1. Cor. 15.

Romæ. 10.

Caſſiod.

Digitized by Google

cam doctrinã populus Chriſtianus accepit, eo ſiquidem tempore homo correctus eſt, quando veteri pravitate damnata, ad rectæ fidei dona pervenit. Et quia ipſa emendatio & correctio à divina venit gratia, ideo,

Verſ. 10. *In toto corde meo exquiſivi te, ne repellas me à mandatis tuis*; id eſt, totaliter, non dividens mentem meam ad ſæculi hujus cogitationes, *exquiſivi*, id eſt, amavi, *te*, & præ omnibus alijs ex dono tuo deſideravi te, & quia iſtud deſiderium & propoſitum meum à te ſolo eſt, ſupplex rogo *ne repellas*, id eſt, alienum facias, non adjuvando me quaſi indignum, *à mandatis tuis* intelligendis & Aug. implendis, quibus humana non contemperatur infirmitas, niſi tua præveniat & ſubſequatur charitas; Et quia divina intelligens mandata in Hugo ijs delectatur, ideo ſubditur.

Verſ. 11. *In corde meo abſcondi eloquia tua, ut non peccem tibi.* In abſcondito cordis mei, tamquã pręcioſum theſaurum in arcâ repoſui eloquia tua, ne laberer dum in promptu habeo & in abſcondito memorię regulam, quę frenum quoddam eſt meæ ad peccata proclivitati: Et quia in corde ejus eloquia Dei ſine fructu fruſtra abſconderentur, niſi opera juſtitiæ ſequerentur, ideo gratias agens de perceptis, conſequenter orat dicens:

Verſ. 12. *Benedictus es Domine: doce me juſtificationes tuas.* Ne aliquis ſanctam eruditionem Caſſiod. proprijs viribus applicaret, præmittit *benedictus es Domine*, qui in omni bono tua gratia nos prævenis, & ut te velimus interrogare; ipſe te dignaris infundere, qui Legem dediſti, da & benedictionem gratiæ, ut non ſpeculando tantum, ſed etiam operando diſcam, quæ intimando juſſiſti: Et quia habens notitiam mandatorum, vult alios venire ad cognitionem eorum. Nicol.

In

Digitized by Google

verſ. *In labijs meis pronunciavi om-*
13. Ma- *nia judicia oris tui.* Videntur
gal. quidem eſſe amica atque con-
juncta duo iſta, ut quoniam in
corde abſcondit eloquia Dei,
in labijs ſuis judicia ejus pro-
nunciet, *corde enim creditur ad*
Ro- mã *juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad*
10. Caſ- *ſalutem:* Cæterum univerſali-
ſiod. ter non poteſt pronunciari,
quod nullâ notitiâ prævalet
adprehendi; pro parte igitur
figuraliter dicitur totum, quod
in Scripturis divinis frequen-
ter conſtat effectum, & quia
tam libenter ſolliciteque de
Dei lege loquitur, ideo ſubdi-
tur.

verſ. 14. *In via teſtimoniorum tuorum*
delectatus ſum, ſicut in omnibus
Caſ- ſiod. *divitijs.* Via teſtimoniorum eſt
Dominus Ieſus, quoniam de
ipſo loquentia ad ipſum du-
cunt, via certa, iter infatigabi-
le, quæſtuoſus labor, ubi quiſ-
quis pervenerit, ineſtimabili-
um divitiarum delectatione
mulcetur ut ait Apoſtolus,
1. Cor. 1. *Divites facti eſtis in ipſo, in omni*
verbo & in omni ſcientia, (ſicut
teſtimonium Chriſti confirmatum
eſt in vobis.) Teſtimonia quip-
pe Dei ſunt, quibus quantum
nos diligat Deus, nobis pro-
bare dignatur: *Commendat,* in- Ro-
quit Apoſtolus *Deus charita-* mã.
tem ſuam in nobis, quoniam cum 5.
adhuc peccatores eſſemus, Chriſtus
pro nobis mortuus eſt, & cum ip-
ſe dicat *ego ſum via,* procul du- Ioã.
bio via teſtimoniorum Dei 14.
Chriſtus eſt, in quo delectari
debemus plus quam in *omni-*
bus divitijs; plus enim ipſe ſo-
lus poteſt nobis conferre, quã
cætera omnia quæ præter ip-
ſum poſſumus habere aut cõ-
cupiſcere: vel *via teſtimonio-*
rum eſt ſacra Scriptura, quæ Hie-
continet teſtimonia juſtorum, ron.
ſicut enim terrenus homo in
agris vineiſque delectatur, ita
iſte in teſtimonijs Dei incun-
datur de conſcientia pura, qui
contempto mundo, à Deo di-
tatus eſt. Et quia delectatio
inducit ad fortius meditandũ
& operandum, ideò ſubditur.

In

Digitized by Google

Verſ. 15. *In mandatis tuis exercebor : & conſiderabo vias tuas.* Exercitatio aſſiduitas operis eſt, & iſte niſi exercitatus in mandatis Dei fuiſſet, non poterat conſiderare vias ejus: Nemo enim poteſt tantum ſecretum conſpicere, niſi datum fuerit bona converſatione cœleſtibus donis proximare; nam in omni ſcientia præterquam in theologia, theorica præcedit practicam, id eſt, contemplatio actionem, hîc autem practica
Pſal. 24. præcedit theoricam; *viæ* autem *Domini* ſunt ut dicitur in alio Pſalmo, *miſericordia & veritas*, quarum plenitudo in Chriſto fuit, ſecundum quas remunerat ipſe Deus opera noſtra, quas ideo conſidero & diligenter attendo, ut firmior fiam in meditatione & operatione mandatorum Dei,
Gregor. Viæ etiam Domini ſunt, ut mens proſpera fugiat, & ad adverſa pręparetur, nihil quod demulcet appetat, nihil quod deterrere creditur, pertimeſcat, mœrorē præſentem gaudium deputet, præſentis vitæ gaudia damna penſet, abjectionis detrimenta non timeat, ſed per hæc æternę gloriæ locum quærat. Has vias Chriſtus oculis ſequentiū ſe monſtrabat cùm dicebat, *Si quis* Ioā. 12.
mihi miniſtrat, me ſequatur? Ad has vias timentia corda diſcipulorum revocabat, cùm gloriæ locum quęrerent, cujus iter ignorabāt, dicens, *poteſtis bibe-* Mat. 20.
re calicem quem bibiturus ſum? Et quia prædicta exercitatio multum valet, & ceſſatio ab actu conſiderandi tandem inducit oblivionem, ideo ſubditur.

In juſtificationibus tuis meditabor : non obliviſcar ſermones tuos. Verſ. 16.
Oblivio non natura nobis venit, ſed ab originalis peccati infirmitate deſcendit: Huic remedialis oppoſita eſt meditatio, ne memorię culmen nefanda deſtrueret oblivio. *In* Caſſiod.
juſtificationibus igitur *tuis meditabor*, id eſt, mandatis tuis quæ homi-

Digitized by Google

hominem juſtificant, non etiam in literis tantum, ſed in ſanctitate propoſiti; ille enim probatur Legem Dei meditatus, qui omnia ſecundum ſanctitatem gerens, cœleſti puritate ſe in omnibus tractavit.

verſ. 17. R*Etribue ſervo tuo, vivifica me: & cuſtodiam ſermones tuos.* Retribuere verbum eſt non ſolum pro beneficijs beneficia reddere, aut pro benefactis premium, ſed etiam ſimpliciter beneficium præſtare; quem ſenſum ſermo ſubjunctus declarat, cum dicit, *ſervo* Caſſiod. *tuo*, ſervus enim Chriſti dici non poteſt, niſi qui non ſuis meritis, ſed divinæ gratię reputat, quod boni aliquid feciſſe cognoſcitur: poſtulat ergò hìc vivificantem gratiam Dei, qua poſſit vivere & reſurgere à peccato quę eſt mors animę, & ita inquit vivificatus ſive juſtificatus, *cuſtodiam ſermones tuos*, in intelligentia per cognitionem, in memoria per recordationem, in voluntate per dilectionem, in manu per operationem, atque in ore per prædicationem & defenſionem. Sed quia verba Dei non Magal. poſſunt cuſtodiri per obedientiam, niſi videantur per intelligentiam, hoc quoque orationi addit & dicit.

Revela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de Lege tua. verſ. 18. Aufer velum hoc, & tegmen ab oculis animę meæ, craſſitudinem nimirum, & obſtaculum legalis literæ, atque hoc pacto admirabiles & reconditos in Lege ſenſus conſiderabo, qui ad incarnationem atque ad alia adventus tui pertinent myſteria.

Incola ego ſum in terra: non abſcondas à me mandata tua. verſ. 19. Caſſiod. In hac terra juſti ſunt incolæ, qui propriam in mundo non habent manſionem; corpore quidem in terra poſiti ſunt, in cœlis autem probabili converſatione conſiſtunt: quamdiu ergò in corpore poſiti, *pe-*

regrinamur à Domino, (*per fidem* enim *ambulamus*, *& non per ſpeciem*;) ideoq́ue indeſinenter divina illuſtratione indigemus, & ſic petit Propheta ut ei nullatenus celentur, quæ peccatoribus probantur abſconſa, quamvis generaliter pronunciata eſſe videantur, de
Mat. 11. quibus Salvator ait; *abſcondiſti hęc à ſapientibus & prudentibus*:
Hier. nam etſi audiunt non ſapiunt, quia terrena ſapiunt: & quia divinæ revelationes fiunt deſiderantibus eas, ideo ſubditur,

verſ. 20. *Concupivit anima mea deſiderare juſtificationes tuas in omni*
Caſſiod. *tempore.* Concupiſcentia & in malo, & in bono ponitur, in
Exod. 20. malo, *non concupiſces rem proximi tui*, in bono, *concupiſcentia*
Sap. 6. *ſapientiæ, deducit ad regnum*: Ita & hìc dictum eſt *concupivit anima mea deſiderare juſtificationes*
Aug. *tuas*. Videmus enim per rationem nonnumquam quam utiles ſunt juſtificationes Dei, ſed infirmitate aliquando non deſideramus: prævolat nempe intellectus, & ſequitur tardus aut nullus affectus: ideo ergò deſiderare concupiſcebat, quę bona eſſe cernebat, cupiens eorum habere delectationem, quorum potuit videre rationem; hoc autem eſt concupiſcere, quod & deſiderare, nemo enim deſiderat, niſi qui concupiſcit, nec iterum concupiſcit, niſi qui deſiderat quapropter pleniſſimam voluntatem indicat geminata profeſſio, nam adeo ardenter & continuò concupivit, ut unum aliud in infinitum traheret deſiderium: Ideo autem concupivi deſiderare juſtificationes tuas, quia,

Increpaſti ſuperbos: maledicti verſ. 21.
qui declinant à mandatis tuis. Increpaſti ſuperbos angelos ejici- Nic.
endo de cœlo, & primos parentes contemnentes mandatum Dei expellendo de paradiſo, quos delectavit illud *eritis ſicut dij*, & ecce iſta duritia Gen. 3.
infelixq́ue ęrumna mortalium Aug.
quo-

quodammodo eſt hęreditaria increpatio ſuperborum : Increpat autem Deus intrinſecè per propriæ conſcientiæ ſcrupulos, extrinſecè verò, per ſcripturas, per ſanctos, cum terrorem eis divinæ indignationis oſtendunt: & quamvis ſuperbos hìc aſſerat increpatos, qui Deo ſemper ſunt odibiles, generalis tamen & abſoluta ſequitur ſententia, *maledicti qui declinant à mandatis tuis:* & nota quod non ait qui non implent mandata, ſed *qui declinant,* quaſi primum ſit infirmitatis vel ignorantię, ſecundum ſuperbiæ: Illi enim non dicuntur ſuperbè peccare, neque à mandatis Dei declinare, qui licet ſibi non proponant voluntatem peccandi, tamen carnis fragilitate compellente, quandoque peccant; Sed illi ſuperbè peccare, & à mandatis Dei declinare dicuntur, qui ex voluntate animique delectatione peccant, & Dei mandata non curant audire, aut audita conculcant. Sed quoniam ſuperbi nec in tanta increpatione deponunt cervicem, orat cum dicit.

Aufer à me opprobrium & contemptum : quia teſtimonia tua verſ. 22.
exquiſivi. Aufer à me opprobrium
maledictionis quod audio in Lud.
verbis, & contemptum tranſgreſſionis quem ſuſtineo in factis, quia mihi ideo fiunt, quod *teſtimonia tua,* id eſt, præcepta per tuam teſtificationē data, *exquiſivi.* Hoc ergò dicit corpus Chriſti quod jam didicit inimicos diligere, ac petit à ſe auferri iſta, in quantum ſunt culpa non pœna; id eſt, ut à perſecutoribus ſuis amoveatur culpa perſecutionis illis noxia, & convertantur ad Dominum; non à ſe pœna, cum inde perveniat ad coronam. Sed quando Eccleſia ta- Magal.
lia precabatur, ipſa patiebatur, unde ſubjungit.

Etenim ſederunt principes, & adverſum me loquebantur; ſervus verſ. 23.
autem tuus exercebatur in juſtificatio-

Caſſiod. *cationibus tuis*. Auditum ſe à principibus martyrum chorus exponit, qui judiciario more reſidentes, de innocentium perditione tractabant, & quod terribilius erat, ipſi erant accuſatores & judices. Refer hoc ad caput ipſum, & invenies ſediſſe principes Iudæorum, & conſilium quæſiviſſe quomodo Chriſtũ perderent, ipſe autem ut agnus innocens ſtetit inclinato capite, dicens, *ſervus autem tuus*, id eſt, filius tuus qui de tua
Phil. 2. voluntate *formam ſervi* accepit, *exercebatur in juſtificationibus tuis*, factus obediens uſque
Aug. ad mortem. Refer ſecundò ad corpus Chriſti myſticum, etenim *ſederunt* in conſilijs & judicijs cum mora & deliberatione judices ſæculi primatum tenentes, & ipſi apertè *adverſum me loquebantur* mala, falſa, & deriſoria, accuſando & criminãdo; illi ita, *Servus autẽ tuus exercebatur* ad profectum
Nic. ſuum, non cruciabatur ad pænã. Tertiò refer hoc ad membra Chriſti, etenim *ſederunt principes*, ſcilicet dæmones, ſecundum quod dicitur, *non eſt* Ephe. 6.
nobis colluctatio adverſus carnem & ſanguinem, ſed adverſus principes tenebrarum harum: dæmones iſti *ſederunt*, id eſt ſtudiosè immorati ſunt tentando me per illicita deſideria: *& adverſum me loquebantur*, ſuggeſtiones malas immittendo, *Servus autem tuus exercebatur in juſtificationibus tuis*, quia quantum percipit à dæmonibus ſe fortius impugnari, tantò debet magis in operibus bonis exerceri, ad quod requiritur diligens mentis conſideratio, Nic.
unde ſubditur.

Nam & teſtimonia tua medi- Verſ. 24.
tatio mea eſt: & conſilium meum juſtificationes tuę. Conſilium Caſſiod.
inventũ eſt contra malignantium conſilium, nam conſilium ſedentium principum, fuit Magal.
viventes martyres perdere, conſilium patientium martyrum fuit, inimicos perditos in-

Digitized by Google

invenire: reddebant illi mala pro bonis, iſti bona pro malis. Nec mirum quod martyres ſævientibus gentibus temporalem mortem patienter pertulerunt, nam adverſum improbos furores, Domini *teſtimonia* meditata ſufficiunt, cum fructum ſalutarem in eis reſpiciunt, per quem ad æternam coronam ſunt venturi. Caſſiod.

Verſ. 25. *Adheſit pavimēto anima mea: vivifica me ſecundum verbum tuum. Adhæſit* conſenſu *pavimento*, id eſt, carni ac corpori terreno & corruptibili, (quod pavimentum dicitur, quia de terra factum eſt,) *anima mea*, hæc enim cum adhæret corpori, favet delictis, ſi voluntate ſit diviſa virtutibus. quantum autem aliquis proficiat, habet tamen mortalis carnis affectum circa hæc terrena, per quę quotidiè tepeſcit vita ſpiritus, & ad mortem tendit, per gratię quę eſt vita animę vel diminutionē, vel interdum etiam ſublationem. Ab hac autem reviviſci cupit, ideo ſubditur; *vivifica me*, id eſt, reſtitue mihi facultatem per gratiam confortando, ut ſpiritus prævaleat contra carnem, nec non eruendo à terrenis, ut mens & converſatio ſit in cœlis, *ſecundum verbum tuum*, id eſt, per Chriſtum qui eſt verbum patris & vita animæ, Lud. vel *ſecundum verbum tuum*, id eſt, ſecundum promiſſionem tuam, qua gratis promittis gratiam, & veniam pœnitenti, ut alibi dicitur; *In quacumque hora peccator ingemuerit, omnium iniquitatum ejus non recordabor amplius*. Ab æterno enim fortiſſimum cœlitus emanarat decretum & promiſſio, qua ſe Deus ſuis non defuturum amicis aſtrinxerat, modo hi ſuas non celarent plagas, ideo infertur: Lud.

Hæc ſententia videtur deſumpta ex verbis 70. Interp. qui Iſaiæ 30. verſ. 15. ſic vertunt: *Si converſus ingemueris, tunc ſalvaberis.*

Vias meas enunciavi, & exaudiſti me: doce me juſtificationes verſ. 26.
tuas. Vias meas erroneas, obli-

 quas

quas, & malas, *enunciavi*, id eſt, propalavi per oris confeſ- Iſaie 43. juxta 70. Interp. ſionem, *& exaudiſti me* quærentem remiſſionem peccatorum, *dic* enim, inquit, *tu prior iniquitates tuas, ut juſtificeris.* Mira compenſatio, ſtupenda viciſſitudo, Domino ſuo propria mala dicere, & ab eodem præmia ſalutis accipere; quis non bonis talibus incitetur illi confiteri ad præmium, cui non poſſis negare delictum? Perſcrutandum quoque quod dixit, *Doce me juſtificationes tuas*, id eſt, fac me operari ſecundum præcepta tua, & implere vias tuas, quibus perfectam vitę meę conſequar correctionem, ut ſcilicet magis Lud. magiſque in vijs tuis proficiam. Vel *vias meas*, id eſt, proceſſus difficiles in via virtutis propter aggravationem corporis *enunciavi* tibi in oratione, *& exaudiſti me* conferendo gratiam; *doce me* igitur *juſtificationes tuas*, ut eas compleam cum effectu: Et quia vias meas ego deteſtor, ideo,

Viam juſtificationum tuarum inſtrue me, & exercebor in mirabilibus tuis. Verſ. 27. *Viam*, id eſt, modũ & ordinem *juſtificationum tuarum* quæ dirigunt ad juſtè agendum, (quia non ſufficit bona agere, niſi fiant debito modo & ordine,) *inſtrue me*, quod ad intellectum pertinet, acſi diceret, da mihi verum & plenum intellectum quomodo debeam ambulare, ut te veraciter, & myſtica ad plenum intelligam, & ſic Caſſiod. inſtructus, *exercebor in mirabilibus tuis*: utique exercetur ſenſu & prudentia ſingulari, qui dicta Domini ad ſpiritualem ſignificantiam trahit. *mirabilia* verò ipſa vocat, quæ ſuperius Magal. dixit *juſtificationes*, quarum aliquæ inexperto ita mirabiles ſunt, ut ex earum difficultate quodámodo fatigatus dicat:

Dormitavit anima mea præ tædio; confirma me in verbis tuis. Verſ. 28. *Dormitavit*, id eſt, parum fervens fuit *anima mea*, & refrigiut

guit à ſpe comprehendendi juſtificationes tuas, in hujus habitaculi mortalis ſtatione,
Hier *præ tædio* imperfectionis & corporeę infirmitatis atque dilatatione gratię tuæ, lentè ad bonum ſurgens, & parum vel nihil boni operans: Sanctis enim hominibus tædioſa eſt ſarcina corporis, cui oportet condeſcendere dando ei refectionem & quietem ſufficientem, in quo condeſcenſu faciliter deficit homo, nimis ſuo corpori compatiendo, & ſic diſponitur ad caſum: Ideo ſubditur *confirma me*, id eſt, ſtabili me, & fortem fac *in verbis tuis*, id eſt, promiſſis tuis, gratiam ſcilicet tuam in me conſervando, ne ab eis ad quæ jam perveniſſe me ſentio, decidam dormitando, ſed ab ijs ad alia poſſum pertendere proficiendo, & in via juſtificationum ſic ambulare, quod de tua pietate ad illa etiam mirabilia pervenire poſſim, & ablato peccati ſomno, in eis inſtanter vigilare: quam ſanè rem quo facilius aſſequar
Magal.

Viam iniquitatis amove à me; verſ. 29.
& de Lege tua miſerere mei. Via iniquitatis, eſt omnis actio iniqua, quę authorem ſuum à Chriſto recedere facit, vel deſiderium & concupiſcentia Lud.
mala, per quam tamquam per viam itur ad iniquitatē: hanc inquit *viam amove à me*, tua gratia præveniendo ne ſequar illam, & quia Lex factorum ſubintravit ut abundaret delictum, ſequitur & dicit, *& de Lege tua miſerere mei*, Lege ſcilicet miſericordiæ, quæ eorum omnium ſemper miſereri ſolet, qui ex corde ad te preces fundunt prout ego, qui,

Viam veritatis elegi: judicia verſ. 30.
tua non ſum oblitus. Viam veritatis, id eſt, viam virtuoſam Lud.
quę verè ducit ad patriam relicta falſitate, culturam ſcilicet & ſervitium Domini Salvatoris, qui eſt *via, veritas &* Ioã. 14.
vita, elegi ubi currerem, id eſt, Chriſtum elegi imitari ac Legem

gem ejus ſequi, quod ut facerem, *judicia tua non ſum oblitus*, illa ſcilicet quibus peccantes in cœlo & in terra graviter afflixiſti & puniviſti, boniſq; gratiam multipliciter contuliſti: Et cum per hunc modum currerem.

verſ. 31. *Adhæſi teſtimonijs tuis Domine: noli me confundere. Adhæſi*, id eſt, fidem adhibui voluntate, amore, & deſiderio, *teſtimonijs*, id eſt, mandatis *tuis* ô *Domine*, quibus ſcilicet voluntatem tuam teſtaris, qui prius adhærebam pavimento: adhæret enim teſtimonijs Dei, qui mundo renunciat, qui curam hujus vitæ ac tædia, ac voluptates ſpernit, qui poſteriora obliviſcitur, & ad anteriora contendit ut perveniat ad bravium; ideo *noli me confundere*, id eſt, permittere per recidivum peccati confundi, neque ſpem meam evacuare, ſed fac conſummare gratia tua, quod incepi. Sed quia iſta per ſeipſum non potuit, ſubjungit:

Ambroſ.

Nic.

Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilataſti cor meum. Via iſta tam multifariè dicitur, quã diverſa qualitate tractatur, dixit enim ſuperius *vias meas enunciavi*, deinde *viam juſtificationum tuarum inſtrue me*, & iterum *viam iniquitatis amove à me*, repetit poſtea, *viam veritatis elegi*, nunc ad poſtremũ, *viam mandatorum tuorum cucurri*, id eſt, viam virtutis faciliter ambulando curſum vitæ meæ, de tua pietate ſecundum mandata tua direxi; non per proprium arbitrium, ſed *cum dilataſti cor meum*, id eſt, ampliaſti illud charitate, patientia, longanimitate, & ſimilibus virtutibus, ſcilicet fide & ſpe; hoc enim eſt munus Dei, ut in præceptis ejus non timore pęnæ anguſtemur, ſed dilectione & delectatione juſtitiæ dilatemur. verſ. 32.

Caſſiod.

Magal.

Legem pone mihi Domine viam juſtificationum tuarum: & exquiram eam ſemper. In Pſalmis nihil verſ. 33.

Digitized by Google

nihil aliud eſt Legem ponere, Legem ſtatuere, & ſimilia, quã Legem docere; nam qui docet, videtur quodammodo de novo ſtatuere, & Legem ponere, dum ignaros exhortatur ad bona, & avertere eos ſtudet à vitijs, ut ex incentivo prohibitionis, confugiant per fidem ad juſtificantem gratiam, & pœnam literę, id eſt, minantis Legis, evadant. Quando ergò ſibi Legem poni poſtulat à Domino, qui utique Legem ſecundum literam noverat, orat ut per Spiritum ſanctum faciat, quod per literam ſciebat: deinde ſubjungit, *& exquiram eam ſemper*, hìc enim exquiritur Lex Dei, quamdiu proficitur in ea, & ſciendo, & diligendo, & faciendo, in latitudine amoris, non in anguſtijs timoris; poſt hanc verò vitam, plenitudo ejus manet ad fruendum, non remanet ad quærendum; ſic etiam illud
Pſal. 104 dictum eſt, *quęrite faciem ejus ſemper*: ubi ſemper, niſi hìc? non enim & ibi quæremus Dei faciem, ubi videbimus facie ad faciem, quæritur ergò nunc, ut teneatur tunc, tenebitur ne derelinquatur; & ut hoc poſſim,

Da mihi intellectum, & ſcrutabor Legem tuam; & cuſtodiam illam in toto corde meo. vers. 34. Litera enim illa, qua Lex palam fit omnibus, manet litera, & ea interdum quę infert mortem, niſi unctio doceat moveatque mentem ad ea perſcrutandã, quæ cognitu neceſſaria ſunt in Lege Spiritus; ideo ipſe petit, ut intelligat diſcretionem inter bonum & malum, inter vitã & mortem, inter literam & ſenſum, & ut conſtantiam piæ perfectionis oſtenderet, eam ſe dicit *toto corde ſuo* divinitatis munere cuſtodire, declarans per univerſales ſubtileſque minutias, omne bonum & à Domino tribui, & per ipſum ſervari, & ejus gratia ſemper augeri: unde & addit,

Deduc me in ſemitam mandatorum vers. 35.

Digitized by Google

rum tuorum: quia ipſam volui. Semita mandatorum, eſt via arcta, quæ ducit ad regnum, de qua Salvator ait Adoleſcenti, qui ſe omnia mandata à juventute ſua ſervaſſe dixerat, adhuc tibi unum reſtat, *vade*
Mat. 19. *& vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni ſequere me*, quaſi diceret, licet ſis in via mandatorum, non tamen es in ſemita, quæ rectior eſt via, & ideo meritò dicitur ſemita, quia brevis eſt, munda, & recta comparatione communis viæ: Sed arcta eſt hæc via, quia non admittit tumidum & ſuperbum, ſive peccatorum ſpinis repletum. quia
Magal. ergò adhuc proficit, adhuc currit, ideo divinum auxilium, quo deducatur inquirit, quia
Romā. 9. *non volentis neque currentis, ſed miſerentis Dei eſt*; & ut voluntati promptæ ſuccurrat pietas divina, dicit:

verſ. 36. *Inclina cor meum in teſtimonia tua, & non in avaritiam.* Hoc itaque orat, ut avaritiam de ejus corde amoveat Deus, & ad teſtimonia Domini ſolo probitatis invitetur affectu. Avaritia autem eſt tempora- Caſſiod. lium rerum flagrans omnino deſiderium, ipſa primos homines per ſerpentem decepit, Gen. 3. qui decepti non fuiſſent, niſi pluſquam acceperant habere, & pluſquam facti erant, eſſe voluiſſent, & quia pluſquam acceperant habere voluerunt, hoc quod acceperant amiſerunt. Omnis autem à nobis Aug. circumciditur avaritia, ſi Deũ non colimus niſi propter Deum, ut ſui cultus merces ipſe ſit, & ipſum diligamus in ſeipſo, ipſum diligamus in nobis, ipſum in proximis noſtris, quos diligimus ſicut nos ipſos, ſive habeant eum, ſive ut habeant eum. Et quia omnia ſub cœlo vanitas ſunt, ideo addit generaliter:

Averte oculos meos ne videant vanitatem: in via tua vivifica me. verſ. 37. *Averte*, Id eſt, retorque *oculos meos* corporales, *ne videant*

videant, id eſt, ne deſiderent acceptando cum affectu *vanitatem*, id eſt, vana ad malum inducentia, quia à conſpectu vanitatis, provocatur concupiſcentia, ex hoc imprimitur menti turpis cogitatio, & cor dilaceratur ac deprędatur, malum propoſitum concipitur, & ratio amittitur. Vel *averte o-*
Lud. *culos meos* interiores ſcilicet
Magal. cordis, *ne videant*, id eſt, inordinata intentione attendant in bono opere, quod facio, vanitatem, id eſt, favorem humanæ laudis, ſive utilitatem rei temporalis, ne in his delectentur, quę caduca ſunt & vana. Non enim videt vana, qui fixus eſt mente in illô, qui eſt ſuper omnia, cujus mens ſurſum eſt; *in via tua*, hoc eſt, in teipſo, vel in obſervatione mandatorum tuorum, qua ad te itur & venitur. *vivifica me*, ſcilicet in anima ut ea impleam cum effectu, vel *vivifica me*, id eſt, conforta liberum arbitrium *in via tua*, id eſt, in Chriſto, ut in omnibus non propriam, ſed gloriam ejus quæram, ſicque tua adjutus gratia, terrena valeam ſpernere, & ſola cœleſtia amare. De- Lud.
inde per quid à vanitate avertitur docet, ſubdens:

Statue ſervo tuo eloquium tu- verſ. 38.
um, in timore tuo. Statue immobiliter *ſervo tuo eloquium tuum*, quaſi intranſgreſſibilem me- Hier.
tam, ut nullo modo labatur à corde, ore, & opere: Subdit autem, *in timore tuo*, quia multi eloquia Dei & negligenter ſuſcipiunt, & tamquam à fabulis declinant: Sed timor ſanctus Dei tamquam baſis eſt, in qua ſtatuitur verbum, & ipſum verbum, eſt quaſi diſciplina timoris, ne ſit zelus, *ſed* Romi. 10.
non ſecundum ſcientiam. Eſt autem iſte timor ab humano (quo pęna tantum timetur.) longè diſcretus, quia filialis, ſanctus, & caſtus, quo timetur offenſa, & excluditur negligentia: unde ſubditur.

Amputa opprobrium meum verſ. 39.

Digitized by Google

quod ſuſpicatus ſum, quia judicia tua jucunda. Amputa, id eſt, tolle falce gratiæ tuæ, *opprobrium meum*, quod temerariè *ſuſpicatus ſum*, in alijs judicans in contemplatione & conceptu animæ latentia, quę meam & humanam omnem ſubterfugiebant cognitionem, dum meis pravitatibus omnes metiri volo: fac ergò quod de alijs non ſuſpicer, quod in me ſentio, vel ſi fortè ſubrepat ſuſpicio, fac ne creſcat in judicium; nam ſuſpicio ducit ad opprobrium, quod ex peccato naſcitur, & in illam Domini

Luc. 6. ſententiam offendit, *nolite judicare, & non judicabimini*: quia ſola judicia Domini certa ſunt, quæ penetrãt abſcondita cordis. Vel aliter, *opprobriam* vocat Legis tranſgreſſioné peccatique turpitudinem, quam amputari poſtulat, quia ipſe ſuſpicatur, quod Deus melius novit quam ipſe, ut ait Apo-

1. Cor. 4. ſtolus, *nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc juſtificatus ſum.* Sed contra malum, & occultum judicium hominum, charitas eſt habenda, quæ non ęmulatur: unde ſubjungit.

Ecce concupivi mandata tua: in æquitate tua vivifica me. Verſ. 40. *Ecce*, id eſt, vide Domine qui omnia noſti, ego *concupivi*, non concupiſcentias carnales, ſed *mandata tua* ſcire, operari, & adimplere: *in æquitate tua vivifica me*, quia non eſt vera vita, niſi quam Dominus Ieſus fuerit præſtare dignatus: æquitas enim patris, *Verbum caro factum eſt*, cui omne judicium Ioã. 1. dedit, ut orbis terrarum in ejus examine judicandus aſſiſtat. In illo inveniuntur duo mandata quę ad æquitatem pertinent, æquum eſt enim, ut Deum diligamus, *quia ipſe prior* Magal. 1. *dilexit nos*, æquum eſt, ut & Ioã. 4. proximum diligamus, quia & ab ipſo diligi volumus: hæc eſt æquitatis via, & virga regni Dei: *In æquitate* ergò, id eſt, in Chriſto, *vivifica me*, id eſt, in bona voluntate fortifica me,

Digitized by Google

me, ut impleã per eum quod concupivi; vivum enim miſerationis ejus eſt donum, ut eloquia ſancta cuſtodientes, in ęquitate vivificemur, dum æqualem eum Patri & Spiritui Sancto fatemur.

verſ. 61. ET *veniat ſuper me miſericordia tua Domine: ſalutare tuum ſecundum eloquium tuum. Et veniat ſuper me* de cœleſtibus, *Domine miſericordia tua*, id eſt, Chriſtus, ac ſi dicat populus gentilis, veniat nos redimere
Hier. ô Deus Pater, Filius tuus; fiat mihi caput Filius tuus, aſſumendo carnem, ſecundum quam erit caput noſtrum; deinde exponit miſericordiam, ſubdens, *& ſalutare tuum*, id eſt, Chriſtus Salvator noſter nobis promiſſus, qui ſolus hominibus ſalutem veram præſtat & facit, veniat *ſecundum eloquium tuum*, id eſt, ſecundum promiſſionem tuam, quam per Prophetas cognoſceris eſſe pollicitus, ſicut dictum eſt Abrahæ; *In ſemine tuo benedicentur omnes gentes.* Gen. 22. Vnde ſuo more Propheta in hoc Pſalmo hunc verſum non continuum poſuit, ſed ornatus gratia pro initio addidit. Hic tamen verſus alio ſenſu intelligi poteſt, ut ſit vox peccatoris Hugo. moraliter remiſſionem peccatorum precantis. *Et veniat ſuper me miſericordia tua Domine:* peccator enim in limo profundi infixus, non venit ad miſericordiam, ſed ipſa deſuper venit ad eum, unde in alio Pſalmo dicitur, *miſericordia ejus præveniet me:* Pſal. 58. veniat ergò obſecro ſuper me deſurſum, unde *omne datum optimum, & omne donum perfectum eſt,* Iac. 1. *miſericordia tua,* id eſt, auxilium gratiæ tuæ, ut remittas de tua ſola pietate, peccata & delicta mea, quam ut conſequar, *ſalutare tuum veniat*, id eſt, Chriſtus & Salvator, qui gratiam pręſtat ſalutis, per quem hominibus peccata dimittis, & hoc *ſecundum eloquium tuum,* quod per a-

lium Prophetam promiſiſti dicens, *nolo mortem impij, ſed ut convertatur & vivat.* Hac autē miſericordia obtenta, imperterritus vivam;

Ezec. 33.

vers. 42.

Et reſpondebo exprobrantibus mihi verbum: quia ſperavi in ſermonibus tuis: id eſt, Chriſtum Filium tuum conſtanter eloquar, quia parum eſt Chriſtū habere in corde, & dum timetur opprobrium, nolle eloqui verbum; *corde enim creditur ad juſtitiam: ore autem confeſſio fit ad ſalutem: reſpondebo* ergò *exprobrantibus mihi* de fide mea, qui doctrinam ſalutarem non ad reverentiā audiunt, ſed ad injuriam potius exprobrationis adducunt, in preſumptione Domini, *verbum*, à Spiritu ſancto mihi miniſtrandum, verbum ſcilicet bonum pro verbo malo, verbum fidei pro verbo infidelitatis, verbum ædificationis, pro verbo exprobrationis: Sive *reſpondebo exprobrantibus mihi* dæmonibus *verbum* cordis per humilitatem, hæreticis *verbum* oris per ſapientiam, detrectatoribus *verbum* operis per ſanctā converſationem; *Quia ſperavi in ſermonibus tuis*, id eſt, promiſſis tuis, quæ dicunt, *nolite cogitare quomodo aut quid loquamini, &c.* ſpero enim de tua gratia, quod per me, & in me loqueris humilitatem in corde, ſapientiam in ore, atque ſanctitatem in opere, quæ magis ſermones tui ſunt, quam mei. Sed quia multi urgentibus malis negant, addit:

Rom. 10.

Hugo.

Mat. 10.

Luc.

Et ne auferas de ore meo verbum veritatis uſquequaque: quia in judicijs tuis ſuperſperavi. Rogat ut confeſſionem *veritatis* de ejus ore nullę pœnæ, nullæ auferant blanditię, *uſquequaque*, id eſt, penitus, omnino, aut ſemper; etſi ad horam aliquibus fuerit ablatum, ut Petro, qui etſi ad tempus negavit timore perterritus, tamen flendo eſt reparatus, & poſtea confitendo coronatus. Tollitur autem aliquando *de ore ver-*

vers. 43.

Caſſiod.

Ang. gal.

Digitized by Google

verbum veritatis, per malam conſcientiam. manentem enim in peccatis, prohibet Dominus à prædicationis officio, dicens *peccatori, quare tu enarras juſtitias meas?* obmuteſcit enim facundia, ſi ęgra ſit conſcientia: caveat ergò ne verbis non congruant facta, & deforment iniquitatis opera, magiſteriũ diſciplinę. perpende ergò quod omnipotens Deus verbum veritatis facientibus tribuit, & non facientibus tollit, unde dum hoc de ore ſuo non auferri petiit, quid aliud quam gratiam bonę operationis quæſivit? ac ſi apertè diceret, à bono opere me errare non ſinas, ne dum amitto ordinem benè vivendi, rectitudinem perdam loquendi: cauſam ſubdit dicens, *quia in judicijs tuis*, id eſt, in tribulationibus tuis quas mihi infers per judicia tua, quibus tuos corripis, flagellas, vel occidis, *ſuperſperavi*, id eſt, majorem inde fructum ſperavi, quam poſſet aliqua tribulatio temporalis promereri; vel *ſuperſperavi*, id eſt, pluſquam meruerim & condignum ſperavi, quia judicas quemlibet ſupra meritum remunerandum, quod ſi non abſtuleris, ut opto, tunc præmiſſa faciam,

Pſal. 49. Greg. 11. moral. Magal.

Et cuſtodiam Legem tuam ſemper, in ſæculum & in ſæculum ſęculi. His verbis promptitudinis vehementiam, quam habebat, ut Legem obſervaret, demonſtrat, animiq; conſtantiam profitetur perpetuam, quę ſanè res in academia ſpiritus apprimè eſt neceſſaria: Nam hodiè divinæ Legis ſtudio obnixè operam navare, cras verò curam illam digniſſimam molliter conſultòque relaxare, nonne animi à Deo alieniſſimi judicium erit? ait ergò, *cuſtodiam Legem tuam ſemper*, id eſt, in omni negotio; illa autem verba *in ſæculum ſæculi*: idem ſignificant quod ſemper, tametſi ad majorem perpe- vers. 44.

perpetuitatis & æternitatis intenſionem dicta eſſe poſſunt: vel, *cuſtodiam Legem tuam*, id
Hugo. eſt, mandata tua, non Legis Moſaicæ præcepta, ſed charitatem, quam docuit Chriſtus eam opere adimplendo, *ſemper*, id eſt, quamdiu vixero in hac vita quantum ad ejus mandata; Legem enim cuſtodit in hac vita, qui Deum & proximum diligit, & orat pro inimicis, & ſimilia agit: *in ſęculum ſęculi*, id eſt, in futura vita quantum ad caritatem, quã ſancti Angeli & Spiritus habent in cœlo perfectam. Neque enim præcepta Legis ſicut hìc, etiam ibi accepturi ſu-
Magal. mus, ſed ipſam plenitudinem Legis ſine ullo peccandi timore ſervabimus, quia & Deum, plenius cum videbimus amabimus, & proximum, quia
1. Cor. 5. *Deus erit omnia in omnibus*; nec falſæ cuiquam de proximo ſuo ſuſpicioni erit locus, ubi nullus nulli erit occultus. Hæc autẽ cum orarem, exaudiſti me.

Et ambulabam in latitudine; quia mandata tua exquiſivi. Et vers. 45.
ambulabam de virtute in virtutem, *in latitudine* ſcilicet charitatis, quia Dominum mens non anguſta, id eſt, polluta recipit, ſed in latitudine mentis ſuſcipitur, à quo cœlum & terra completur. Eſt autem tantę latitudinis charitas, quod etiam ſe ad inimicos extendat; unde Dominus in Euangelio: *diligite inimicos veſtros,* Matt. 5.
benefacite ÿs, qui oderunt vos. etiam tam lata eſt ut univerſam Legem & Prophetas in ſe concludat, ac tam lata, quod in ea ambulanti uni non ſolum ſufficit, sed etiam quotquot ſecum ambulare voluerint, omnes volentiſſimè admittit: unde in Apocalypſi, *Qui audit, dicat, veni: quia man-* Apoc. 22.
data tua, quorum plenitudo eſt charitas, extra omnia, & ſupra omnia, *exquiſivi*, petendo, quęrendo, pulſando, ad ſciendum & faciendum, & ſic recepi Spiritum ſanctum, quo factus

bonus,

bonus,bene facerem bona ex
Gal. *fide,quæ per dilectionem operatur.*
3. Et quia dixit, ſe *ambulaſſe in la-*
Lud. *titudine*, idcirco ſe taliter feciſ-
ſe conſequenter proſequitur in
tribus, ſcilicet in locutione,
meditatione,& operatione,&
primò in locutione dicit:

vers. 46. *Et loquebar de teſtimonijs tuis*
in conſpectu regum, & non con-
fundebar. Loquebatur *de teſti-*
Caſſ. God. *monijs* Domini, quoniam pe-
tiverat & acceperat,ut reſpon-
deret *exprobrantibus ſibi verbũ*,
qua firmitate roboratus, co-
ram Regibus & Præſidibus
verbum veritatis annunciare
ſedicit, & non confundi per
ratiocinationem, quia Euan-
gelium æternum in authorita-
te protinus eſt, non in politi-
one ſermonis: quoniam agit
veritas Spiritus ſancti, ut plus
in cordibus audientium ſer-
mo incultus faciat, quam ex-
cultus, & ad ineffabilem per-
tinet altitudinem dignitatis,
quod Spiritus ſanctus in hu-
mana lingua loquatur, & non
ſeipſo, ſed ipſa per ipſum, à
quo omnis bonitatis effectus,
ſine quo nullus eſt profectus.
Deinde ſubjungit de medita-
tione:

Et meditabar in mandatis tuis, vers. 47.
quæ dilexi. Omnis enim ſer-
vus,ſemper mandata Domini Lud.
ſui in mente habere debet, ut
non ſolùm timore,verum eti-
am amore deſerviat: & ſub-
jungit cauſam quare, quia nõ
coactus hoc fecit, dicens, *quæ*
dilexi, ut opus meditationis,
dilectionis perficeret fructum. Hier.
dilexit enim ea propter ſe, &
complevit, propter *Spiritum* Romi. 5.
ſanctum qui datus eſt nobis: per
hunc quidem Spiritum dile-
ctio illa in corde diffunditur,
& cor ad meditandum dilata-
tur, alioquin etiam atque eti-
am Dei mandata verſare ani-
mo, abſque fide, ac erga Le-
giſlatorem dilectione, ipſa ex
ſe meditatio eſt moleſtiſſima,
& terrifica. Deinde ſubdit de
operatione dicens:

Et levavi manus meas ad man- vers. 48.

Digitized by Google

data tua quæ dilexi, & exercebar Caſſiod. *in juſtificationibus tuis.* Superiore verſu dixit, *& meditabar in mandatis tuis*, quod ad virtutem reſpicit inſpectivam, modò dicit, *levavi manus meas*, quod ad partem pertinet actualem, levare enim manus, ſignificat bonis operibus occupari, cæterum qui malis actionibus detinetur, non levat manus ſuas, ſed dejicit, quia terrena emolumenta quę non ſurſum, ſed deorſum, illo opere exquiruntur: & addidit, *& exercebar in juſtificationibus tuis*; ibi meditabatur, ubi mentis intentione tranſlatus eſt, hìc exercebatur, ubi quærebat operis frequentatione proficere.

Magal. 1. Tim 1. Et vide quod in utriſque ponit *quæ dilexi, finis* enim *pręcepti eſt charitas, de corde puro.* quando fine iſto vel hujus rei contemplatione, fit mandatũ Dei, tunc verè fit opus bonũ, & tunc levantur manus, quia ſupernum eſt quo levantur: propterea de ipſa charitate locuturus Apoſtolus ait; *ſuper-* 1. Cor. 12. *eminentem viam vobis demonſtro.*

MEmor eſto verbi tui ſervo vers. 49.
tuo, in quo mihi ſpem dediſti.

Caſſiod. Hic cohors Sanctorum ſpem promiſſionum Domini ſenſibus noſtris omnino commendat, ut firmum in mente noſtra permaneat, quod glorioſa veritas pollicetur. Sed numquid oblivio, ſicut in hominem, ita cadit & in Deum, quia dicitur *memor eſto?* abſit. Magal. nam ſicut Deum pænitere dicitur, quando pręter hominum ſpem res mutat, non mutato conſilio, quia *conſilium* Pſal. 32. *Domini manet in æternum*; ita dicuntur hęc locutione morali, qua humanus movetur affectus, quamvis hæc Deus faciat certa diſpoſitione, non deficiente memoria, vel obſcurata intelligentia, nec voluntate mutata. Orantis ergò deſiderium eſt cum dicitur, *memor eſto verbi tui*, quo precatur

Digitized by Google

catur ut citò *ſervo* conferat cle-
mentiſſimę promiſſionis effe-
ctum. ſequitur, *in quo mihi ſpem*
dediſti, id eſt, promiſſionibus
tuis nixus, quæcumque polli-
citus es, ſperare audeo.

verſ. 50. Promiſſio quidem tua, *hæc*
me conſolata eſt in humilitate mea:
quia eloquium tuum vivificavit
me. Non eſt tam dira adverſi-
tas ac tentatio, quin anima pro-
miſſionibus Dei fulta, ſuperet:
qui enim meliora ſperat, levi-
Magal. oribus non frangitur. Humi-
liatur ergò anima noſtra dum
traditur tentatori, ſed in ten-
tationibus vivificatur eloquio
Dei. Hoc enim eſt animæ no-
ſtræ vitalis ſubſtantia, qua ali-
tur & paſcitur. Vnde Petrus
Ioã. 6. Domino dixit, *verba vitæ æter-*
næ habes. Hęc autem ſpes &
conſolatio tua ſummè mihi
neceſſaria erant, quia,

verſ. 51. *Superbi iniquè agebant uſque-*
quaque: à Lege autem tua non de-
clinavi. Superbi qui relicta hu-
militate præceptionis divinæ,
in hujus ſæculi vanitatibus ex-
tollebantur, *iniquè agebant uſ-*
quequaque, id enim proprium
eſt Möab, belluę ſuperbiſſimę,
probos odio, ac ſi datur, tum
veneno, tum ferro, aut ſaltem
linguæ amarulentia, perſequi:
ſed contra hoc maximũ pec- Magal.
catum, quod eſt ſuperbia, com-
mendat maximum bonum,
quod eſt in veritatis jugiter
ſententia manere; hæc enim
ſola poteſt ſuperbiæ virus he-
betare, quæ informat virum
devotioni deditum, quali ſe
debeat regere cautione. Quia
ergò non mediocris iſta ſuper-
biæ tentatio eſt, debemus prę-
ceptis cœleſtibus plenius in-
ſtrui, & recta Dei judicia me-
ditari, ſicut ſubditur:

Memor fui judiciorum tuorum verſ. 52.
à ſæculo Domine: & conſolatus
ſum, id eſt, conſideravi, quæ fi-
unt in vaſa iræ, & vaſa miſeri-
cordiæ, atque cætera alia quæ Nic.
operatus es à ſæculo, à quo ge-
nus humanum ſumpſit exor-
dium, quibus judicijs malos
perdidiſti, & confidentes in te

Digitized by Google

Gen. 8. liberaſti, ut Nöe de diluvio, Gen. 19. Loth de ſubverſione Gomorrhæ, & tres Pueros de camino Dan. 3. ignis: & licet aliquando non liberet Deus fideles ſuos à morte temporali, ſicut 2. Mac 7. Machabęos non liberavit de tormentis Antiochi, tamen fuerunt melius liberati, quam tres Pueri de camino ardenti: ſecundum quod dicit Auguſtinus, quia illi fuerunt liberati de igne poſtea morituri, Machabęi verò fuerunt liberati de præſenti miſeria, in æternum victuri. Vel, *memor fui judiciorum tuorum à ſęculo*, ſcilicet, quod à primo juſto, quando 1. Pet. 4. *judicium incipit à domo Dei*, juſtè judicas illos laborare, quos in alio ſæculo vis remunerare, unde dicitur, Heb. 12. *flagellat Deus omnem filium, quem recipit*, & alibi; qui non eſt de numero flagellatorum, excipietur de numero filiorum. Et quia talia cognovi, ideo *conſolatus ſum* in tribulationibus meis, quia judicia tua vera, & juſta eſſe cognovi: qui enim præterita repetit, & ſemper colligit ſeriem vetuſtatis, cognoſcit quia neque peccator pænam ſuę improbitatis evadit, neque juſtus æquitatis ſuæ prę̨mijs defraudatur. Et qui benè ſibi conſcius hæc novit retexere, habet unde gratiam ſuæ conſolationis poſſit accipere. Quantum autem vir ſanctus iniquos, quos tolerabat, diligeret, oſtēdit cum ſubjungit, in me quidem Domine conſolatus ſum, ſed dolui de peccatoribus, & hoc eſt,

Defectio tenuit me, pro peccatoribus derelinquentibus Legem tuam. Vers. 53. Affectum miſerationis oſtendens, dolet ſuper prævaricationes iniquorũ, quod non eſt commune cum multis. nam plurimorum eſt contriſtari, ſi quam ab aliquo patiuntur injuriam: nos infirmiores conturbamur, quando à malis mala patimur, at verò qui fortior eſt, non propriam contumeliam dolet, ſed in ſua injuria lapſum

lapſum alterius ingemiſcit, dum pius animus ſalvos fieri deſiderat univerſos, & quem optat excedere, & affligitur,
Caſſiod. cum ei pœnas cognoverit imminere: ſcit enim quia gratuitè illatum malum, ſuum potius gravat autorem. Interim non de ſua dolebat tribulatione, ſed magis gaudebat, quod oſtendit, cum ſubdit:

verſ. 54. *Cantabiles mihi erant juſtificationes tuæ, in loco peregrinationis meę*, id eſt, pro carminibus ac ſolatio moleſtiſſimæ peregrinationis vitæ hujus, tua mihi fuit Lex; cum ſanè permulta ſint quę iter hoc vitæ, (per ſe ſatis ſalebroſum & difficile,) varijs interturbent obicibus, ſolamen id unum mihi eſt, tuum verbum: id cano, de illo memet oblecto, de illo lætor, per illud abſque labore curſum hujus vitæ perago. Sed quia omni tempore homo circa Dei laudes debet eſſe occupatus & intentus, meritò adjungit.

Memor fui nocte nominis tui Domine: & cuſtodivi Legem tuam. verſ. 55. Plena hæc eſt devotio, Mai gal, quia *nemo dicit Dominum Ieſum, niſi in Spiritu ſancto.* 1. Cor. 12. Hoc nomẽ invocetur diebus ac noctibus, nullum tempus prædicandi vacuum ſancta devotio ſinat pręterire. Vel nox accipi poteſt, illa humilitas ubi eſt mortalis ęrumna: nox eſt in *ſuperbis iniquè agentibus uſquequaque*, nox eſt in *defectione pro peccatoribus derelinquentibus Legẽ Dei*; nox eſt in *loco peregrinationis* hujus, ubi peccatorum regnat obſcuritas. Sed utinam ocu- Caſſiod.
los corporeos clauderet, & non lumina cordis periculoſius obcęcaret. Oportet ergò fragilitas humana, ut cum ſemper, tum impenſius tamen in nocturno tempore memoriam faciat Dominici nominis, cum aut recordatione divitiarum premitur, aut concupiſcentiæ igne torquetur, & præcipuè hoc exorare, ut ſi Legem Dei cuſtodire cœ-

Digitized by Google

pit, ne ab eadem in aliquo divellatur.

Verſ. 56. *Hæc facta eſt mihi: quia juſtificationes tuas exquiſivi.* *Hæc* cuſtodia Legis *facta eſt mihi*, hoc eſt, gratia cuſtodiendi Legem data eſt mihi, *quia juſtificationes tuas*, id eſt, pręcepta juſtificantia, *exquiſivi*, id eſt, omnibus viribus ſpiritus, mẽtis, cordis, & corporis, implere deſideravi. Nos quoque ſuppliciter exoremus Dominum, ut nobis juſtificationes ſuas inſinuet, vias reſeret, mirabilia declaret, & ſi quid Legis umbraculum occultavit, Paraclito illuminante revelet, ut ſi beatitudinis palmam non adipiſcimur, ſaltem vel pro delictis veniam conſequamur. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, cui eſt cum æterno Patre & Spiritu S. honor, poteſtas, & gloria, in ſæcula ſæculorum, Amen.

Verſ. 57. *Portio mea Domine, dixi cuſtodire Legem tuam.* Qui relinquit mundi ſuperbiam, honorum faſtigia, divitiarumque jactantiam, & in cœlo collocat theſauros, hujus portio efficitur Deus, ſicut Petrus ait Paralitico, *argentum & aurum non eſt mihi, quod autem habeo, hoc tibi do, in nomine Ieſu: ſurge & ambula.* Act. 3. ô magnus theſaurus, ô fœlicium divitiarum egregius cumulus, ut qui Legem Dei cuſtodit, & cujus eſt Deus portio, morbidam curet infirmitatem: Sed qui talem portionem deſiderat, opus eſt ut Legem Dei cuſtodiat, unde iſte vir ſanctus ait; *Dixi cuſtodire Legem tuam*, per bonum uſum liberi arbitrij tua gratia informati, nam cuſtodia Legis Dei, acquirit portionem ipſum Deum. Hinc Salvator noſter ait, *Si quis diligit me ſermonem meum ſervabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus & manſionem apud eum faciemus.* Ioã. 14. Et alibi, *Inhabitabo in illis, & inambulabo inter eos, & ero illorum Deus, & ipſi erunt mihi* 2. Cor. 6.

Digitized by Google

bi populus. Sed quia nemo cuſtodit Legem, niſi id donet & adjuvet *Spiritus vivificans; ne litera occidat, & peccatum occaſione accepta, per mandatum operetur in homine omnem concupiſcentiam,* ideo ſubdit:

1. Cor. 3. Romã. 7.

verſ. 58. *Deprecatus ſum faciem tuam in toto corde meo: miſerere mei ſecundum eloquium tuum. Deprecatus ſum faciem tuam,* gratię ſcilicet, non vindictæ, id eſt, miſericordiam tuam, qua reſpicere dignaris peccatores; *in toto corde meo,* id eſt, tam in intellectu, quam affectu; *miſerere mei,* ut per gratiam habeam, quod meritis obtinere non poſſum, continuando ſcilicet me in bonum uſum liberi arbitrij, hujus continuatio procedit ex gratia Dei, *ſecundum eloquium tuum,* quod dixiſti, *petite & accipietis:* promittit enim miſericordiam nobis miſeris Deus, ſi ad ipſum converti voluerimus: Ne ergò meis partibus omninò deeſſe videar.

Luc. 11.

verſ. 59. *Cogitavi vias meas: & converti pedes meos in teſtimonia tua.* Ordinem humanæ converſionis exponit, prius enim eſt, ut noſmetipſos diſtrictius arguamus, & ſic ad Domini mandata migremus. Vocat autem totum vitæ ſuæ filum *vias,* nam varia admodum ſunt vitæ noſtrę inſtituta, varia conſilia, varij affectus, quibus, tamquam quibuſdam viarum compendijs, utimur ad finem, quem maximè quærimus aſſequendum. Ait itaque, *vias meas,* id eſt, actiones præteritas, *cogitavi* plenas lapſus atque peccati, & ideo ut veniam poſſim premereri morum converſione, ſtudiorumque virtute, *converti pedes meos in teſtimonia tua,* ut jam non meis greſſibus, quibus lapſus ſum, ſed teſtimoniorum tuorum itineribus ambularem, quibus errare non poſſem. Vel *cogitavi vias meas* futuras, ut cum præcedit cogitatio, maturitas exhibeatur operationis: Vel *cogitavi vias meas,* id eſt, meos pro-

Caſſiod. Magal. Nic.

Digitized by Google

proceſſus in bono, qui ſunt tardi ex fragilitate humana, ſed ſunt in Deo feſtini ex gratia divina, *& converti pedes meos*, id eſt, ſenſus & affectus meos, nec non progreſſus operum meorum quibus homo, quaſi ambulando pedibus, progreditur, *in teſtimonia tua*, id eſt, in verba ſacri eloquij, quatenus ſecundum tua præcepta, exempla atque conſilia, gubernem in omnibus memetipſum. Quid autem proſit præcogitare quod facturus ſis, docet verſiculus, qui ſequitur:

verſ. 60. *Paratus ſum, & non ſum turbatus, ut cuſtodiam mandata tua.*

Ma. gal. Vbi itaque cogitatione quis prævenit quid agendum eſt, ſemper paratus eſt ad agendũ, ſemper fixus & validus; non enim formidare facit animũ deliberata ſententia. Vnde & Dominus præmonet dicens,

Ioã. 14. *non turbetur cor veſtrum*: quoniam non poteſt paratus dici, qui trepida cogitatione confunditur. Ait ergò, *paratus ſum* prompta voluntate contra tribulationes, peccatores, & malignos ſpiritus me tentantes, & undique Ludi. vallantes, ac illaqueare nitentes; & etiam cum quæcumque mala advenerint, *non ſum turbatus* quantacumque adverſitate ingruerint, quia ſcio quod omnes electi *per multas* Act. 14. *tribulationes* veniunt ad Chriſtum: Ideoque *non ſum turbatus, ut cuſtodiam mandata tua*: ac ſi dicat, etiã propter mandata Hugo. Domini cuſtodienda, paratus ſum pati, & occidi, quia dicitur *Si quid patimini propter juſtitiam, beati*: & quia curſum bo- 1. Petr. 3. norum dæmones ſuis tentationibus nituntur impedire, ideo ſubditur.

Funes peccatorum circumplexi verſ. 61. *ſunt me: Et Legem tuam non ſum oblitus. Funes peccatorum*, ſunt deceptiones dęmonum, ſunt & carnalium hominum, vel pravę carnis ſuggeſtiones, quibus ligatur peccator, ne poſſit ſe extendere ad bonos actus,

& Legem

Digitized by Google

& Legem tuam gratia tua confortatus, *non ſum oblîtus*, nam à doctrina ſpiritus, unde perfecta derivatur vitæ instructio, ne pedem quidem dimovi, illius enim timore ab omnibus peccatorum vinculis veluti gladio quodam inciſis, aufugi. Vnde ſequitur,

verſ. 62. *Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi, ſuper judicia juſtificationis tuæ:* Scit enim ſe me-
Caſſiod. diæ noctis tempore vel pericula pati, vel premia aſſequi
Exod. 12. poſſe, quia ſicut Angelus percuſſit media nocte Ægyptum,
Mat 25. ita media nocte ſapientes Virgines introducuntur ad ſponſum, & multa ſunt de media nocte teſtimonia: ideo hic eo tempore ſurgit cum judicio ac juſtitia, ut, quod popoſcerit, conſequatur.

verſ. 63. *Particeps ego ſum omnium timentium te, & cuſtodientium mãdata tua. Particeps ego ſum* ex tua bonitate, *omnium timentium*
Nic. *te*, timore filiali & ſancto, quo quis cavet offendere Deum Patrem, membrum eſt enim particeps boni commembri ſui, & totius corporis, quia communia ſunt opera juſtorum, ut quidquid boni agitur à ſingulis, proſit omnibus. Nam juſtitia communis eſt virtus: tanta enim eſt virtus Eccleſiasticç unitatis, ut omnes ſint unum in Domino, alligati vinculo fidei & charitatis: *& cuſtodientium mandata tua* per ſanctam operationem, ut timor non ſit otioſus. Et quia prædicta gratia divina confertur omnibus ad eam debitè ſe diſponentibus, ideo ſubditur.

Miſericordia Domini plena eſt verſ. 64.
terra: juſtificationes tuas doce me: id eſt, effectibus pietatis divinæ *plena eſt terra*, id eſt, homines viatores, aut enim miſericorditer convertuntur, aut longanimiter tolerantur, aut paternaliter corriguntur, omneſque generaliter communibus Dei beneficijs utuntur: *Iuſtificationes tuas doce me*,

Digitized by Google

fac me aſſueſcere mandatis tuis, illuminando ſcilicet intellectum ad cognoſcendum, ac dirigendo affectum ad fa-
Lud. ciendum. Iam cuſtodiſſe ſe dixit, & hìc amplius doceri petit: numquam enim eſt bonæ rei ſatietas eis, quibus verè ſapit bonitas.

verſ. 65. BOnitatem feciſti cum ſervo tuo Domine, ſecundum verbum tuum: ac ſi dicat, feciſti ut me delectaret bonum, quando enim delectat bonum, magnũ
Magal. eſt Dei donum. Multa autem videntur bona in hoc ſæculo, quia uſui nobis ſunt, ut pecunia, honor, & cętera hujuſmodi, ſed in hoc apparet quia verè bona non ſunt, quia diu durare non poſſunt. Multa etiam hìc videntur dulcia, dulcis eſt libido cum fervet, ſed eadem horrida eſt & execranda cum proditur: ſuaves epulæ cum ſumuntur, ſed fœtidæ cum digeruntur: non ergò vera bona ſunt, niſi illa, quæ ſecundum Dei verbum ſunt, ut quis bonorum meritorum atque virtutum ſubſidijs gaudeat ſe eſſe munitum. Sed quia nemo, cum multùm profecerit, dicere debet, mihi ſufficit, (exivit enim de via ad terminum) ideo ultra petit, dicens:

Bonitatem, & diſciplinam, & verſ. 66.
ſcientiam doce me; quia mandatis tuis credidi. Tres iſtæ virtutes ita conjunctę ſunt, ut ad plenam juſtitiam una ſine altera non poſſit ſufficere. Bonitas eſt Magal.
virtus, qua fit delectatio boni, diſciplina eſt virtus, qua fit tolerantia mali; ſcientia eſt virtus, qua fit cognitio boni & mali. Non enim ſufficit per bonitatem recta agere, niſi contingat per diſciplinam æquanimiter adverſa tolerare; neque iſta duo ſufficiunt, niſi is, qui bona agit, & mala tolerat, per virtutem ſcientiæ bona quę agit, ei, à quo bona cuncta procedunt, aſcribat. Petendum eſt ergò à Domino ut doceat nos ampliore gratiæ

ſuæ

Digitized by Google

ſuę illuſtratione *bonitatem* quátum ad perfectionem appetitus, *& diſciplinam & ſcientiam* quantum ad perfectionem intellectus: & dicit *diſciplinam*, quantum ad cognitioné moralium, & *ſcientiam* quantum ad cognitionem ſpeculabilium; Caſſiod. docet enim *bonitatem*, inſpirando charitatis deſiderium, docet *diſciplinam*, cum in tribulationibus patientiam donat: docet *ſcientiam*, cum ſalutarium rerum ipſe cognoſcitur attributor. Sed quo merito? additur, *quia mandatis tuis credidi*; quod enim præcipitur per Legem, impetratur per fidem, Mar 9. ſicut ſcriptum eſt, *omnia poſſibilia ſunt credenti*. Et quia inter beneficia ad animam pertinentia non ſolum eſt collatio gratiæ, ſed etiam correctio culpæ, ſine qua non tranſitur præſens vita, ideo ſubditur:

verſ. 67. *Priuſquam humiliarer ego deliqui; propterea eloquium tuum cuſtodivi*; id eſt, *priuſquam* pænaliter affligerer per tuam correctionem & diſciplinam, *ego deliqui*; multi enim tempore proſperitatis multipliciter peccant, qui dum à ſtatu ſuæ proſperitatis dejiciũtur, & divinitus caſtigantur, retrahuntur à malo, & flagellis edocti, convertuntur ad Deum, ideo ſubditur, *propterea eloquium tuum cuſtodivi*, id eſt, ita per gratiam tuam profuit experiri pænam, ut acquirerem obedientiam. Sępé enim contingit, ut culpa, quâ delinquitur, generet pænam, & pęna excitet cor ad pęnitentiam, & pænitentia operiat culpam: ſed cum jam iniquitas per pænitentiam operitur, quid aliud reſtat, niſi ut ad veram juſtitiam pęnitens extendatur? ſed quia hoc non niſi per gratiam Dei fieri poteſt, rectè ſubditur.

Bonus es tu: & in bonitate tua doce me juſtificationes tuas. verſ. 68. *Bonus es tu*, per naturam in te, & ex te eſſentialiter, & etiam ſperantibus in te confidenter, gratiam tuam conferendo, & quia bo-

bonum eſt ſuiipſius diffuſivum, ideo ſubditur, *& in bonitate tua*, non in meis meritis, *doce me juſtificationes tuas*, id eſt, opera juſtitiæ effectualiter adimplere, communicando ſcilicet mihi bonitatem tuam, & bona opera, quibus poſſim juſtificari, ut faciam omnibus, quod ab alijs mihi fieri volo.

Lud. Ecce liber in quo debet homo ſtudere & proficere, ſcilicet in bonitate; & *juſtificationes*, non curſus planetarum, non divinationes futurorum, vel vanitates cæterorum inquirere. Et quia cum bona fiunt, aſpera creſcunt, & quo plus diligitur Deus, eo amplius mundana ſuperbia adverſatur, rectè ſubjungit.

verſ. 69. *Multiplicata eſt ſuper me iniquitas ſuperborum : ego autem in toto corde meo ſcrutabor mandata tua.* Cum enim me verbera divina arguerent, & Superbi ſæculi laceſſerent, dicentes, ubi auxilium? ubi ſpes tua? ubi bonitas Dei tui? ego vehementius *mandata tua ſcrutabar*, conſolationem requirens in eis juxta Apoſtoli vocem, *quæcumque ſcripta ſunt, ad noſtrā doctrinam ſcripta ſunt, ut per patientiam & conſolationem ſcripturarum, ſpem habeamus.* Sed unde Romā. 15. obſecro tanta quorundā proceſſit vecordia, atque in peccatis durities? unde tam rigens in Deum contumacia, ac juncta cum proborū contemptu ſuperbia? inde opinor, quod,

Coägulatum eſt ſicut lac cor verſ. 70. *eorum : ego verò Legem tuam meditatus ſum.* Subtile enim eſt cor Sanctorum, *cöagulatum* verò eſt cor ſuperborum, ut enim Magal. lac natura ſua purum, ſpecioſum, atque ſincerum eſt, corruptum tamen cöagulatur & areſcit, ſic cordis humani natura pura, ſincera, atque perſpicua eſt, ſi tamen homines ceperint ſuperbire, iraſci, invidere, aut cæteris vitijs commutari, fit *cöagulatum cor eorum*, malitię concretione vitiatum : *ego* autem econtrariò ad emolliendum

Digitized by Google

endum cor meum, *Legem tuam meditatus ſum*: meditatione quippe Legis hujus voluntaria, humilitas virtutis ſervatur, ut pænalis humilitas evadatur. Vnde & ſubdit,

verſ. 71. *Bonum mihi quia humiliaſti me: ut diſcam juſtificationes tuas.* Profuit mihi *quia humiliaſti*
Lud. *me*, humiliatione pœnæ propter exceſſum culpæ, quia vexatio dat intellectum, & hominem juſtè vivere docet.
Nic. Vel aliter, *bonum mihi* quod per inſultus & tentationes dæmonum, vel malorum hominum, dediſti mihi cognitionem fragilitatis meæ, ne ex donis tuis caderem in ſuperbiam: Hoc
2. Cor. 12. modo dicebat Paulus, *ne magnitudo revelationum extollat me, datus eſt mihi ſtimulus carnis meę, angelus Sathanę qui me colaphizet.* Et quia ars defendendi ſe contra impugnationem dæmonũ per novum & vetus Teſtamentum habetur, ideo ſubditur.

verſ. 72. *Bonum mihi Lex oris tui, ſuper millia auri & argenti.* Plus diligit charitas Legem Dei, quam cupiditas *millia auri & argenti.* Aurum & argentum cupiditatibus hominum videtur eſſe præcipuum, ſed quia bonitas Caſſiod. illa Legis comparationem ſimilem non poterat invenire, præmiſit *ſuper millia*, quod infinitum atque incomprehenſibile eſt, ut auri argẽtique comparatio tali adjectione vileſceret. Facta eſt ergò comparatio ſine ſimilitudine, precium ſine modo, amor ſine fine. Bona igitur, deſiderabilis, ſalutariſque, imò etiam neceſſaria tua crux ô Domine, ex qua vitam olim omnium pendere vidimus, tu illo fac nos animo ac fide, tam ſalubre noſtræ ſuperbię ac petulantiæ medicamentum amplecti, quo eos decet, qui ut tua digni ſint ſubire improperia, nihil prius habent, quam ut te vitæ aſperitate imitentur, tantum abeſt ut delicias mundi, tuę Legis notioni anteponant.

Digitized by Google

verſ. 73. M*Anus tuæ fecerunt me, &*
plaſmaverunt me: da mihi
intellectum, & diſcam mandata
tua. Hæc omnia tropicè dicta
Caſſiod. ſunt, nam manus habere,
corporeum eſt, ſi verò per
proprietatem operationis Do-
minicæ velis advertere, audi,
Pſal. 148. *dixit, & facta ſunt; mandavit, &*
operata ſunt: quapropter ope-
rationis ejus virtus, humano
more *manus* vocatur, per quas
conſuevimus operari. Potuiſ-
ſet autem ſufficere quod ait,
manus tuę fecerunt me, ſed ex-
preſſius voluit dicere cum ſub-
didit, *& plaſmaverunt me*, ut ex
hoc verbo oſtenderetur hu-
mana materia, quę de plaſma-
te, id eſt, de terra formata eſt,
quia autem plaſtes ſuos typos,
aut ipſam omnino protopla-
ſticen odiſſe non poteſt, cogit
penè Deum vates ad ferendas
ſibi ſuppetias, ex eo, quod illi-
Nic. lius plaſma ſit; *da mihi intelle-*
ctum, id eſt, renova per gratiã
intellectum, qui per peccatum
eſt deformatus, hoc eſt, da ele-
vationem & illuminationem
intellectus ad te cognoſcen-
dum & amandum: Anima e-
nim humana ad Dei imaginẽ
creata, capax eſt ipſius per co-
gnitionem & amorem; & de-
clarat quo fine petit *intellectum*,
dicens, *& diſcam mandata tua*,
quaſi diceret, operatio tua te Lud.
moveat, ut quem feciſti in na-
tura, reficias & perficias in do-
ctrina; da igitur mandata tua
intelligam, & opere impleã,
per quę tandem potero ad
mei principij redire perfectio-
nem: hoc ſanè impetrato,

verſ. 74. *Qui timent te, videbunt me,*
& lætabuntur: quia in verba tua
ſuperſperavi. Eſt enim inſitum Ambr.
bonis, ut affectu pio, caſtum
pudicus, ſapiens prudentem,
miſericors liberalem diligat,
& virtutes ſuas in alijs amet:
plerumq; enim juſti aſpectus,
admonitio correctionis eſt,
perfectioribus verò lætitia
eſt. Cur autem poſuit verbum
præſentis temporis *qui timent*
te, & addidit futuri temporis
dicens,

dicẽs, *videbunt me & lętabuntur:*
Aug. niſi quia adhuc timet Eccleſia, quæ adhuc in hac vita eſt, & nondum ſe videt in eo regno, ubi erit ejus ſecura lætitia, & inter periculoſas tentationes in hoc mundo laborat, ubi audit, *qui ſe putat ſtare, videat ne*
1. Cor. 10. *cadat*; conſiderans hujus mortalitatis miſeriam in qua *jugum*
Ecc. 40. *grave ſuper filios Adam, à die exitus de ventre matris eorum,* ut etiam regenerati gemere ſub ejus gravitate cogantur. Addidit etiam propter quod omnino debeat impetrare, quia *in verbo*, id eſt, in Chriſto Domino ſe ſperare profitetur, ubi numquam decipit ſpes, nec poteſt animus quaſi caducis deſiderijs eludi, qui in tanta veritate meretur infigi. Vnde ſequitur.

vers. 75. *Cognovi Domine quia æquitas judicia tua: & in veritate tua humiliaſti me.* Æquitas tua eſt, ut peccatores arguas pro delictis, veritas, ut ſuperbos humilies à proſperitatibus ſuis; ergò quia me humiliaſti ut corrigeres,

Fiat miſericordia tua ut conſoletur me, ſecundum eloquium tuum ſervo tuo. vers. 76. Non tribulationes auferri petit, quę ad purificationem ſunt; ſed conſolatricem miſericordiam poſtulat, quæ miſeriarum patientiam donat, tormenta ſæva retemperat, & afflicti animi męrores beatitudinis promiſſione confortat: *Secundum eloquium tuum ſervo tuo:* quia promiſiſti Luc. quod poſt humilitatem afflictionis, tribueres præſidium conſolationis, ut ſupra in Pſalmo dicitur: *cum ipſo ſum in tri-* Pſal. 90. *bulatione: eripiam eum & glorificabo eum.* Deinde exprimens quid per miſericordiam detur, ſubjungit.

Veniant mihi miſerationes tuæ, vers. 77. *& vivam: quia Lex tua meditatio mea eſt.* Id eſt, infunde mihi effectus piæ affectionis & miſericordiæ tuæ, *& vivam* vita gratiæ in præſenti, & gloriæ in futuro. Solum enim vita æter-

na

na abſolutè dicitur vita, quæ per miſericordiam, non per merita datur; *quia Lex tua meditatio mea eſt*. Hæc meditatio, amantis eſt cogitatio, & tantùm amantis, ut charitas non refrigeſcat hujus meditationis ſuę, quantalibet abundantia conſtipetur iniquitatis alienæ. Et ideo ſequitur.

Magal.

verſ. 78. *Confundantur ſuperbi, quia injuſtè iniquitatem fecerunt in me: ego autem exercebor in mandatis tuis*. Confundantur ad emendationem, ne confundantur ad perditionem: tunc enim conſcientia peccatis benè cōfunditur, quando mala priſtina propria voluntate damnantur, & incipit odiſſe, quod videbatur ante diligere. *Ego autem exercebor in mandatis tuis*; occupando meipſum in eis tantò inſtantius, quantò illi mala intentione (ſine meo demerito,) adverſabantur injuſtius, ut cœleſtia præcepta me ad alta ſublevent, quem mala temporalia uſque ad deſperationem opprimere ſtudent. Et quia in hac pugna indiget homo ſuffragijs bonorum, ideo ſubdit.

Convertantur mihi timentes te, & qui noverunt teſtimonia tua. verſ. 79. *Convertantur mihi*, id eſt, ad me, quatenus auxilium præbeant *mihi timentes te*, timore caſto, & ſancto, qui charitate urgente miſerentur afflictis, vel, *convertantur mihi timentes te*, id eſt, incipientes timere te timore filiali, ut proficiant in conſcientia, dum propoſita vident laudabilium rerum exempla; *& qui noverunt teſtimonia tua*, id eſt, quos lectio divina imbuit, etſi nondum operatio ſalutaris inſtruxit, ut ea opere impleant, quę intelligunt. Et quia per bonum exercitium purificatur cor humanum, ideo ſubdit.

Caſſiod.

Fiat cor meum immaculatum in juſtificationibus tuis, ut non confundar. verſ. 80. Pulcherrima antitheſi octonarium iſtum mirabilem claudit Propheta: Superbi, inquit,

Digitized by Google

quit, reprimantur confundanturque in ſuo ſcelere deprehenſi; ego autem corde abs te ſyncero, nempè abſque odio, atque ultionis affectu vacuo, donatus, *non confundar*, non meis in petitionibus repulſam feram.

vers. 81. **D***Efecit in ſalutare tuum anima mea: & in verbum tuum ſuperſperavi.* Non omnis defectus, culpæ putandus eſt eſſe, vel pœnæ; eſt enim defectus laudabilis & optabilis; nam cum ſint inter ſe duo iſta contraria proficere & deficere, uſitatus profectus in bono accipitur, defectus in malo, quando non additur tacitè vel expreſsè, ad quid proficiatur vel deficiatur. Hìc ergò deſiderij nimietatem declarat, quo fatigatus, ac in ſeipſo reſolutus ac liquefactus, ad defectum pervênit feliciſſimum, non ex infirmitate mentis, ſed ex glorioſa virtute deſcendentem: unde ne defectus iſte videretur fidei occaſus, *in ſalutare* ſe defeciſſe dicit, quod hebræa lingua dicitur Ieſus: & ne aliquis ita ſentiendum forſitan dubitaret, addidit, *& in verbum tuum*, id eſt, in unigenitum Filium tuum, *ſuperſperavi*; quia quantò quis in contemplatione plus elevatur, tantò magis de veritate divinæ promiſſionis certificatur. Repetitur autem hæc ſalutaris & confirmativa defectio, cum dicitur,

Defecerunt oculi mei in eloquium tuum, dicentes: quando conſolaberis me? Defecerunt etiam ab omni conſideratione & delectatione terrenorum, *oculi mei* interiores, quibus Prophetæ dicuntur Videntes, ratio ſcilicet benè illuminata, & mentis intellectus, flagranti deſiderio tendentes *in eloquium tuum*, id eſt, ad intuitionem eloquij tui, ſcilicet filij tui, quo tu voluntatem tuam oſtendis & eloqueris, *dicentes, quando conſolaberis me* in perfecta beatitudine? educendo me de miſerijs qua- Vers. 82. Luc.

 rum

Digitized by Google

rum tedio afficior, ad optatum principium, ut cum Chriſto jam quieſcam. Et quia ex tali elevatione ad divina, redditur homo quaſi inſenſibilis ad exteriora agibilia, ideo ſubditur.

Verſ. 83. *Quia factus ſum ſicut uter in pruina: juſtificationes tuas non ſum oblitus.* Aiunt uterem pruina frigefactum, conſtringi, talem ſe beatus David effectum eſſe dicit, conſtrictum nimirum & caſtigatum calamitatibus; qua de cauſa negat ſe ullo umquam tempore futurum immemorem juſtificationum, ne rurſum in tentationes & calamitates deferri eum contingat. Vel aliter, *factus ſum ſicut uter*, mortuus nimirum quantum ad animi affectus, veruntamen capax eloquiorum Dei; effectus autem ſum Aug. hujuſmodi *in pruina* divinę gratiæ, quæ ab eo deſcendit, & paſſionum mearum flammam refrigeravit, ut ferveret memoria charitatis; & ſicut uter in pruina derelictus, videtur non applicabilis ultra humanis uſibus, & homines excellenter contemplativi reputantur in agibilibus & politicis actibus mundanis quaſi ſtolidi, Nic. unde principes exercitus qui erant cum Iehu dixerunt de Propheta qui venerat ad inungendum, *quid iſte inſanus venit ad te?* 4. Reg. 9. Tales ergò reputantur fatui, ſed ſecundum veritatem ſunt ſapientiſſimi, quia ſapientia conſiſtit propriè in contemplatione primę cauſę, nō ſolum ſecundum Sanctos, ſed etiā ſecundum Philoſophos: Et quia excellenter contemplantis vita vertitur in tedium, ideo ſubditur.

Verſ. 84. *Quot ſunt dies ſervi tui: quando facies de perſequentibus me judicium?* Pauci ſunt dies hujus vitæ, imo dies non ſunt; ante enim penè abeunt, quam veniunt, & cum venerint, ſtare non poſſunt, urgent ſe, ſequuntur ſe, non ſe tenent, nihil de præterito revocatur, quod futurum

turum eſt, tranſiturum exſpectatur, nondum habetur dum non venit, non tenetur dum venerit. Et quamvis cor ad ſuperna elevatum defectum hujus temporalitatis ex conſideratione perennitatis optimè penſet, inſtans tamen temporis mora longiſſima, & paucitas dierum infinitas videtur æternitatis, dum à cœleſti fœlicitate retardatur qui *cupit diſſolvi & eſſe cum Chriſto*: Vnde & dicit, *quando facies de perſequentibus me judicium*? diem deſiderans finalis judicij, quando perſecutores juſtè damnabuntur: ſiquidem,

Phil. 1.

verſ. 85. *Narraverunt mihi iniqui fabulationes: ſed non ut Lex tua.* Nic. Lud. *Narraverunt mihi iniqui* Iudæi ſcilicet, hæretici, ſive etiam mali Chriſtiani, *fabulationes*, quę in verbo tantùm delectãt, ut me à veritatis tramite detorquerent, participemq; ſuæ malitiæ facerent & iniquitatis, Hebræi enim foveam, ſeu foveas legunt, nec habent, *narraverunt*, ſed, foderunt: Sed *non ſunt illæ mihi complacentes, ut lex tua*, quæ nullam poteſt continere falſitatem, cum ſit à prima veritate derivata, quod confirmat dicens.

Omnia mandata tua ſunt veritas: iniqui perſecuti ſunt me, adjuva me. verſ. 86. Id eſt, adeo vera ſunt *mandata tua*, ut melius nominentur in abſtracto *veritas*, quam in concreto vera: & quia veritas carnem offendens, parit odium, *iniqui perſecuti ſunt me*, quotidiè expugnantes; *adjuva me*, ne immiſſionibus eorum impeditus, pręcepta tua minimè poſſim implere, quia,

Paulò minus conſummaverunt me in terra: ego autem non dereliqui mandata tua, verſ. 87. id eſt, falſitas quæ ab humano ore transfunditur, ferè induxit me, ut ceſſarem ab actione quæ à veritate indicitur, & facerem quod ab iniquitate præcipitur; ſed animus meus tuis Legibus ne concupiſcat illicitum, & habenatur corpus, ne effluat in

 nimi-

nimium, quapropter,

verſ. 88. *Secundum miſericordiam tuam vivifica me: & cuſtodiam teſtimonia oris tui.* Etenim qui ſe ex ſe nihil, à Deo autem plurimum poſſe perſuaſum habet, ſedulò *miſericordiam* Dei implorat, quæ eſt unica Legis intelligendæ ratio, ut ejus veritatem habeat in corde contra duplicitatem, in ore contra falſitatem, in opere contra vanitatem. Quia autem ut viva ſit operatio, id eſt, in fide acta, divina opus eſt miſericordia, idcirco poſt miſericordiæ invocationem, mox intulit,

Hugo. *vivifica me*, atque in hunc animatus modum, *tua cuſtodiam teſtimonia*, vel ea, quæ in Lege mandaſti, vel ea quæ in Euangelijs protuliſti.

verſ. 89. IN *æternum Domine, verbum tuum permanet in cælo*, In homine illo cœleſti, qui relicta imagine terrena factus eſt cœlum.

verſ. 90. *In generatione & generationem veritas tua: fundaſti terram & permanet.* Vna eſt generatio Legis & Prophetarum, altera Euangeliorum, in quibus veritas Dei permanet, Dominus ſcilicet Ieſus Chriſtus, qui utriſque Patribus veteris & novæ Legis, Prophetis ſcilicet & Apoſtolicis viris, donavit credere, & in fundamento fidei permanere, unde additur, *fundaſti terram, & permanet*, non illam, quæ cum cælo præterit, ſed illam, in qua verbum Dei multiplicatur, & ſtabilis permanet in fide, uſque ad terminum mundi, & non tantùm terra, id eſt, communis Eccleſia tua diſpoſitione eſt fundata, ſed etiam, Aug.

Ordinatione tua perſeverat dies: quoniam omnia ſerviunt tibi. Qui relictis tenebris mundi in lumine Dei vivit, ille in Deum qui *dies* verus eſt *perſeverat*, & *omnia* quæ ex ordinatione ejus perficit, ei deputat ad ſerviendum: Et quia contra caſum peccati maximè valet divinæ Legis meditatio, ideo ſubdit. verſ. 91. Lud.

Niſi

Digitized by Google

verſ. 92. *Niſi quod Lex tua meditatio mea eſt: tunc fortè periiſſem in humilitate mea.* Niſi beneficia legalis meditationis habuiſſem, quę fortes facit in tribulatione temporali; *fortè periiſſem in humilitate* mortali, impulſus carnis corruptione, quę ex ſua vilitate, ratio eſt humilitatis meæ, ſecundum id, *humiliatio tua, in medio tui.* Et quia tale conſervativum debet diligenter cuſtodiri,

Caſſiod.

Mic. 6.

verſ. 93. *In æternum non obliviſcar juſtificationes tuas: quia in ipſis vivificaſti me.* Poſſunt alia fortaſſè memorię excidere, beneficium autem nullus fidelium obliviſcitur, per quod vitale munus ſe noverit accepiſſe. Ait ergò, præclari doni non vivã immemor, ſed tuis jugiter adhęrebo prędceptionibus, *quia in ipſis vivificaſti me*, nihil petentem extra te, à malorum ſcilicet conformitate liberando, à morte peccati revocando vel pręſervando, virtuteſque & ſpiritualem vitam conferendo. Proinde nihil in me, quod meum ſit, ſervans, totus

Caſſiod.

Lud.

Tuus ſum ego, ſalvum me fac: quoniam juſtificationes tuas exquiſivi. Servus tuus ſum ego non ſolum ſecundum creationẽ vel potentiam, ſed etiam ſecundũ gratiam recreantem, & ideo *ſalvum me fac* de futuro, ſicut feciſti de præterito, perducendo me ad ęternitatem, quoniam non meas exquiſivi voluntates, quibus eram meus & ſervus vitiorum, ſed, *juſtificationes tuas*, ut jam eſſem tuus, & ſervus Domini ſanctorum: & ideo ſalus ex tua promiſſione mihi debetur, ſicut ſcriptum eſt, *ſi vis ad vitam ingredi ſerva mandata.* Et neceſſe habeo ut ſalvum me facias, quia, verſ. 94.

Mat. 19.

Me exſpectaverunt peccatores ut perderent me: teſtimonia tua intellexi. Me exſpectaverunt peccatores per tempus opportunum & idoneas deceptiones, quærendo animam meam pravitatis vulnere ſauciare, ſed à periculo tali, Domini fui verſ. 95.

Lud.

 illumi-

Digitized by Google

illuminatione liberatus.

vers. 96. *Omnis conſummationis vidi finem: latum mandatum tuum nimis.* Condita omnia quæ humano ſubjecta ſunt aſpectui, interire aliquando neceſſe erit, ſed Dei ſermo nullo temporum occaſu intercipitur, aut præſcripto terminatur, ſed late abſque fine protenditur. Vel *omnis conſummationis*, id eſt, omnis perfectionis humanę, ſcilicet contemptus mundi, & patientię uſque ad mortem, & hujuſmodi, *vidi*, id eſt, méte attendi, *finem* ultimum Chriſtum eſſe, qui eſt retributio & beatitudo noſtra: *mandatum* autem *tuum* ſcilicet charitatis geminum, *latum nimis*, quia dilatatur uſque in æternum, ac omnes in ſinu amoris recipit, nullas odij anguſtias ſuſtinens.

vers. 97. QVomodo dilexi Legem tuam Domine? tota die meditatio mea eſt. Omnes ex hebręo vertunt *quam dilexi*, cum admiratione; unde ſuum hic erga Legem Dei animum (quam ardens videlicet ac ſedulus fuerit,) oſtendit, & conſequenter exponit, *tota die meditatio mea eſt:* quia per omne tempus vitę eam cognoſcitur meditari, qui quaſlibet cauſas reſpectu Domini ſub moderatione diſponit, & ſeipſum probabili actione commendat, ſicut Apoſtolus dicit, *Sive enim manducatis, ſive bibitis, ſive aliud aliquid facitis, omnia ad gloriam Dei facite.* Ex qua quidem exercitatione haud parum acceſſit commodi, ſed illud in primis, Caſſiod. Col. 3.

vers. 98. *Super omnes inimicos meos prudentem me feciſti mandato tuo: quia in ęternum mihi eſt.*

vers. 99. *Super omnes docentes me intellexi: quia mandata tua meditatio mea eſt.*

vers. 100. *Super ſenes intellexi: quia mandata tua quæſivi.* Vivax igitur ex Lege fit anima, ingenioſa, erudita, prudens & divina, ex qua tanta interdum perfunditur luce & cognitione, ut omnes ſapientes

Digitized by Google

pientes mundi ei reſiſtere non valeant: nam quidquid alijs exercitatio, & quotidiana in Lege meditatio, tribuere ſolet, hoc illi Spiritus ſanctus

Hier ad Paul ſuggerit, unde hìc non eſt jactantia ſuperba, ſed veritas; & benè additur, *quia in ęternum mihi eſt:* Iudæi enim ex mandato Dei temporalia quæſiverunt, ideo non fuit illis *in æternum:* huic verò mandatum Dei, id eſt, dilectio ejus, manebit *in æternum*, cujus premium eſt ipſe dilectus Dominus Ieſus Chriſtus, qui eſt æternus. Addit quoque, *ſuper omnes docentes*, docebant enim Scribæ & Phariſæi, habentes ſcientiæ clavim, ſed iſte ſuper his intelligit, qui myſterium unguẽtorum, & feſtivitatum, atque holocauſtomatum, in Euangelijs videt eſſe complendum. Similiter *ſuper ſenes intellexiſſe* ſe dicit, quia in novo Teſtamento preſtolatur, quod cer-

Magal. nit in veteri figuratum. Doctrina ergò ſenum ablata, poſtquam hanc Eccleſia (de gentibus videlicet) juvencula accepit, quam quia tenuit, qualiter ſuper ſenes intellexiſſet, oſtendit, dum protinus ſubdit, dicens, *quia mandata tua quæſivi*; quia enim ſtuduit operando implere quod didicit, accepit intelligere quod doceret, & ſic per conſolationem Legis directus, ait,

Ab omni via mala prohibui pe- verſ. 101
des meos: ut cuſtodiam verba tua. Illa enim Domino juvante ſalubris prohibitio eſt, cum hoc fieri non patimur, quod plenũ periculis invenitur: *pedes autem meos*, id eſt, cogitationes & affectus; originalis ſiquidem peccati culpa, pronos nos tra- Caſſiod.
hit ad viam iniquitatis, niſi pietas abſtraxerit divinitatis, ut cum peſtifera ſuaſio probatur expulſa, verbum mandatorum facilius cuſtodire valeamus.

A judicijs tuis non declinavi: verſ. 102
quia tu Legem poſuiſti mihi. Doctrina certè Spiritus, non ſinit animam

Digitized by Google

animam à divinis diutius errare conſtitutionibus, quas tamquam digito in corde ſcripſit Deus, ut eas caſto timore diligeret, & dilectione caſta timeret. Et ideo ſubditur.

verſ. 103 *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, ſuper mel ori meo.* Os & fauces metaphoricè accipiuntur pro viribus ſuperioribus animæ, videlicet ratione & intellectu animæ, quibus guſtus dulcedinis & retributionis, quę ex obſervantia divinorũ eloquiorum exſpectatur, aliquatenus hìc oſtenditur, ſed

Iſaię 31. non plenè communicatur: *ignis enim ejus in Syon*, id eſt, in ſpeculatione, *& caminus ejus in Hieruſalem*, id eſt, in pacis viſione; unde & ſubdit.

verſ. 104 *A mandatis tuis intellexi, propterea odivi omnem viam iniquitatis. A mandatis tuis*, non ipſa mandata dico, ſed ea faciendo veni ad altitudinem ſapientiæ; per obedientiam enim & impletionem mandatorum, pervenitur ad ſapientiam occultorum: & quia percepta ſapientia, non eſt deſerenda obedientia, propterea ego, (ut in mandatis & ſapientia amplius proficerem,) *odivi omnem viam iniquitatis*: nam quantò creſcit amor juſtitiæ & dulcedo ſapientiæ, tantò magis quis odit iniquitatem, quæ impedit conſecutionem prædictæ dulcedinis & ſuavitatis. Aug.

LUcerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis. verſ. 105.
In *lucerna* ipſum Dominum accipere poſſumus, propter aſſumpti corporis humilitatem; hìc quidem non ſolum ſecundum gloriam divinitatis Sol juſtitię nuncupatur, ſed ſecundum corporis aſſumpti Sacramentum, etiam lucerna oſtenditur: quia cum Deus eſſet gloriæ & majeſtatis ęternę, humilis in hoc mundo tamquam lucerna apparuit. Et non ſine cauſa tamquam lucerna, quia lucerna per noctem lucere conſuevit. Idcirco itaque

Digitized by Google

que humilis in hoc mundo tamquam lucerna apparuit, ut tenebras erroris de cordibus noſtris & ignorantiæ noctem depelleret, qui in hoc mundo velut in nocte poſiti, degebamus. Vel aliter. *Lucerna* præceptum eſt Legis, quæ ad uſum noſtræ ſalutis accenſa, in nocte præſentis vitæ, atque in affectuum noſtrorum tenebris, nobis rectam ſemitam, quæ ducit ad eã quę verè eſt via, demonſtrat, & gratię inextinguibile lumen oſtendit: ad cujus contemplationem etiam per Iſaiam nos adhortatur Spiritus ſanctus, dicendo, *venite*
Iſaię 2. *ambulemus in lumine Dei noſtri*, ut illuminati gratia, operibus juſtitiæ ac fidei luceamus. Nulla namque creatura quamvis rationalis & intellectualis, à ſeipſa illuminatur, ſed participatione ſempiternæ veritatis accenditur. Illud etiam ſciendum eſt, quod Lex Moſaica juxta literam intellecta, *lucerna* eſt ijs, qui per illã virtutum ſemitam incedunt, quæ ad actiones pertinet: Spiritualiter verò intellecta, *lucerna* illis eſt, qui per contemplationis callem feruntur ad Deum. Ego autem præeunte hoc lumine tamquam in luce ambulans:

Iuravi & ſtatui, cuſtodire judicia juſtitiæ tuæ. Id proprium verſ. 106.
benè inſtitutarum mentium eſt, novis ſeſe quotidiè excitare ſtimulis, novaq́ue vitæ innovandę Deo vota nuncupare: Ille autem *judicia juſtitiæ Dei cuſtodit*, qui ſi habet adverſitates, non frangitur, ſed intelligit eas judicio Dei ſibi dari, ſi verò habeat proſperitates, non inde extollitur, ſed ſecundum voluntatem Dei diſpenſat, dum ſub Deo juſto judice, nec bonum ſine fructu, nec malum creditur impunitum. Et quia qui vult cuſtodire juſtitiam, plerumque in multis affligitur, ideo ſubditur.

Humiliatus ſum uſquequaque verſ.
Domine: vivifica me ſecundum 107.
verbum tuum. Humiliatus ſum

humiliatione afflictionis *uſquequaque*, id eſt, undique, intus per paſſiones innatas, (quia omnes in corruptione ſumus, contrarietatis ſcilicet & pugnę corporis contra ſpiritum,) ſed tamen per rationem repugnavi; foris quoque per tribulationes illatas à proximo ut noceat, & patienter ſuſtinui ſine mali retributione, per dæmonem ut decipiat, & humiliter ſuſtinui ſine conſenſus inclinatione, & etiam à te Deo meo ut corrigas, & gaudenter amplexus ſum, ſine cordis murmuratione: *vivifica me* confortando gratia tua, donando etiam patientiam, ne cedam affligentibus me, *ſecundum verbum tuum*, quo promiſiſti tribulatis adeſſe; ut quantò major eſt tribulatio, tantò uberior ſit conſolatio. Poteſt hic locus etiam exponi de virtute humilitatis, ac ſi diceret, humiliavi me uſquequaque in corde, per defectuum conſiderationem; in ore, per locutionem confeſſionis, in opere per ſanctam operationem: & quia qui ſe humilem videt, certum habet ſignum gratiæ appropinquantis, ideo ait, *vivifica me*, quia *humilibus Deus dat gratiam*, & ſervat acceptam; & ut charitas detur, humilitas meretur; quia non *requieſcit Spiritus ejus niſi ſuper quietum & humilem*. Quia ergò didicerat humilitatem quam Chriſtus docuit, *qui mitis eſt & humilis corde*, ideo nunc deprecatur, ut ſicut ille poſt humilitatẽ formæ ſervilis, exaltatus eſt in gloriam Dei Patris; ita & iſte ab hac humilitate corporea, in vitam transferatur æternam. Conſequenter oſtendit ſe inter tribulationes non deficere, ſed magis Deũ laudare, dicẽs.

Iac. 4.
Iſaię 66.
Mat 11.

Voluntaria oris mei beneplacita fac Domine: & judicia tua doce me. *Voluntaria oris mei* interioris & exterioris, id eſt, ſacrificia oris & laudis, non timore, ſed mera charitate, bona attentione, ac pura voluntate, à me

verſ. 108
Nic.

me tibi voluntariè oblata, *beneplacita* tibi ſint, acceptabilia, ac delectabilia; & hac oblatione placatus, *judicia tua doce me*; ut profundius intelligam: *judicia enim tua abyſſus multa.* Ideo autem doce me, quia,

Pſal. 35.

verſ. 109. *Anima mea in manibus meis ſemper: & Legem tuam non ſum oblitus.* Schema id eſt, hebraicum: nam nihil aliud eſſe animam in manu ferre, aſſerunt, quam in periculis verſari, citantes illud Iob, *quare lacero carnes meas dentibus meis, & animam meam in manibus meis porto?* Sic quoque de Pythoniſſa illa legimus, quæ Sauli dixit, *ecce obedivit ancilla tua voci tuæ, & poſui animam meam in manu mea.* Vel aliter. Quia manibus operamur, *animam in manibus habere*, eſt fructus animę ſacris operibus exercere, aptè ergo ſubditur, *& Legem tuam non ſum oblitus*: ille enim Legem Dei memoriter tenet, qui hoc quod legit, operibus exercet, ad hoc enim legitur, ut memoriter teneatur, ad hoc memoriæ traditur, ut operibus impleatur. Verùm prior ſenſus magis videtur literalis, unde mox intulit Vates.

Iob. 13.

1. Reg. 28.

Poſuerunt peccatores laqueum mihi: & de mandatis tuis non erravi. In hac enim mundi ſilva, tot laqueos invenis, quot vitia contueris, ſed non capit laqueus, niſi ante eſca te ceperit, dum prædam petis, ipſe te laqueo nectis: Eſca laquei ſuperbia eſt; eſca laquei luxuria eſt, eſca laquei avaritia eſt: & ſic tribus præcipuè laqueis irretitus tenetur homo, qui ſunt inordinatus propriæ excellentię affectus, inordinatus appetitus carnalium delectationum, adeo ut ſenſum ſibi dominari permittant ſpreta ratione; tertiò inordinatus appetitus terrenorum. Sed ab his laqueis facilè liberatur, qui Legis attendit inſtructionem. Nam primò docet, hortatur, ac jubet, ut cum jejunamus, ſive bonum aliud agimus, in verſ. 110.

 gratiam

Digitized by Google

gratiam hominum illud non agamus, ſed in gratiam Patris cœleſtis, à quo ſolo benè acta per nos conſpici velimus, qui cum intimum cordis intueatur, qua intentione ea agamus, optimè novit, & juxta illam nos remuneratos reddet. A ſecundo laqueo liberat, cum docet, ut carnem & ejus petulantiam parſimonia & jejunio caſtigemus; jejunium enim cũ ſit juſta edendi ratio ſecundum Dei voluntatem, eſt etiam ordinata carnis diſtrictio, ut ſpiritui ſubdatur: quoniam ſi oppoſitorum oppoſiti ſunt effectus, quemadmodum voluptuoſus ac ſuperfluus eſus, & potus, rebellionem carnis ad ſpiritum induxit, ita & moderata per jejunium caſtigatio, ſubjectionem & obedientiam in ea inducet. A tertio denique laqueo liberat, cum animi noſtri affectum docet à terrenis abſtrahere, & in cœlo tantum theſauriſare: quia ergò hos laqueos per mandatorum directionem evaſit, conſequenter adjungit.

Hæreditate acquiſivi teſtimonia verſ. 111.
tua in ęternum: quia exultatio cordis mei ſunt. Hoc ſermone affectum ſuum indicat erga divina mandata, cum ea ad ſimilitudinem rei hæreditariæ, (ut ſcilicet firmiter poſſideret,) acquiſiviſſe à Chriſto ſe aſſerit, & exinde ingentia cordis ſumpſiſſe oblectamenta; quia etſi afflictio ſint corporis, ipſa tamen ſunt exultatio cordis, quia vitam promittunt æternam. Et ideo lætus addit,

Inclinavi cor meum ad facien- verſ. 112.
das juſtificationes tuas in æternũ, propter retributionẽ. Inclinavi cor meum, id eſt, voluntatẽ & affectũ, ut mandata tua humilitatis ſenſibus operarer *in ęternũ*: nam qui iſta facit ſtudio charitatis, *in æternum* facere comprobatur, quia fructum eorum ſub æternitate recipiet. Vnde & addit, *propter retributionem.* Servile fermè videtur, Dei Legem amplecti, atque illius tantùm

tantùm inhęrere decretis, ſpe premij: Quare omninò particula hæc eſt eradenda ſecundum Hebræos aut mitius interpretanda, unde indicat Felix poſſe legi, uſque in pręmium, hoc eſt, donec appareat quid pietas receptura ſit. Aliter dici poteſt, quod ſicut timor purè ſervilis, nihil meretur, ſic propter ſolam *retributionem* operari, nihil meretur, quia utrumque iſtorum procedit ex privato amore: ſed quemadmodum timor initialis, meritorius eſt, in quantum habet aliquid de charitate adjunctum, ſic *propter retributionem* operari, meritorium eſt, quando intentio ultima fertur ad Dei honorem, ſeu Deum, quem neceſſe eſt principaliter intendi in omni meritorio actu. Poſtremò quemadmodum timor filialis maximè complacet Deo, ſic tota mente Dei honorem intendere, & propter purum Dei amorem bona agere, maximè ſanctum & meritorium eſt; quoniam hoc, ex divino cauſatur amore. Nihilominus homo talis implicitè agit propter mercedem, eamque aliquo modo intendit, non ex amore privato, ſed ex amore divino, in quantum videlicet Deus vult, ut operemur propter premium felicitatis æternæ.

INiquos odio habui: & Legem tuam dilexi. Iudæi quia ungu- verſ. 113.
lam non ſcindebant, animalia erant immunda, & adhuc cum aſina literalis cæcitatis, ubi ab Abrahamo dimiſſi fuerant, remanebant; atque ita inter naturam & culpam diſtinguere neſcientes, utrumque odio habebant. Nobis autem eos odiſſe licet, qui verè inimici exiſtunt. Inimicus verò is eſt, qui nobis mala vult, quemadmodum is, qui bona vult nobis, amicus dicitur. Malum autem quoddam verum eſt, quoddam verò tantummodo apparens, ut mala pœnę, quæ

verè mala non ſunt, cum nobis, nobis nolentibus, numquam obeſſe poſſint, at volentibus, plurimùm proſint. Mala igitur verè mala illa omnia ſunt, quę nobis ſecundum eam rationem, qua homines ſumus, adverſantur: cujuſmodi ſunt ea, quę rationi & fini noſtro repugnant; hæc ſola ſunt peccata, unde qui nobis vult peccata, is verè inimicus exiſtit, ſive mundus ſit, ſive diabolus, ſive concupiſcentia, aut pravi homines, de quibus ſcriptum eſt *inimicus homo ſuperſeminavit zizania*. (Mat. 13.) Hos odiſſe debemus, ſic tamen ut odio ſit culpa, non natura; non verò eos qui mala pœnę inferunt, quoniam nobis ſunt inſtrumenta divinæ providentiæ, exercitationes virtutum, & glorioſæ coronæ ſeminaria. Vnde quemadmodum humanæ animę motus, ad diligendum amicos plurimum inclinat, ita quoque Chriſtiana vita Chriſti ſpiritu vivens, motu ſibi connaturali, inclinat ad dilectionem inimicorum; & eò vehementius, quò inclinationis ſpiritus potentiores ſunt, quam carnis, & gratiæ virtus major eſt, quam naturę. Confirmatur veritas hæc ex his, quæ in capite noſtræ vitæ hujus, ac Spiritus fonte Chriſto Ieſu, clare perſpeximus, qui adeo inimicos dilexit, ut pro inimicis pati & mori non recuſaverit, & proximus morti, (Luc. 23.) pro ſuis crucifixoribus exoravit. Additur quoque in verſu, *& Legem tuam dilexi*, per quod apertè indicat, non ſe in eis odiſſe naturam, qua homines ſunt, ſed odiſſe iniquitatem, quâ Legi quam diligit, contrarij ſunt & inimici: qui enim Legem diligit, Legis adverſarios quicumque ſint, odit. Sed quoniam ita in immenſum hujuſcemodi accrevit hominum lues ac vis, ut penè etiam ipſi perfectiſſimi viri, ab eorum obruantur impreſſione ac impetu, ideo adjunxit.

Adjutor

Digitized by Google

vers. 114 *Adjutor, & ſuſceptor meus es tu: & in verbum tuum ſuperſperavi. Adjutor* ad bona facienda, & *ſuſceptor* ad mala evitanda, vel *adjutor* in pręſenti, & *ſuſceptor* in futuro *meus es tu*, qui in te ſperantes numquam derelinquis: *& in verbum tuum*, id eſt, in Filium tuum, *ſuperſperavi*, id eſt, ſuper omnes in ipſo ſperavi, quia in eo vitam beatam Abrahæ promiſiſti, & ſemini ejus, id eſt, omni fidem
Luc. ejus imitāti. Vel ita, *& in verbum tuum ſuperſperavi*, tamquā Filius promiſſionis, ſemper addens ſpei, quia ſcio quod reddes quod promiſiſti: *quis*
Ecc. 2. *enim ſperavit in Domino, & confuſus eſt?* Et quia in Domino ſperans, à perfidorum conſortio ſeparare ſe debet, rectè ſubjungit,

vers. 115 *Declinate à me maligni: & ſcrutabor mandata Dei mei. Declinate à me* adverſariæ poteſtates & homines pravi, nam dum illæ per malas ſuggeſtiones, etiam uſque ad motionem organorum corporalium & virium animæ ſenſitivę nos moleſtant, hi verò contentioſa ſemper malignitate confligūt, & calumnias exquiſita voluntate concipiunt, ad ſcrutanda mandata Domini, idonei non poſſumus inveniri, ubi totis debemus animæ viribus occupari; nam quiſquis mandata Domini ſcrutari voluerit, is ſupra vitam ſuam ſenſitivam, intro ſe recipiat oportet in ſupremam interioris hominis ſui portionem, memoriam habeat cunctis rerum ſenſibilium formis ac imaginibus nudam & abſolutam, intellectū æternæ veritati patentem, & per amorem ad eandem elevatum. Quia ergò malignorum odium, junctaque cum poteſtate malevolentia, hanc diſpoſitionem & internā exercitationem turbant & eliminant, Dominum humiliter rogat, ut ſublatis prorſus obicibus, eum ſuſcipere dignetur, dicens:

Suſcipe

Digitized by Google

Verſ. 116. *Suſcipe me ſecundum eloquium tuum & vivam: & non confundas me ab exſpectatione mea.* Eſſet fortaſsè temerarium Domino dicere *ſuſcipe me*, niſi adjungeret promiſſionem, quæ neſcit aliquando decipere: ait ergò, *ſuſcipe* brachijs pietatis immenſæ, *me* filium prodigum ad te revertentem, *ſecundum eloquium tuum*, id eſt, promiſſum, quod eſt de venia ingemiſcentis, & ſe ad Deum convertentis; & tunc *vivam* per gratiam multò fœlicius, quam vivo per naturam ſeu animam. Vel de futuro dicitur *vivam*; tamquam in hoc corpore non vivatur; corpus enim mortuũ eſt propter peccatum, & exſpectantes redemptionem corporis noſtri, *ſpe ſalvi facti ſumus*, & quod non videmus ſperantes, cum patientia exſpectamus, ſed *ſpes non confundit, ſi charitas Dei diffunditur in cordibus noſtris, per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis*: propter quem largius accipiendum, clamatur ad Patrem, *non confundas me ab exſpectatione mea.* Sed cum dicit *ab exſpectatione mea*, nullum tempus ponit quo exſpectare non debeas; res enim iſta in pectoribus ſanctis non habet finem. Beata ergò exſpectatio, ubi certa promiſſio, cur enim defectum ſpes fidelis ſuſtinere poſſit, cum is qui promittit neſcit immutari? Exſpectatio itaque Sanctorum, eſt gratiam in præſenti, & pro futuro, cœlorum regna Angelorumque conſortia promereri, & quod ſupra totum eſt, ipſum jugiter videre, qui in beatorum ſemper ſolet corde dulceſſere. Et quia homo hanc exſpectationem virtute propria conſequi non poteſt, ideo ſubditur.

Caſſiod. Lud. Magal. Romã. 8. Romã. 5. Hugo.

Adjuva me & ſalvus ero: & meditabor in juſtificationibus tuis ſemper. Verſ. 117. *Adjuva me* in hac vita ad benè operandum, contra inimicos qui me volunt perdere, quia per me, & à me, nihil poſſum: & hìc ſub ſpe tua protegar,

protegar, & ſalvabor in præ-
ſenti ab omni tentatione, &
in futuro æterna ſalvatione;
& ideo, *meditabor in juſtifica-*
Caſſiod. *tionibus tuis ſemper*. Quam-
vis verba iſta ſæpè videantur
eſſe repetita, magna tamen no-
bis aſſiduitatis illius Sacramē-
ta declarantur: hoc enim ad
ampliſſimum mentis deſideri-
um debet aptari, quod nulla
inde poterat intermiſſione ſu-
ſpendi, ubi cogitationes om-
nes firmam fecerant manſio-
nem, ſed voluntas ſua ſibi po-
ſtulat, exigit, & requirit, quod
ultra poſſe ſuum ſua ſit memo-
ria mandatorum Dei memor,
& intellectus ea intelligat &
percipiat ultra intelligentiæ
ſuę metas. Nec abs re eſt quod
tam anxiè Vates *in juſtificatio-*
nibus Domini meditatur, ſiqui-
dem ex earum neglectu, illud
quod ſequitur neceſſariò con-
tingere oportet.

vers. 118. *Spreviſti omnes diſcedentes à*
judicijs tuis: quia injuſta cogitatio
eorum. Spernit & abjicit Deus
eos, qui divinæ voci reſiſtunt,
aut reluctantur, vel ſuis cupi-
ditatibus abducti, foras ſeſe
convertunt ad vitam ſenſibus
plauſibilem, quorum perverſi-
tas longo habitu, ex volunta-
ria verſa eſt in naturalem, &
ex libera effecta eſt ferè neceſ-
ſaria. Horum cogitatio divi-
næ juſtitię contraria eſt, quia
velle peccare, & juſtiſſimo Iu-
dici nolle ſatisfacere, aut ſeſe
per fragilitatem naturæ, per
Dei miſericordiam, vel circa
hæc terrena incuriam excuſa-
re, *injuſta cogitatio* eſt: Quapro-
pter meritò ab omnibus ſper-
nendi ſunt. Ego quoque,

Prævaricantes reputavi omnes Vers. 119.
peccatores terrę: ideo dilexi teſti-
monia tua. Hæc ſententia niſi
diligentius perquiratur, Apo-
ſtolo videtur eſſe contraria;
ille enim dicit *qui ſine Lege pec-* Roma. 2.
caverunt, ſine Lege peribunt: Hic
autem omnes peccatores terrę
pręvaricatores eſſe teſtatur, *ubi*
enim non eſt Lex, ibi nec prævari- Roma. 4.
catio. Sed utrumque verum eſt,

Digitized by Google

quoniam ab uno veritatis fonte deſcendit: de illa nempè conſtitutione dicit Apoſtolus, quæ tabulis lapideis in monte Syna digito Domini probatur deſcripta; nam & aliæ Leges, per quas populi ſententię ſubjacebunt, ut eſt fortè illa, de qua idem Apoſtolus: *Cum gentes quę Legem non habent, naturaliter quæ Legis ſunt faciunt. Hæ Legem non habentes, ipſæ ſibi ſunt Lex.* Nullus eſt qui facit alteri injuriam, niſi qui fieri nolit ſibi, & in hoc tranſgreditur naturalem Legem, quam non ſinitur ignorare, dum id quod facit, non vult pati. Parvuli quoque in ſimilitudine prævaricatoris Adæ, ad illam prævaricationem pertinere monſtrantur, quæ data Lege, in Paradiſo prima commiſſa eſt; ac per hoc rectè, nullo prorſus excepto, pręvaricatores æſtimantur *omnes peccatores terræ.* Dicit autem *peccatores terræ,* quia de terra ſunt, vel quia in terra peccant, peccatores verò

Ma gal. Ro- mă. 2.

cœli, angeli fuerunt, domicilium ſuum non tenentes. Ait ergò, *prævaricantes*, id eſt, Legis tranſgreſſores *reputavi omnes peccatores terrę*, declinantes à Lege naturali in cordibus ſcripta, vel à Lege per Moyſen data, & literis promulgata, ſive à Lege in Paradiſo tradita: Et ideo ne ſimili modo tranſgreſſor exiſtimarer, *Legem tuam dilexi*, quæ rectè docet incedere per viam veritatis & juſtitiæ, & eos etiam quos litera occidit, ad vivificantem ſpiritum confugere compellit, per quē peccatorum deleatur univerſitas, & benefactorum charitas inſpiretur. Et quia carnis petulantia, id eſt, furens luxuria, frequenter impedit gratiam in hac vita, ideo ſubditur.

Confige timore tuo carnes meas: à judiciјs enim tuis timui. Corpus ſuum inuſitata ſupplicatione, Domini petit timore configi, ne ab eo poſſit noxia libertate diſſolvi, ut hìc mortificatum, ibi reddatur æternum, hìc temporaliter vers. 120.

Digitized by Google

poraliter mœſtum, illìc ſit ſub perpetuitate lætiſſimum. Sed illud reſpice quod dicit, *timore tuo*, caſto ſcilicet atque perfecto, qui non tantùm ante oculos habet formidinem vindictę, ſed vehementer metuit amiſſionem gratiæ: timor namque quo non amatur juſtitia, ſed timetur, pæna ſervilis eſt, & ideo non configit carnem;
Aug. vivit enim peccandi voluntas, quæ tunc apparet in opere, quando ſperatur impunitas, quia non ſpiritualiter Legis bono delectatur, ſed carnaliter malum metuit, quod minatur. Caſto verò timore carnes configuntur vel crucifiguntur,
Magal. quando carnales delectationes quæ Legis litera vetantur, potius quam vetantur ſpiritualium bonorum delectatione, vincuntur, & eadem uſque ad perfectum, creſcente victoria perimuntur.

Verſ. 121. F*Eci judicium & juſtitiam: non tradas me calumniantibus me.*

Iugiter nos in hoc mortali corpore vitiorum caterva proſequitur, ſed ſi menſura judiciorum & juſtificationum Dei in nobis manet, ut prudenti conſilio ea quæ his conveniunt faciamus, horum perſecutorum manibus non tradêmur. Eſt autem juſtitia animi, & juſtitia operis; prima eſt, quâ animus eſt Deo rectus & ęquus, quod principium & finis ejus exiſtit, quemadmodum juſta & recta eſt linea, quæ à punctis inter quæ protenditur, nihil obliquat: ita quoque cum animus à Deo nihil diſcrepat, juſtitia animi pollet. Secunda eſt, quâ opus noſtrum voluntati Dei à qua procedit, & ad quam terminari debet, minimè adverſatur; à prima namque ſecunda oritur, & utraque in nobis gignitur ex fide Ieſu Chriſti, quâ in eum credentes grati Deo efficimur, & à peccatis ſuâ gratia expiamur, & ita hac radice tamquam forma quâ agimus,

Digitized by Google

mandatis ejus rectè, juſtè, optimè, obedimus. Intendamus itaque verba quæ dicta ſunt, ut arrogantiam Sanctis odioſam, nulla poſſit cogitare perverſitas. Facit *judicium*, quiſquis judicat contra ſe, & pravitates ſuas ante Domini examen condemnat: ſed ne hoc judicium adulatorium magis putares quam verum, addidit *juſtitiam*, nos judicamus, quando delictorum noſtrorum vindices ſumus; ipſa ergò eſt æquitas quæ nos abſolvit à pęna, ipſa quæ nos liberat à reatu, ſi noſmetipſos cognoſcimus ſceleribus involutos. Iuſtitiæ autem nomine hoc loco non ipſa virtus, ſed virtutis ipſius præmium ſignificatum eſt: quis enim facit in homine juſtitiam, niſi qui juſtificat impium, hoc eſt, per gratiam ſuam ex impio facit juſtum? unde ait Apoſtolus. *Iuſtificati gratis per gratiam ipſius*: fecit ergò *juſtitiam*, id eſt, opus juſtitię, qui habet in ſe juſtitiam, id eſt, opus gratiæ. Benè autem poſtquam dixit *feci judicium & juſtitiam*, adjungit, *non tradas me calumniantibus me*, quia opus merendi antefertur, dehinc meriti pręmium poſtulatur: ſunt autem calumniantes tum homines mali qui nocere cupiunt, tum inimicæ infeſtæque virtutes, quę ut fidei propoſitum conturbent, timorem Dei oblitterent, in terrenas cupiditates & deſideria ſollicitent, infirmam corporis naturam quibuſdam blandimentorũ aculeis in vitia commoveant, ſemper adſtant & laborant. Hæc ergò oratio allegationis eſt, qua meritis ſuis propoſitis petit ne tradat eum Deus, id eſt, ſubtrahendo auxilium permittat concludi tentationis conſenſu. Proficit autem in ſpes ſuas Propheta, & celſiorem jam deprecationis ſuę gradum ſcandit.

Caſſiod.

Magal.

Tit. 3.

verſ. 122. *Suſcipe ſervum tuum in bonum: non calumnientur me ſuperbi.* Vnicum ſanè bonum eſt animæ,

ita

ita à cœleſti Patre ſuſcipi, atque (uti conſueſcunt pueri) inter ulnas nutricis foveri, ut tuta omninò ſit, adoleſcatque in Deo. Quapropter hic ſervus, & liberationis profeſſio cognoſcitur & honoris: Servus enim à ſervando dicitur, quod cum captivum ab imminenti interitu, Domini ſui manus miſerata ſervavit. Et quoniam inimicorum calumniẹ tunc maximè vincuntur, cum Chriſtus & ejus paſſio diligentiſſima pietate, atque ejus eloquia vigilanter attenduntur, ideo ipſe dicit.

Verſ. 123. *Oculi mei defecerunt in ſalutare tuum: & in eloquium juſtitiẹ tuẹ.* *Oculi mei* interiores, ratio ſcilicet & intellectus, ac intuitus mentis, *defecerunt* à ſe, ab appetitu terrenorum, ſcienter & ardenter intuendo *in ſalutare tuum*, in Ieſum qui hebraicè Salvator dicitur: ac ſi diceret, ut à morſibus calumniantium non lẹdar, ſerpentem æneum, id eſt, Chriſtum pro me in
Nu. 20.
cruce ſuſpenſum, inceſſanter conſidero. Oculi namque animæ noſtræ, tota mentis intentione in Chriſto ſunt fixi, dum ejus adventum cum magno fervore & deſiderio præſtolamur, in illo quem diligimus, totis oculis occupamur, nec quicquam aliud videre delectat. *Et in eloquium juſtitiæ tuæ*, id eſt, in verba Euangelica, quorum obſervatio, bonum & ſanctum efficit obſervantem, *Eruditus in verbo reperiet bona:* dicuntur ergò *eloquia juſtitiæ*, quia in ſe continent omnem juſtitiam & veritatem. Prov 16.
Vel aliter. *Oculi mei defecerunt in ſalutare tuum*, id eſt, oculi cordis intelligere non poſſunt, quomodo gratia Dei tam larga liberalitate, & adeo copioſa largitate, aliquibus exhibeatur, ut vix poſſint non converti; *& in eloquium juſtitiẹ tuæ*, id eſt, quomodo ſervata juſtitia aliquibus omnis divina motio ſubtrahatur, ut nulla eos præveniat ad pẹnitentiam,

Digitized by Google

tiam, ſed in ſuis puris naturalibus à Deo relinquantur, ut nullus motus naturæ eis ſufficiat, ut à peccato reſipiſcant. Et ideo exclamat.

verſ. 124. *Fac cum ſervo tuo ſecundum miſericordiam tuam: & juſtificationes tuas doce me.* Quamquam omnibus bonus exiſtit Deus, in hoc tamen ſingulariter bonus dici poteſt, quod etiam non benè meritos ſæpè remunerat, qui ita bonitatis & miſericordiæ effectus exiſtit, ut non propterea repugnet juſtitiæ: benè meritos non remunerare, aut punire non demeritos, injuſtitia eſſet, at non benè meritis præmium dare, & demeritos non punire, ſed abſolvere, gratia adeo eſt, quod injuſtitia eſſe non poſſit. Ex his habere poſſumus Deum cum omnibus ita irrefragibiliter ſervare juſtitiam, ut tamen cum multis ſervata juſtitia, gratia & miſericordia utatur. Ait ergò. *Fac cum ſervo tuo ſecundum miſericordiam tuã,* quia gratiam Dei abſque juſtitię prejudicio dari conſtat, non ſecundum opera, labores, dimiſſa bona, & his ſimilia, ſed ſecundum divinam voluntatem, tamquam ſecundum veram cauſam; non propterea occaſionem, ſine qua non, ex parte recipientis excludendo: quia etiam ratione conſequẽter adjungit.

Servus tuus ſum ego: da mihi intellectum, ut ſciam teſtimonia tua. verſ. 125. *Servus tuus ſum ego,* non tantùm ſervitute primariæ conditionis, qua tota natura ſubjicitur creatori Deo, ſed etiam ſervitute gratę juſtificationis, ſecundum quam homo implet præcepta Dei, ſerviens propriæ ſaluti. Et quia ſervi eſt voluntatem Domini implere, addit: *da mihi intellectum, ut ſciam teſtimonia tua.* Quamvis enim univerſa quæ expediunt, continuis precibus à Domino ſint poſtulanda, maximè tamen divinarum Scripturarum intellectus

jugi-

Digitized by Google

jugiter petendus eſt, quando non ignoramus Chriſtiano homini mentis ſuæ pace, ac quiete perfrui cupienti, nihil utilius inveniri poſſe, ſacrarum Scripturarum aſſidua meditatione, frequentique lectione. Hæ enim hominis animum adverſus quoſcumque tentationum impulſus, contra quoſlibet tempeſtatum ac perturbationum quamvis graves incurſus, ſecurum reddere poſſunt, & in verę pacis ſoliditate ſtabilem conſervare. Hæ de omnibus tam agendis, quam credendis plenè inſtruunt, ad mali odium, fugamque, & ad virtutis amorem ac deſiderium, Chriſtiani animum efficaciſſimè commovent: unde terrenarum rerum & cadentis vitæ contemptus oritur, exoriturque verorum, ac cœleſtium bonorum ardens animi affectus. Nam ita fit ut Domino Deo ſemper præſens aſſiſtas, illum alloquaris, eum loquentem audias, & modò ſermonum ejus vivaces ſagittas intimo corde excipias, modo comminationibus terrearis, modò verò promiſſione cœleſtis ac perpetuæ vitæ conſolaris, confortaris, ac bearis; præcipuè ſi hæc omnia clarè ac plenè poſſis intelligere. Et quia omnia quę facit Dominus aptiſſima diſpoſitione cōplentur, ut ante fieri non debeant, niſi quando ille miſeratus indulſerit, benè proſequitur.

Tempus faciendi Domine: diſſipaverunt Legem tuam. Tempus vers. 126.
eſt Domine ut Scripturarum intellectum mihi tribuas, quibus docere, arguere, corripere, & erudire poſſim in juſtitia: quia *diſſipaverunt Legem tuam*, id eſt, aliter quam præceptum eſt egerunt, & prævaricationis iniquitate, integritatem ejuſdem Legis non cuſtodierunt, videlicet, aut perverſè exponendo ut Iudæi faciunt & hæretici, ſive eam non recipiendo, ut pagani, ſeu etiam eam Aug.

am eam tranſgrediendo ut mali Chriſtiani, atque innumeris modis alijs Legem tuam corrumpendo. Quia ergò contra hos prævaricatores Scriptura, quæ à Spiritu ſancto procedit, virtutem ſecum adfert, dicit.

verſ. 117. *Ideo dilexi mandata tua, ſuper aurum & Topazion.* Natura fidei hæc eſt, ut, quò plus impugnata fuerit, eò amplius concreſcat, viridiorque fiat, quemadmodũ & ignis afflatu compulſus, invaleſcit. Ideo ait
Chr. Chryſoſtomus fidem in perſecutionibus tutam eſſe, in pace periculoſam. Grandis ergò Religionis creſcit affectus,
Caſſiod. quotiens eam improborum impugnare tentat audacia, pro hoc enim additum eſt, *ideo:* erat itaque ſanctiſſimo choro ſuper aurum & gemmas, quas pręcioſiſſimas habet humanitas, mandatorum Domini reverentiam cuſtodire, iſtud enim temporaliter humanis blanditur aſpectibus, inde autem in ęternam requiem mens beata perducitur. Per *Topazion* autem qui omnium gemmarum in ſe continet pulchritudinem, intelligimus omne pulchrum viſu hujus ſæculi, & ponit hìc rem determinatam pro indeterminata: meritò quoque addit *dilexi*, id enim Magal.
gratia agit, ut in dilectione impleantur mandata Dei, quæ timore non poterant; gratiâ quippè diffunditur *charitas in* Româ. 5.
cordibus noſtris, per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis. Propter quod & Dominus ait, *non veni ſolvere Legem, ſed adimplere:* & Mat 5.
Apoſtolus, *plenitudo Legis eſt* Româ. 13.
charitas. In Teſtamento autem veteri, latentem gratiam tamquam velo interpoſito, propter mercedem terrenam atque carnalem, Dei mandata facere conabantur, neque faciebant; quia non ipſa, ſed aliud diligebant: unde illa non erant opera volentium, ſed onera potius invitorum. Cum verò ipſa mandata diliguntur

ſuper

Digitized by Google

ſuper aurum & Topazion, omnis præ ipſis mandatis terrena merces eſt vilis, neque ulla ex parte comparantur alia hominis bona, his bonis, quibus ipſe homo fit bonus. Quia igitur amare non profutura dementis eſt, ſed illud decet viros ſanctiſſimos concupiſcere, quę poſſint præmia numquam peritura conferre, congruè adjungit.

verſ. 128. *Propterea ad omnia mandata tua dirigebar: omnem viam ini-*
Lud. *quam odio habui.* Id eſt, propter hoc quod ita dilexi, atque ab opere otioſus non fui, *ad omnia mandata tua*, (quibus dilectione cohærebam,) in cogitationibus, verbis & operibus meis *dirigebar*, ut ea ob cœleſtem mercedem recta intentione implerem, in omnibus ſecundum ea me regulando, nec ad dextram nec ad ſiniſtram declinando, ut ex rectis fierem rectus: unde *omnem viam ini-*
Aug. *quam*, ſcilicet à recta via declinantem, & ad peccata deducentem, tamquam naufragiū viæ rectæ, *odio habui.* Qui enim amat rectam viam, neceſſariò odit iniquam, quia aliter ad omnia non poteſt dirigi mandata; bonum enim ſeſe diligit, & aſpernatur contraria.

M*Irabilia teſtimonia tua: ideo* verſ.
ſcrutata eſt ea anima mea. Mi- 129.
rabilis certè Scriptura eſt, in qua non ſolum voces ſignificant, verùm etiam res per voces ſignificatæ; quia auctor Scripturæ eſt Deus, in cujus poteſtate eſt, quod non ſolum voces ad ſignificandum accommodet, ſed etiam res ipſas. Illa ergò prima ſignificatio, qua voces ſignificant res, pertinet ad primum ſenſum, qui ſcilicet eſt hiſtoricus vel literalis. Illa autem ſignificatio, qua res ſignificatę per voces, iterum res alias ſignificant, dicitur ſenſus ſpiritualis. Hic autem trifariè dividitur, ſicut enim dicit Apoſtolus, Lex vetus eſt figura novæ Legis, &

ipſa Lex nova, eſt figura futurę gloriæ: In nova etiam Lege, ea quæ in veteri geſta ſunt, ſunt ſigna eorum quæ nos agere debemus. Secundũ ergò quod ea quæ ſunt veteris Teſtamenti, ſignificant ea, quæ ſunt novę Legis, eſt ſenſus allegoricus: allegoria enim eſt idem quod aliena ductio, ab alle, quod eſt alienum, & goges, quod eſt ductio. Secundum verò ea quę in Chriſto facta, vel in his quæ Chriſtum ſignificant, ſunt ſigna eorum quæ nos agere debemus, eſt ſermo tropologicus, id eſt, converſus ad mores; prout verò ſignificat ea quæ ſunt in æterna gloria, eſt ſenſus anagogicus, anagogia eſt ſurſum ductio, ab ana quod eſt ſurſum, & goges, quod eſt ductio. Eſt itaque Scriptura in ſenſu literali plana & facilis, in ſenſu verò ſpirituali omne devincit, & ſuperat humanum ingenium. Hinc Auguſtinus libro ſecundo ſuper Gen: ait, Major eſt hujus Scripturæ auctoritas, quam omnis humani ingenij perſpicacitas, & idem in epiſtola ad Voluſianũ. Tanta eſt enim profunditas Chriſtianarum literarum, quod in eis quotidie proficerem, ſi eas ſolas ab ineunte pueritia, uſque ad decrepitam ſenectutem maximo otio, ſummo ſtudio, meliore ingenio, conarer addiſcere, nec ſic tamen clauſa eſt Scriptura ut paveſci debeat, nec ſic patet ut vileſcat, obſcurioribus dictis fortes exercet, parvulis humili ſermone blanditur, uſu faſtidium tollit, & tantò plus diligitur, quantò amplius meditatur. Vnde ſequitur,

Declaratio ſermonum tuorum vers. 130
illuminat, & intellectum dat parvulis. Id eſt, manifeſtatio ſermonum tuorum ſcriptorum in Lege, ſive nova Lex veterem declarans, *illuminat* quaſi Sol, de ſpe & certitudine ęternorum, contra ſtultitiam, illuſtrat intellectum ſubtilitate penetrandi audita, & hoc con-

tra

tra tarditatem & hebetudinẽ ingenij, illuſtrat mentem in agibilibus, quid videlicet agendum quidve fugiendum ſit, & hoc contra præcipitium, ſicut alibi dicitur, mandatum lucerna eſt, Lex, lux, & via vitæ. Illuſtrat mentem radio confidentiæ, ne adverſa timeat, & hoc contra puſillanimitatem, illuſtrat mentem de veritate Creatoris contra ignorantiam, diffundit cordi radium miſerationis ad proximum, & hoc contra crudelitatem, & denique pondere ſuæ lucis premit mentem, ne de acceptis bonis ſuperbiat, ſed ęterna requirat, & hoc contra ſuperbiam. Sed quinam taliter illuminentur videamus; *& intellectum dat parvulis:* ſed iſti parvuli, non de ætate metiendi ſunt, ſed de ſimplicitate conſcientiæ, de

Mat 19. quibus dictum eſt, *ſinite parvulos venire ad me, talium enim eſt regnum cælorum.* Ipſis enim hic pręſtat purum & innocentiſſimum intellectum, quibus ibi æternum donaturus eſt pręmium. Et quia cognitio veritatis excitat appetitum ad amplius cognoſcendum, ideo ſubditur.

Os meum aperui & attraxi ſpiritum: quia mandata tua deſiderabam. vers. 131. Si hoc ad literam velis advertere, Caſſiod. conſuetudo loquentis expreſſa eſt, prius enim os aperitur, ſpiritus contrahitur, ac deinde in ſonum vocis mobilitas linguæ adhibetur: ſed ſi ſpiritualiter ut oportet intelligas, *Os* dicit mentis introitum, qui tunc aperitur, quando aliquid diſcere feſtinamus; attrahit autem *ſpiritum*, cum jam munere divino, ſalutaris deſiderij completur affectu. Ait ergò, *Os meum* ſcilicet animæ, id eſt, mentis introitum & cordis aviditatem, *aperui*, intellectum extendi, per conatum ſcilicet exercendi me, ad diſcendum & capiendum verbum Dei, quod eſt cibus animæ: *aperui* inquiam *os meum*, ſicut ſitiens in æſtu aperit Lud.

Digitized by Google

os ſuum cum magno deſiderio, captans auram calore ferè exhauſtus; *& attraxi Spiritum* ſanctum, auram ſcilicet ſalubrem, unde facerem quod per meipſum non poteram mandatum ſanctum, juſtum, & bonum. Ille enim Spiritum ſanctum acquirere laborat, & gratia ſe dignum reddit, qui mandata ejus ſcire deſiderat, & hoc eſt argumentum magnũ quod propter deſiderium datur homini gratia. Et quia ſic tua deſiderabam mandata, ergò,

verſ. 132. *Aſpice in me, & miſerere mei, ſecundum judicium diligentium nomen tuum*. Quaſi diceret, oculi mei ad te, *reſpice in me*, ſuſpicientem in te, oſtende faciem tuam & ſalvus ero, ut poſſim dicere cum Iacob, *vidi Dominum*
Gen 32. *facie ad faciem, & ſalva facta eſt anima mea*. Mitte in me radios oculorum tuorum, ut reſolvatur glacies peccatorum meorum: oculi enim tui velut flamma ignis, & quaſi ſplendor ſolaris; propter quod & David Dominum orabat dicens, *ne avertas faciem tuam à me, ne* Pſal. 26.
declines in ira à ſervo tuo, faciem ſcilicet agni, reſpectum miſericordiæ & pietatis tuæ, oculos clementię, de quibus David, *oculi Domini ſuper juſtos*: o- Pſal. 33.
culi autem Domini quibus nos reſpicit, dicuntur diverſi effectus miſericordiæ ipſius. Septem etiam dona Spiritus ſancti, oculi ejus ſunt; unde in Zacharia dicitur, *Super lapi-* Zac. 3.
dem unum ſeptem oculi ſunt. Oculo timoris, reſpicit terrenos, dicente Propheta, *qui reſpicit* Pſal. 103.
terram & facit eam tremere, ocu- Mat. 9.
lo pietatis, reſpexit Matheum Luc. 22.
& Petrum, oculo ſcientiæ, *re-* Gen. 4.
ſpexit ad Abel & ad munera ejus, Gen. 14.
oculo fortitudinis, *reſpexit ad caſtra Ægyptiorum*, oculo conſilij, reſpexit eum interrogantem *quis eſt meus proximus?* & Luc. 10.
reſpondet, &c. oculo intellectus, cum *elevatis oculis in Diſ-* Luc. 6.
cipulos ſuos dixit: Beati pauperes, quoniam, &c. oculo ſapientiæ, *reſpexit humilitatem ancillę ſuæ.* Luc. 1.

Ait

Ait ergò, *aſpice in me* oculo miſericordię & pietatis, *& miſerere mei*, delendo maculas quas in me invenis, & hoc precor, *ſecundum judicium diligentium nomen tuum*, id eſt, ſecundũ quod judicas faciendum diligentibus te, quibus ſubvenis gratia tua; quia ut te diligerent, tu prius ex miſericordia eos dilexiſti. Hugo. Lud. Vel ita, *aſpice in me* aſpectu prædeſtinationis, & da mihi Spiritum rectum, radios gratiæ ad me dirigendo, unde etiam ſequitur:

vers. 133. *Greſſus meos dirige ſecundum eloquium tuum: & non dominetur mei omnis injuſtitia*: Alij vertunt ſecundum veritatem tuam, quidquid enim ordinatur in finem & aberrare poteſt, dirigente eget; ratio autem ſeu regula humanæ vitæ, eſt veritas, quam qui non habet in omni actione, neceſſe eſt errare, quia ſine luce eſt & ſine regula, ac directione; quare nec finem videre, nec media, unde nec intentionem, nec conſilium, nec electionem habere poteſt. Ait ergò, *greſſus meos*, id eſt, motus ac voluntates animæ meæ, Lud. ſive affectus vel opera mea, quibus quaſi greſſibus progredior in hac vita, corrige ſecundum regulam veritatis, & per hoc me dirige ad vitã æternitatis: unde & alio loco dicitur, *deduc me in via ęterna*, Pſal. 138. id eſt, in Chriſto, qui eſt via per quam itur, & ęternitas ad quam pervenitur: via immaculata, manſio beata; puto tamen quia & ante manſionem illam beatam, ſi paraveris Domino viam immaculatam, ipſe dignabitur ſæpius dirigere greſſus tuos, ut dilatato corde curras viam mandatorum ejus. Et vide quam cautè petit, ut non prȩvaleat dominando, licet pulſet tentando *omnis injuſtitia*, ne ſcilicet ad illicitos motus & actus, nos valeat impellere, ſed potius ratione illuminata, fomes peccati in nobis comprimatur: Ita fac Domine, &c.

Digitized by Google

vers. 134. Caſſiod. *Redime me à calumnijs hominũ: ut cuſtodiam mandata tua.* Calumnia eſt commentum aliquod periculoſę falſitatis objectum, quod bonis ſemper hominibus ſtudio perverſitatis objicitur, decolorare contendens quod recta conſcientia fuerat actitatum, ſed ſi calumnia eſt de criminalibus falſis, quæ ei nocere non poſſunt, Aug. quid eſt quod ſe redimi deſiderat? calumnia quippè reum non facit hominem niſi apud judicem hominem, ubi autem Deus Iudex eſt, nemo falſo crimine læditur, quia non cui objicitur, ſed objicienti potius imputatur: Sed hoc eſt *redime me à calumnijs hominum*, tu age infuſo ſpiritu tuo, ne me calumnię hominum terroribus vincant, & à tuis mandatis ad ſua me mala traducant: Hier. fieri enim non poteſt (ait Hieronymus,) ut abſque morſu hominum, vitæ hujus curricula quis pertranſeat; ſed qui in Gregor. terra (inquit Gregorius) illuſiones tolerat, in cœlo per judicium coruſcat: calumniæ enim & opprobria ſunt peccatoribus medicina: unde Bernardus, ego inquit, plagis meæ conſcientię nullam judico meliorem medicinam opprobrijs & calumnijs. Ber. Sunt etiam tutamentum, unde Gregorius, fit ut calumnijs gratia magis quã ira debeatur, quarum interventu de judice pœna gravior declinari poſſe cõfiditur. Gregor. Sunt etiam bonitatis augmentum, unde Gregorius, Idē. boni per calumnias meliores exiſtunt. Sunt etiam bonis ornamentum, calumnia enim eſt ſicut pretioſus lapis in corona hominis, qui quidem lapis talis eſt virtutis & naturæ, ut in Deo faciat ſolidè manere, unde Gregorius, juſtus inquit, Idē. miranda agit, & opprobria patitur, ut qui exire foras per laudes potuit, repulſus contumelijs & calumnijs, ad ſemetipſum redeat, & eo ſe robuſtius in Deo ſolidat, quo foris non

Digitized by Google

non invenit ubi requieſcat. De calumnijs ergò & opprobrijs turbari non debes, ſed potius gratulari, quia Chriſti paſſionibus communicans, revelatione ejus gloriæ gaudebis exultans: unde etiam benè docet Fauſtus in ſermone, benedicta à Deo eſt illa anima cujus humilitas alterius confundit ſuperbiam, cujus patientia proximi extinguit iracundiam; cujus obedientia pigritiam alterius tacitè increpat, cujus fervor inertiam alieni teporis exſuſcitat, qui proximi ſui præ ira turbatum oculũ cordis gratia conſolationis & ædificationis illuminat. Melius eſt huic, quam illi qui fratrẽ ab aliquo contriſtatum, non tam ſuo ſolatio ſublevat, ſed titubantem ſicut parietem inclinatum, maliloquiorum impulſu adjuvat ad ruinam, per ſiniſtra conſilia ſic incitat ut allidat, ſic armat ut perimat: ideoque ne hoc mihi contingat,

Faciem tuam illumina ſuper Verſ. 135.
ſervum tuum: & doce me juſtificationes tuas; id eſt, *faciem* gratiæ vel ſpiritualis intelligentię in Scriptura, per quam tamquam per faciem & ſpeculum cognoſceris. Hoc ergò ſanctus populus petit, ut illuminatam faciem Domini poſſit conſpicere, non velatam: quatenus purâ gratiâ luminis mereatur afflari, nec jam aliquod patiatur obſtaculum, qui veritatis ipſius deſiderabat aſpectum. (Caſſiod.) Poteſt magis cohors ſancta deſiderare Domini Salvatoris adventum, cujus facie illuminata ſunt tenebroſa peccati, vitam conferens mortuis, & certiſſima remedia deſperatis, & benè illuminare dicitur, qui fons illius lucis eſt, quia vera, recta, & juſta ſunt omnia. Et cum verbum Dei ſit veritas prima & abſoluta, ex impreſſione ſui in omni potentia cognitiva actum cognoſcendi cauſans, rectè infert, *doce me juſtificationes tuas*: quia hujus

Digitized by Google

hujus lucis participatione virtutes intellectus ad omne intelligere intelligibile, aptę efficiuntur, ſenſus cognoſcit ſenſibile, & quidquid ad cogitationem quamlibet requiritur, uti à fonte proprio, à luce, (quę verbum Dei eſt,) emanat. Hoc autem ut obtineam,

verſ. 136. *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei: quia non cuſtodierunt Legem tuam.* Ferunt naturales Bdellium eſſe arborem aromaticam, cujus lachryma lucida, guſtu amara ſed odorifera eſt, per quam virtus compunctionis eleganter exprimitur, inde procedunt lachrymæ lucidæ ex deſiderio patriæ, lachrymę amare ex recordatione culpæ, ſed tamen odorem ſervant devotionis.

verſ. 137. Iud. *IUſtus es Domine: & rectum judicium tuum. Iuſtus es* in teipſo ex natura ô *Domine*, quo punis peccatores, *& rectum judicium tuũ*, quo alios ſecundum juſtitiam judicas, quo etiam peccatores jubes ſe affligere, ut eos tua debeat medicina ſalvare; ac etiam quo alios eligis & illuminas, alios reprobas & excæcas, hoc enim judicio facis juſto. Sed hæc eſt conſolatio juſtorum, licet non omnia poſſunt intelligere, tamen firmiter omnia judicia à Deo illis immiſſa fore juſta. Hac cõ- Dan. 3. & 14.
feſſione Daniel feras, & tres Pueri flammas vicerunt. Hæc itaque juſtitia Dei rectumque judicium metuenda eſt omni peccanti; hac enim damnan- Magd.
tur divinitus, quicumq; damnantur, nec eſt omninò qui de ſua damnatione contra Deum juſtum conqueri poſſit. O peccator attende iſtum verſum, & deſine facere malum, quia juſtum eſt Dei judicium, reddet enim unicuique ſecundum ſuum meritum vel demeritum. Et verè juſtus es, quia

Mandaſti juſtitiã teſtimonia tua: & veritatem tuam minis. Teſti- verſ. 138.
monia dicuntur quæ ſub teſti- Caſ. ſiod.
ficatione prolata ſunt; hæc ſcilicet

ſcilicet continent juſtitiam & veritatem, juſtitiá, quia æqualiter omnia diſcernunt, veritatem, quia promiſſa retribuunt, *nimis* autem ad utrumque laudabiliter pertinet, ſive ad juſtitiam, ſive ad veritatem, quia juſtitiam Domini nimis mandare diſtrictio eſt, veritatem verò nimis animis inculcare, cautela eſt. Benè autem Dominus noſter *nimis* hæc mandaſſe dicitur, quia ſic jubet mandata ſua nos ſervare, ut debeamus etiam noſmetipſos abnegare, ſic veritatem diligere, ut animas noſtras pro ea ſciamus odire: qui autem propter veritatem & juſtitiam moritur, *nimis* eam obſervare videtur, cum in tantum juſtitiam diligat, ut ſemetipſum uſque ad mortem contemnat: Et ideo quia *mandaſti*, ideo

verſ. 139. *Tabeſcere me fecit zelus meus: quia obliti ſunt verba tua inimici mei.* Tabes eſt morbi alicujus contracta neceſſitas, quæ nos paulatim defluere facit, dum corporis ſoliditatem pœnali afflictione conſumit. *Zelus* quoque eſt fortis commotio, aut indignantis, aut vindicantis, aut etiam diligentis animi, nam qui indignatur, zelat, *repleti zelo contradicebant his quæ dicebantur*. Act. 13. Zelat etiam qui vindicat cum impetu: *zelus & furor viri non parcet in die vindictæ*. Prov. 6. Rurſus qui vehementer amat, zelat, *ſpiritus zelotopiæ concitat virum*. Num. 5. Et nota quod aliquis zelus eſt indignari benefacientibus, aut injuſtè commoveri ad vindinctam, aut certè rapi præſentium amore; de mala indignatione zeli dicitur, *zelantes Iudæi concitaverunt civitatem*, Act. 17. de mala autem vindicta zeli dicitur, *repleti zelo, injecerunt manus in Apoſtolos*. Act. 8. De malo autem zeli amore, ſiquidem ſit amor carnalis; dicitur, *non zeles mulierem ſinus tui*: Eccl. 9. Si verò ſit amor immoderatus divitiarum, dicitur, *non zeles gloriam & opes peccatorum*; Ibid. ſi autem ſit amor hono-

 ris,

Iſaiæ 26. ris, dicitur, *videant & confundantur zelantes populi.* Zelus autem bonus primò quidem eſt Pſal. 72. indignari peccantibus, *zelavi ſuper iniquos,* item bonus zelus eſt commoveri ex juſtitia ad Num 25. vindictam, *avertit* (dicit Dominus) *iram meam Phinëes, quia zelo meo commotus eſt contra eos.* Rurſus zelus bonus eſt vehementior dilectio divini ho- 3. Reg. 19. noris, *zelo zelatus ſum pro Domino Deo exercituum.* Advertendum etiam, quia omnis zelus ſive bonus ſit ſive malus, zelantem comedit ad ſimilitudinem ignis ligna depaſcentis; quod enim comeditur, dentibus roditur & conteritur, & tritum tranſit in comedentem: eodem modo commotio vehementior indignationis, vindictæ, & dilectionis rodit animam interius, & tandem in ſe rapit zelantem, ſicut ligna tranſeunt in naturã ignis, ita ut zelans totum agat ex zelo. Etſi quidem zelus malus eſt, qui comeditur, conſumitur quaſi à Lupo, Leone, & fera peſſima. Si verò bonus eſt, non conſumitur, ſed conſervatur comeſtus, quia tranſit in meliorem ſtatum virtutis. Ait ergò, *tabeſcere,* id eſt, penè mœrore deficere, liquefieri, atque in corpore macerari *me fecit zelus meus,* quem habeo circa Legem, id eſt, charitas quâ volui placare inimicos, & fervens amor circa ipſam tuam Legem, quo fervebam, ut ab alijs cuſtodiretur Lex tua, *quia obliti ſunt* ſecundum completionem, id eſt, ſic agunt ac ſi obliti eſſent *verba tua,* id eſt, præcepta tua ſive ſyndereſin, quæ numquam ex ſui natura malo conſentit, ſed reclamat ſemper, etiam in his qui ad profundum peccatorum venerunt, & jam contemnunt: ſpecialiter omnes & ſingulos movet ad bonum, & retrahit à malo; ſive ea quę aut lectio, aut prædicatio intimavit, facientes eis contraria, ac ſi pro nihilo reputarent: & omnes tales reputat

putat Pſalmiſta inimicos ſuos,
Nic. non quöad naturam, ſed quö-
ad culpam, quia adverſarij
ſunt veritatis, diſtrictio enim
vitijs, compaſſio naturæ debe-
tur. Ideo autem ſic zelo, quia,
Verſ. 140. *Ignitum eloquium tuum vehe-
menter: & ſervus tuus dilexit il-*
Ma-gal. *lud.* Cui verbum ſimile dixe-
rim, niſi lapidi in quo ignis la-
tet? qui manu quidem frigi-
dus tenetur, ſed percuſſus fer-
ro per ſcintillas emicat: atque
hoc emittit ignem qui poſt
ardeat, quod prius manu frigi-
dum tenebatur. Sic etenim
verba ſacri eloquij, quæ quidē
per narrationem literæ frigida
tenentur, ſed ſi quis hæc aſpi-
rante Deo, intento intellectu
pulſaverit, de myſticis ejus
ſenſibus ignem producit, ut in
ejus verbis pòſt animus ſpiri-
tualiter ardeat, quæ prius per
literam ipſe quoque frigidus
audiebat. Ait ergò, *ignitum* eſt
Spiritu ſancto *eloquium tuum*,
quia purgat corda mortali-
um, mundana pace ſordentia,
& ut ardor fornacis exæſtuans
metalla decoquit, eorumque
vitia neceſſaria purificatione
conſumit: ita *eloquium* Domi-
ni, peccatorum maculis deter-
ſis, humilium ſenſus emundat,
ad cognitionem illuminat, ad
dilectionem inflammat. *Venit* Luc. 12.
*hunc ignem Dominus in terram
mittere, & ideo ſervus tuus di-
lexit illud*, zelando pro ipſo,
quia ſciebat hoc ad remedi- Caſſiod.
um generis humani fore attri-
butum: qui enim eloquium
Dei diligit, id in opere cum
fervore perficit, & ad hoc ad-
ducere flagrat, quod ipſe ar-
denter amat. Et quia ita dilexi, Lud.
ideo,

Adoleſcentulus ſum ego & con- verſ. 141.
*temptus: juſtificationes tuas non
ſum oblitus.* Quamquam hæc Hier.
David ex perſona ſua hic di-
cat, qui adoleſcentior fuit cæ-
teris fratribus, & quaſi con-
temptus ad oves paſcendas di-
rectus, dehinc electus eſt, tamē
hæc ad populum Chriſtianum
referenda ſunt, qui prius con-

Digitized by Google

vers. 143. *Tribulatio & anguſtia invenerunt me: mandata tua meditatio mea eſt. Tribulatio* exterior corpori illata, & anguſtia interior, id eſt, anxietas mentis, quæ viris beatis quaſi quędam antidota ſunt, quę dum aſperè bibuntur, momenta ſalutis operantur: nam licet affligatur corpus invalidum, crucietur caro paſſibilis, in requiem noſcitur eſſe tranſpoſitus, cujus in ſcripturis eſt animus occupatus. Ideo enim *mandata tua meditatio mea eſt*, quia,

vers. 144. *Æquitas teſtimonia tua in æternum: intellectum da mihi & vivam.* Iterum per definitionis modum, virtutem teſtimoniorum deſignat, dum dicit, *ęquitas in æternum*, ut tali ſpe unuſquiſque contemneret, quæ temporalia eſſe ſentiret: numquam enim cor mala mundi frangunt, quod ſpes cœleſtiũ corroborat; fortem enim animum, *neque ſublimitas, neque profundum, ſeparat à charitate Dei*; *multæ* enim *aquę non potuerunt extinguere charitatem*, quæ fortitudinem habet adjutricem. Membra martyrum ſecabantur, charitas ſecari non poterat, viſcera comburebantur, & vincula non ſolvebantur, quãtò autem fortius amara ſuperantur in terris per fortitudinem, tantò dulciora in cœlis guſtantur per charitatem.

Caſſiod.

Romã. 8.

Cant. 8.

CLamavi in toto corde meo exaudi me Domine: juſtificationes tuas requirã. vers. 145. Exorari vult Deus, & plurimum gaudet cum oramus, quoniam in oratione omnium virtutum habitus in actum adducimus, & præcipuè habitum latrię, cujus actu mirum in modum lætatur Deus, ſicut ſuo oppoſito quam maximè indignatur, tum etiam plura dona ſe daturum nobis medio orationis præordinavit, quæ niſi oraverimus, non accipiemus; qualis autem clamor ſeu oratio eſſe debeat, apertè inſinuat cum dicit, *in toto corde meo*, verus enim ado-

Digitized by Google

rator eſt, qui labia cordi conſona, & cor Deo unitum habet, qui ſeipſum adeo verè ſibi pręſentat, ut talis omninò interius ſit per mentis devotionem, qualem extrinſecus ſe præfert per corporalem morum & cæremoniarum obſervantiam, & ſic ardens animi affectus Deo deditus, non in verborum compoſitione, ſed in ardenti mentis devotione de Domini exauditione confidat. Orationis ergò veritatem conſtituunt, rectitudo cordis, rectitudo intentionis, rectitudo orarionis, & rectitudo operis: Et quia ratio probitatis & improbitatis noſtræ, & actionum noſtrarum voluntas noſtra eſt; promptitudinem voluntatis ſuæ declarat, adjungens, *juſtificationes tuas requirã*, & quia continuationis inſtantia orationi convenit, perſeverat, dicens.

verſ. 146. *Clamavi ad te, ſalvum me fac: ut cuſtodiam mandata tua.* Repetitio clamoris, repetitio eſt magnæ devotionis. Et non tantùm clamavi, ſed etiam,

Preveni in maturitate, & clamavi: quia in verba tua ſuperſperavi. verſ. 147.

Prævenerunt oculi mei ad te diluculo ut meditarer eloquia tua. verſ. 148. Hoc eſt manè & tempeſtivè magno orandi affectu, quaſi quodam clamore mentis, *præveni* horam humanis actibus oportunam: non tamen iſte clamor feſtinus procedit ex impetu paſſionis, ſed ex deliberatione rationis, quia cordis intuitiones ad te direxi *diluculo, ut meditarer eloquia tua* ſuavia, in Lege tua contenta, corde ſcilicet credendo, & opere implendo. de primo, *Appone cor tuum ad doctrinam meam, quę pulchra erit tibi cum ſervaveris eam in ventre tuo.* Prov. 22. De ſecundo, *facietis judicia mea, & præcepta mea ſervabitis.* Lev. 18. Eſt autem locus idoneus meditandi ſeu ſervandi verbum Dei, cor humanum, cui loquitur, & in quo deſcribitur; non enim ſervatur in libro, ſed in arbitrio

arbitrio libero : & benè dicit *diluculo*, non enim lux ſoporatum repperit, ſed ſtrenuè vigilantem, & circa divina eloquia oculorum ſpiritualium intentione meditantem ; pudor eſt enim, ſi te radius Solis in ſtrato inveniat. Primitias igitur cordis & vocis quotidiè Deo ſacrifica, tunc & nox vertetur tibi in lucem, non temporis ſed gratiæ, unde ſponſa in canticis ait, *per noctem quæſivi illum quem diligit anima mea.* Et quia ita ſtudiosè ad te vigilo. Ideo,

Cant. 3.

verſ. 149. *Vocem meam audi ſecundum miſericordiam tuam Domine: & ſecundum judicium tuum vivifica me. Vocem meam* quâ clamo ad te, qui reis peccata dimittis, *audi* auferendo pœnam peccati, ne frangar in tribulatione, & hoc *ſecundum miſericordiam tuam ô Domine*, de qua confido, non ſecundũ merita mea quæ non habeo: *& ſecundum judicium tuum* quo ſupplicantibus ſive ſupplicibus parcis, & quo ſe damnantes clementer abſolvis, *vivifica me* mortuum Lege peccati, & hoc per gratiam tuam, ut non moriar per culpam, ſed vivam per gratiam tuam, & ſic malis poſſim viriliter reſiſtere, ac in virtutibus ſemper proficere de tua ſola pietate. Congruus autem ordo hìc ſervatur quod præmittitur miſericordia, & ſequitur judicium, prius enim ut præſcribitur, Deus à peccatoribus aufert pœnam per miſericordiam, eiſque poſtea juſtis ſecundum judicium dabit vitam. Neceſſe autem eſt ut vivifices me Domine, quia,

Caſſiod.

Aug.

Appropinquaverunt perſequentes me iniquitati: à Lege autem tua longè facti ſunt. Tunc appropinquant qui perſequuntur, quando ad carnem cruciandam perimendamve perveniunt ; nihil quippè eſt animæ propius carne, quam geſtat. *Appropinquaverunt* igitur *perſequentes* affligendo eorum carnem, quos perſequebantur, & ut nequitię ſuæ conformarent verſ. 150.

Magal.

fine

ſine ceſſatione perſuadebant: pulchrè autem addidit *iniquitati,* propter juſtitiæ diſcretionem, quia poſſunt & perſecutionem pati qui rei ſunt, in quibus latrocinia commiſſa puniuntur, ſicut in Euangelio dicit, *Beati qui perſecutionem patiuntur*, & addit, *propter juſtitiam*; ſed audi quid ſequatur, *à Lege autem tua longè facti ſunt*, quantò enim quis vitijs ſe alligat, & diabolo appropinquat, tantò magis à Deo Deiq; Lud. Lege fit remotior, quia qui appropinquat uni extremo, elongat ſe ab oppoſito. Vel aliter per hos *perſequentes*, dæmones intelliguntur, qui ab unitate ſummi boni animum avertunt, & diſpergũt paſſiones, per innumera delectabilia & odibilia; actiones, per infinita deſideria, à rectitudine declinantia; electiones, in multiplices fines, non ultimum; animales motus, ad innumeros beſtiales appetitus, cogitationes, in omnia prava cogitabilia & inania, opera externa, in infinita Deo odibilia. En quanta eſt repugnantia inter dæmones & homines, ut impoſſibile ſit ullam umquam convenientiam ineſſe. Sed quid nocuerunt illis quibus perſequendo *appropinquaverunt*, quãdo interior appropinquatio Domini eorum eſt, à quo nullatenus deſeruntur?

Propè es tu Domine: & omnes viç tuæ veritas. Propè es ô Domine mihi tribulato ad remedium intus, qui in Lege tua maneo ad me ſervandum ſecundum beneplacitum tuum, *& omnes viç tuæ* ſunt *veritas* & juſtitia, quia nihil ſine cauſa patimur: ac ſi dicat, ſive dimittas me in tribulatione, ſive liberes, totum juſtè facis, dummodò mihi aſſiſtas de tua pietate, quia nullum immeritum damnas, multos tamen immeritos ſalvas. Deus aliquandò ſuo juſto judicio permittit innocentes tribulari ad augmẽtum ſui meriti, ſicut patet de ſancto

Verſ. 151. Hugo. Aug.

Hu- ſancto Iob & alijs; unde ſan-
go. ctorum eſt uſitata confeſſio, ut quidquid patiuntur, totum meritò ſe pati fateantur. Hoc autem

verſ. 152. *Initio cognovi de teſtimonijs tuis: quia in æternum fundaſti ea.*

Caſſiod. *Initio*, id eſt, initialiter, ſive ab illo tempore quo primum cæpi intelligere teſtimonia tua, vel ab initio à rudimentis ſæculi, quando à juſto Abel nomen cæpit eſſe Sanctorum, *cognovi de teſtimonijs tuis*, quibus teſtificatus es daturum te bonis præmium, & malis ſupplicium æternum, *quia in ęternum fundaſti ea*, quia in Chriſto fundamento vero monſtrata ſunt in æternum manſura, pro eis enim neglectis vel ſervatis, pæna ab ipſo vel merces reddetur æterna.

verſ. 153. *VIde humilitatem meam & eripe me: quia Legem tuam non ſum oblitus*. Seipſum glorificantis gloria nihil eſt, primò quidem ratione objecti, quia non habet aliquid homo in ſe, aut à ſe, unde gloriari debeat, ſecundò ratione peccati, nam gloria iſta eſt peccatum injuſtitiæ, ſecundum quam homo ſibi attribuit quod eſt juris alterius, ſcilicet Dei; tertiò ratione damni, ſi enim aliquid ſit in homine gloria dignum, ſuperveniens tamẽ gloria privata, redigit illud in nihilum: Hos ergò non exaudit Deus, Sed hoc meretur humilitas, ut ſe divina inclinet majeſtas, & *oratio humiliantis ſe penetrat nubes*, & fons totius orationis eſt Ecc. 35. humilitas: unde fides Chriſtiana totum cum humilitate impetrare conſuevit. Benè ergò non in juſtificationibus ſuis, ſed in multis miſerationibus Domini proſternit preces ſuas, ac ſi diceret *vide* oculo miſericordiæ *humilitatem meam*, quâ clamo ad te, ac conſerva eam ut ſemper tibi placeat humilitas mea, quæ eſt in ope- Lud. ribus & tentationibus, & *eripe me* per tuam gratiam à diabo-

Digitized by Google

lo, mundo, & carnis tentamento, ne vincar ab eis, & incidam periculum mortis æternæ; *quia Legem tuam non ſum oblitus*. Hoc loco nullam Dei Legem convenientius intelligimus, niſi quia immobiliter Luc. 14. fixum eſt, ut *omnis qui ſe exaltat humilietur, & qui ſe humiliat exaltetur*, ubi ſuperbiæ & humilitatis ponitur præmium. Et primò quidem ſuperbię, cujus primò meritum tangit & culpam (*qui ſe exaltat*,) non dicit quem Deus vel alius exaltaverit; quod quidem convenit dupliciter, ſcilicet cauſaliter, & actualiter, cauſaliter quidem ſe exaltat, qui bona facit unde exaltari mereatur, & hoc quidem virtuoſum eſt: actualiter verò ſe exaltat, qui ſuo cogitatu alijs ſe pręfert. Item hujus vitij tangit pręmium (*humiliabitur*,) id eſt, dejicietur con- Prov 29. temptibilis, *ſuperbum ſequitur humilitas*. Sumitur autem humilitas dupliciter, ſcilicet pro virtute & pro pœna. Primò modo Pſalmiſta ait, *humiliatus ſum uſquequaque Domine: vivifica me*: Pſal. 118. ſecundo modo idem, tu *humiliaſti ſicut vulneratum ſuperbum*; Pſal. 88. nam humiliantur interius & exterius, quia in aliquod vitium proruentes, fiunt etiam hominibus contemptibiles. Secundo humilitatis ponit meritum & premium: meritum quidem cum dicit *qui ſe* ſpontaneè *humiliaverit*, & pręmium tangit dicens, *exaltabitur*: exaltabuntur autē humiles in futuro, exaltatione honoris & gloriæ, ſed & nunc in pręſenti vitæ merito omne quod mundus altum reputat, tranſcendunt. Vnde Gregorius, Gregor. lib. 6 mor. qui ſe ex humilitate ſubſternunt, altæ mentis judicio cuncta temporalia tranſcendunt, nam cum ſe indignos in omnibus exiſtimant, rectæ cogitationis examine hujus mundi gloriam tranſeuntes calcant.

Iudica judicium meum, & redime me: propter eloquium tuum vers. 154.
vivifica me. Iuſtorum recta ſunt

ſunt judicia, quoniam illorum cauſa eſt juſta, qui ſi judicio ſuo, id eſt, recto, judicarentur, conſtat quia à malis eriperentur; qui dum innocenter vivunt, culpam proculdubio nō habent, quâ reprobi eos juſtè perſequi debuiſſent, ſi autem iſte à malis orat redimi; quomodo ad cœleſtem vitam valeat ſublevari? ideo dicit, *pro-*
Aug. *pter eloquium tuum vivifica me:* quod verò ſupra dictum eſt, *Legem tuam non ſum oblitus*, huic congruit quod infra eſt, *propter eloquium tuum vivifica me*: ipſum enim *eloquium* eſt Lex Dei, quam ipſe non eſt oblitus, ut ſe exaltandus humiliaret; ad ipſam verò exaltationem pertinet quod ait, *vivifica me*, quia exaltatio Sanctorum, vita æterna eſt.

vers. 155. Sed *Longè à peccatoribus ſalus: quia juſtificationes tuas non exquiſierunt*. Pravi dum bona volunt tranſitoria, & mala mundi fugiunt contra ſanguinem ſuum inſidiantur, & moliuntur fraudes contra animas ſuas; quia per tranſitoria mala, quæ fugiunt, & bona, quæ cupiunt, maxima bona perdunt, & æterna mala incurrũt: & ſic dum temporalem quærunt ſalutem, vera ſalus ab eis ſe elongat. Vel *longè à peccatoribus ſalus* tam gratiæ quam gloriæ, quia utriuſque dator ab eis Iſaie
diviſus eſt propter multitudinem peccatorum ſuorum, quia obſtinata pertinacia in peccatis, & ſpontanea reſiſtentia divinæ motionis, ac ingratiſſima repulſione Spiritus ſancti, hanc gratiæ ſubſtractionem promerentur, ſeque vaſa iræ & vindictę Dei parant. Hoc quoque ad literam de Iudæis, (qui meritò à ſalute longè facti ſunt, quia reſpuerunt ſalutis auctorem,) commodè intelligi poteſt: Et ſi ſecundum juſtitiam *longè ſit à peccatoribus ſalus*, omnibus tamen patet miſericordiæ ſinus. Vnde ſequitur:

Miſericordiæ tuæ multę Do- vers. 156.

mine : ſecundum judicium tuum vivifica me. Meritò multæ miſericordiæ Dei dicuntur, quia Ber. ſeptem mellifluus ille Bernardus in ſermonibus deſcripſit. Prima eſt præſervatio à peccatis multis, à quibus me cuſtodivit, ne in ea ruerem, & hoc tribus modis, ſcilicet, ſubſtractione occaſionis, & data virtute reſiſtendi, ſeu repugnationis, ac etiã ſuavitate affectionis. Si enim data fuiſſet occaſio, in multis peccaſſem, data occaſione, non reſtitiſſem, niſi adjuviſſet me Deus: ſed à quibuſdam etiam vitijs tam longè fecit Deus affectionem meam, ut ea abominer. Secunda miſericordia eſt, peccantis exſpectatio, tardavit enim ultionem, ut parceret, diſſimulavit peccantem, ut quandoque ad ſe revocaret, mortem non intulit, ne damnaret. Tertia miſericordia eſt punitio pœnitentis. Quarta eſt, indulgentię conſecutio: ſic enim totaliter indulſit, ut nec damnet ulciſcendo, nec confundat improperando, nec minus diligat peccata recogitando, vel imputando. Quinta miſericordia eſt, virtus continendi, ne recidivum paterer, dedit enim continentiæ propoſitum ne caro inficeret, dedit maturitatis ſoliditatem, ne vanitas mundi alliceret, dedit nihilominus prudentię circumſpectionem, ne diabolus falleret. Sexta miſericordia eſt, gratia promerendi, hoc utique magnum donum eſt miſericordię Dei, ut quis adjuvante ejus gratia mereatur vitam æternam. Septima miſericordia eſt, ſpes obtinendi, exuperans virtutes cęteras; ut mortalis immortalitatem, miſer fœlicitatem, terra cœlum, homo Deum obtinere ſperet. Ait ergò, quia tam multas conſueviſti facere miſericordias fidelibus tuis, ideo tam confidenter peto *ſecundum judicium tuum* quo humiles exaltas, quo nunc diſcernis pios ab impijs, & quo parcis

pœni-

pœnitentibus, non ſecundum illud quod fiet illis qui fuerunt ſine miſericordia; ſed ſecundùm quo judicas fideles tuos vivificandos, *vivifica me* per augmentum gratiæ tuæ, cujus neceſſitatem addit, dicens.

verſ. 157. *Multi qui perſequuntur me, & tribulant me: à teſtimonijs tuis non declinavi.* Quiſquis piè vivere voluerit, ſemper patitur culpæ precedentis convitium, ſemper ſuſtinet temerarium judicium, continuò linguis exponitur obloquentium, ſcilicet exprobratione, diſſuaſione, deriſione, judicio, & damnatione probatur & tribulatur. Nam culpas pro quibus pœnitet, primò objiciunt ei malevoli; item converti ad Deum quaſi conſulendo, diſſuadent amici: item à ſodalibus deridetur, item ſimulator judicatur & fictus, & quod inceepto non ſit permanſurus, malè prophetatur. Nec ſolum homines habemus perſecutores, nam ut ait D. Ambroſius, Ambr. Diabolus multos miniſtros ſuos dirigit, qui non tantum foris, ſed & intus faciunt perſecutiones in animas ſingulorũ: eſt enim malus ſpiritus fornicationis, eſt malus ſpiritus avaritiæ, malus ſpiritus ſuperbię. Verùm ut multæ perſecutiones, ita martyria multa, quotidiè teſtis es Chriſti, tentatus es ſpiritu fornicationis, ſed veritus Chriſti futurum judicium non temerandam mentis & corporis caſtimoniam putaſti, martyr es, tentatus es ſpiritu avaritiæ ut poſſeſſiones invaderes minorum, ſed tamen contemplatione cœleſtium præceptorum opem magis ferendam, quam inferendã injuriam judicaſti, teſtis es Chriſti. Quis enim locupletior teſtis, quam qui confitetur Dominũ Ieſum in carne veniſſe cũ Euangelij præcepta cuſtodit? ille enim teſtis eſt, qui aſtipulantibus factis, Domini Ieſu Chriſti pręcepta teſtatur.

Vidi prævaricantes, & tabeſcebam: verſ. 158.

bam: quia eloquia tua non cuſtodierunt. Hunc verſum alibi explicavimus. Sequitur:

verſ. 159. *Vide quoniam mandata tua dilexi Domine: in miſericordia tua vivifica me.* Benè dicit *vide*, ſic enim invitat Dominum, ut plenum charitatis ſuæ exſpectet affectum, quotidiè ſe offert ſanctus, quotidiè *apparet non vacuus in conſpectu Domini ſui*; nullum autem majus judicium charitatis eſt, quam cum hi diliguntur qui adverſantur. Quia verò iſte vir ſanctus ab his pro quibus tabeſcebat mortificabatur, poſtulat ut à Domino vivificetur; *in miſericordia tua vivifica me*, iſti mortificant, tu vivifica. Sed ſi præmium poſtulatur in miſericordia, quod reddere debet juſtitia, quantò magis impenſa eſt miſericordia, ut obtineretur cui præmium deberetur ipſa victoria? confido autem quod vivificabis, quia hoc dixiſti in Scripturis, è quibus nihil niſi verum evenire poteſt: nam,

Magal. Exod. 23. Aug.

Principium verborum tuorum veritas: in æternum omnia judicia juſtitiæ tuę. verſ. 160. Deus itaque exiſtens una, prima, infinita, & abſoluta veritas, propriam veritatis rationem plenè, integrè, & præcisè in ſe continens, de ſeipſo innumeras & diſtinctas veritates eructat & gignit; propterea etſi in multis intellectibus creatis, immò in uno & eodem, ſint multæ veritates, omnes tamen ortum habent ab illa prima veritate, uti ab una facie hominis multę imagines in multis ſpeculis, & ab uno annulo multa ſigilla. Sicut enim ab uno ente omnia entia, ita & ab uno primo vero, omnia vera, quæ ita falſitatem excludunt, ut nec jota unum, aut apex, aut veritatis umbra, eis annecti queat. Benè ergò infert *in æternum omnia judicia juſtitiæ tuæ*: ſicut enim divina providentia per miſericordiã juſtis regnum paravit, ita per juſtitiam malis ignem æternũ: *in ęternũ* ergò quöad effectum, manent

Digitized by Google

manent *omnia judicia juſtitię tuę*; ſententia enim Dei in extremo judicio, de gloria bonorum, & pœna reproborum, numquam mutabitur. Dices fortè, durum videtur ut temporaneis culpis æterna ſint tormenta deputata. Sed reſpondetur primò, quod perpetua culpa non debet punitione deficere, quia tunc inordinaretur univerſum. Secundò voluntas moriētis in obſtinatione peccati, eſt ut perpetuò peccet ſi poſſit, igitur & perpetuò puniri debet. Tertiò culpa etſi ut actio hominis temporalis ſit, ut tamen injuria Dei, infinita undequaque eſt. Quartò meretur peccatum pœnam infinitam intenſivè, quę cum à creatura ſufferri non poſſit, dari debet infinita extenſivè.

vers. 161. PRincipes perſecuti ſunt me gratis: & à verbis tuis formidavit cor meum. Principes & poteſtates hujus mundi, homines mali dicuntur, qui prius quidem cum eſſent infideles, & nondum verificatum eſſet, *& nunc reges intelligite, erudimini qui judicatis terram. Servite Domino in timore:* Pſ. 2. Chriſti gentem, id eſt, fideles ejus perſequebantur, edicta contra fidē ſtatuentes, & Chriſtianos occidentes. Sed poſtea converſi ad fidem *principes* alio modo adverſus Chriſtū procedunt, quia contra ejus Legem agunt, ſubditos ſpoliant, innocentes damnant, reos abſolvunt, in muneribus judicant; hoc quātum ad carnalia. Sed quantum ad ſpiritualia, inobedientes ſunt Eccleſiæ pręceptis, ejus contemnunt ſententias, non verentur Prælatos. Vel *principes* dicuntur dæmones, de quibus ait Scriptura, *non eſt nobis* Eph. 6. *colluctatio adverſus carnem & ſanguinem; ſed adverſus principes & poteſtates, adverſus mundi rectores tenebrarum harum:* ſed licet perſequerentur, tamen *à verbis tuis* quibus comminaris tranſgreſſoribus Legis tuę pænas,

Digitized by Google

nas, *formidavit cor meum,* quia timor tuus eorum excludit timorem, & ſic vinco. Licet enim caro mea aliquando formidaret eorum verba & verbera, tamen cor meum, id eſt, ratio & voluntas mea, non formidavit eorum minas & tormenta, ſed potius verba tua

Mat 10. me terruerunt, ſcilicet, *nolite timere eos qui occidunt corp. &c. ſed potius timete eum, &c.* quantumcumque enim homo juſtus eſt, tamen timore aliquando concutitur, ne fiat tranſgreſſor Legis divinæ, & hoc medio à tentatione non vincitur, ſed vincit. Vnde etiam ſubdit.

verſ. 161. *Lętabor ego ſuper eloquia tua: ſicut qui invenit ſpolia multa. Lętabor ego* quaſi victor, tentationes & perſecutiones non timendo, *ſuper eloquia tua*, ipſa meditando, quia utilia ſunt & ſalubria ac me conſolantia, ac coronam ſi vicero promittentia: quiſquis enim ut præmittitur à verbis Dei ne in certa-

Caſſiod. mine vincatur formidat, ſuper eadem verba victor exultat, comparatio autem hìc facta eſt bellantium, qui & hoſtem ſe viciſſe gaudent, & exuvias Caſſiod.

multas ſe inveniſſe gratulantur. Spolia autem ſunt gaudia æterna, quæ diabolus conatur auferre; ſicut ergò aliquis hoſtis à devicto hoſte gaudens rapit ſpolia, ſic quiſquis juſtus devicto diabolo, rapiet ſpolia, id eſt, vitam æternam: vel etiam quando aliquos de diaboli ſubditis ſibi incorporat, & ad Chriſtum converti facit, ejus gaudium duplicatur, ſcilicet de obtentu victoriæ, & de Nic.

prædæ magnitudine. Sic etiam contemplativus delectatur de victoria contra hoſtes quam habet in ſpe, & per conſequẽs de obtentu futuræ gloriæ. Etiam ſicut homines gaudent dividentes ſpolia, ſic juſti in judicio non propria bona, id eſt, eorum proprijs meritis acquiſita, poſſidebunt gaudia & prȩmia æterna, ſed ſpecialiter & præcipuè ipſa confitebuntur

propter

Digitized by Google

propter merita Chriſti ſibi fore data. De his igitur valdè & multo amplius eſt gaudendũ, quam de pretioſiſſimis temporalibus ſpolijs quibuſcumque; Sap. 7. quia *omnis theſaurus in comparatione illorum arena eſt exigua*. Et Magal. ne putaremus ex illa formidine odium verborum Dei potuiſſe ſubrepere, adhuc addit & dicit.

vers. 163. *Iniquitatem odio habui, & abominatus ſum: Legem autem tuam dilexi*. Quoniam animus noſter ſi iniquitatem recipere voluerit, nequaquam Legi dominicę ſub integritate ſe ſubjungit, ſicut in Euangelio di- Mat 6. citur, *nemo poteſt duobus Dominis ſervire*. Ille autem verus amor eſt, qui veritatis affectum, ſic rigida deliberatione cuſtodit, ut omninò execretur quod ei Caſſ. God. poteſt eſſe contrarium. Ideo *iniquitatem* execrabilem habuit *& abominatus eſt*, ut à ſe redderet alienam, quatenus Legem Domini perfecta voluntate diligeret: quod argumentum ex contraria rerum diverſitate diligitur. Abſit ergò ut timore Aug. pereat amor, ubi caſtus eſt timor. Sic à filijs pijs patres timentur & amantur, ſic pudica conjunx virum & timet ne ab illo deſeratur, & amat ut fruatur. Si ergò pater homo, & conjunx homo, & timeri debet & amari, multò magis *Pater noſter qui eſt in cælis*, Mat. 6. & ille ſponſus non carne præ filijs hominum, ſed virtute formoſus; à quibus enim diligitur Lex Dei, niſi à quibus diligitur Deus? quid habet bonis filijs triſte Lex Patris? an quoniam *quem diligit corripit, & flagellat* Heb 12. *omnem filium quem recipit?* at qui hęc judicia reſpuit, promiſſa non recipit. Paterna ergò judicia laudentur in flagello, ſi promiſſa diligantur in præmio.

vers. 164. *Septies in die laudem dixi tibi, ſuper judicia juſtitię tuę*. Finitus numerus pro infinito hìc ponitur, ac ſi diceret, *benedicam Dominum in omni tempore, ſemper* Pſal. 33.

Digitized by Google

laus ejus in ore meo: ſeptē enim, eſt numerus univerſitatis, quia ſeptem diebus univerſum tempus agitur. Cassiod. Alij de ſeptem horis canonicis quas in die naturali Eccleſia perſolvit, ad memoriam ſeptiformis Spiritus, hunc verſum intelligunt; & quia vita contemplativa quieta eſt reſpectu activæ, quæ habet laborem annexum, ideo ſubditur.

verſ. 165. *Pax multa diligentibus Legē tuam: & non eſt illis ſcandalum. Pax multa,* puritas mentis, copia fidei, & tranquillitas magna debet intelligi, etſi non ſemper temporis, pectoris tamen & mentis; quamvis hìc non ſit perfecta; quia licet juſti extrinſecus tribulentur & verberentur, intrinſecus tamen in mente non moventur. Vnde ſcriptum eſt.

Eſt & in hac vita multis requies
data Sanctis,
Quorum animas mundus non
habet occiduus.

Et non eſt illis ſcandalum. Scandalum enim eſt mens offenſa, aliud ſentiens quàm monetur; quod à *diligentibus Legem Domini* probatur alienum; totum enim debemus in ipſa diligere, Aug. quidquid noſcitur continere: alioquin non amat Legem, qui in ea offendit pro parte vel minima, ſed quod etiam in ea non intelligit honorare debet, & quod ei ſonare videtur abſurdè, ſe potius non intelligere judicet. Vel ſic, *pax multa,* ſcilicet æternitatis, quę venit & conſiſtit in puritate conſcientię, erit in futuro contemplativis; *& non eſt illis* ex aliqua parte *ſcandalum* coram Deo, etſi inquietudo quandoque coram hominibus. Non etiam illis talis ac tanta eſt occaſio ruendi in peccatum ſicut activis, qui frequenter habent materiam tribulationis. Et quia vita contemplativa perficitur in patria, ideo ſubditur.

Exſpectabam ſalutare tuum Domine: & mandata tua dilexi. verſ. 166.
Exſpectabam ſalutare tuum ſcilicet

cet Chriſtum venturum in judicio, qui eſt ſalutare noſtrū. Antiqui juſti primum adventum exſpectaverunt, & nos ſecundum, pro quo & nos & illi mandata diligimus: dilexerunt antiqui mandata, & Chriſtus eos liberavit; diligamus
Col. 3. igitur & nos mandata, ut *cum apparuerit Chriſtus vita noſtra, appareamus & nos tunc cum illo in gloria*. Vel ſic, *exſpectabam ſalu-*
Lud. *tare tuum*, id eſt, ſalutarem effectum, ſcilicet in tribulatione mea multiplicem conſolationem, & ideo *mandata tua dilexi*, per quæ habeo conſolationem & ſalutare. Aliter, *exſpectabam ſalutare tuum Domine*, id eſt, claritatem viſionis tuę & fruitionis æternæ, & quia ad hoc, id eſt, ad hanc vitam, pervenitur per obſervantiā mandatorum Dei, ſecundum di-
Mat 19. ctum Salvatoris, *ſi vis ad vitam ingredi ſerva mandata*, ideo ſubditur, *& mandata tua dilexi*, ea diligenter ſervādo, per quæ ſola vita acquiritur æterna: unde dicitur *pręcepta mea cor tu-* Prov 3.
um cuſtodiat, longitudinem enim dierum, & annos vitæ, & pacem apponent tibi. Et ideo,

Cuſtodivit anima mea teſtimo- verſ. 167.
nia tua: & dilexit ea vehementer. Cuſtodivit anima mea mandata tua per jugem memoriam in corde, & per efficaciam in operatione, & ſic per charitatem corde & opere: *dilexi ea vehementer*, quia fides per ea totaliter illuminatur.

Servavi mandata tua & teſti- verſ. 168.
monia tua: quia omnes viæ meæ in conſpectu tuo: Negat errorem Caſſiod.
prevalere potuiſſe, qui ſe reſpicere luminis profitetur auctorem: abſcondebat poſt culpam Adam viam ſuam, ab- Gen. 3.
ſcondebat Eva, abſcondebat Cayn necem fratris ſui, nec Gen. 4.
quiſquam poterat dicere *omnes viæ meę in conſpectu tuo*, qui ſe noverant cognitos interire. Ait ergò, *ſervavi, &c. quia omnes viæ meæ in conſpectu tuo*, id eſt, omnia facta, dicta, & cogitata mea, quibus quaſi quibuſdam

Digitized by Google

vijs progredior & proficio in converſatione vitæ meæ, ſunt *in conſpectu tuo*, quia non ſolum operationes externas, ſed etiam internas cogitationes cognoſcit Dominus, quæ licet minimum habeant cognoſcibilitatis ratione entitatis & intimitatis, eo quod ſint à principio intrinſeco, intellectu ſcilicet & voluntate; ipſe tamen optimè novit, qui ipſi menti ſe poteſt intimare, ipſi nihil abſconditum, nihil occultum, cognoſcit quidquid latet, & quidquid patet: propter quod

Boët. de conſol. dicit Böetius, ô viri magna eſt vobis indicta neceſſitas probitatis, ſi diſſimulare non vultis, quoniam omnia agitis ante oculos judicis, omnia cernentis &

Magal. contemplantis. Ad hoc autem ſunt in conſpectu Domini viæ juſtorum, ut dirigat greſſus eorum, quoniam ipſæ ſunt viæ de quibus ſcriptum

Prov. 4. eſt: *vias quę à dextris ſunt, novit Dominus: perverſæ autē ſunt, quæ à ſiniſtris ſunt*; ut intelligeremus quod eas non noverit Dominus; propter quod perverſis dicturus eſt, *non novi vos.* Mat. 7.

Porro ut oſtendat quo fructu vias quæ à dextris ſunt noverit Dominus: continuò ſubjunxit, *ipſe enim rectos faciet greſ-* Ibid.

ſus tuos, & itinera tua in pace perducet.

APpropinquet deprecatio mea verſ. 169.

in conſpectu tuo Domine: juxta eloquium tuum da mihi intellectum. Appropinquet tibi non localiter, ſed ſimilitudine juſtitiæ, à quo diſſimilis factus erā multiplicitate injuſtitiæ; pecca- Magal.

to quippe graveſcit oratio; & longè fit à Deo; tantò plus gravatur, quantò plus vita deprecantis depravatur: quem verò vitæ merita ad alta ſublevant, hujus profectò preces ad alta volant; præſtat enim ſpirituales alas precibus, ipſa bonę actionis virtus, ſi elevas actus tuos, elevaſti orationem tuam: Sequitur autem, *ſecundum eloquium tuum da mihi intellectum:*

Digitized by Google

Caſſiod. *lectum*: petit itaque ut *ſecundum eloquium* Domini ſapiat, ne per humanam prudentiam vanitati ſuccumbat, ſtudioſius ſe purgans à vitijs, quantò jam fruebatur vicinitate virtutis. Eſt autem intellectus hujus ſæculi ut quorundam labor infructuoſus, inaniſque diſputatio; ſcrutantur enim curſus aſtrorum, vitas hominum in poteſtate ſiderum collocantes, quod ſi admitti liceat aut doceri, ad creatoris potentiam non erit recurſus, ad quem omnis ſenſus confugiens, noſcitur eſſe perfectus.

verſ. 170. Ergò, *intret poſtulatio mea in conſpectu tuo: ſecundum eloquium tuum eripe me.* Plus eſt intrare quam appropinquare, multi enim appropinquant, qui non Magal. intrant; appropinquat Deo noſtra deprecatio, quando eã benignus audit, intrat verò, cum jam gratanter ſuſcipit, miſericorditer videt, clementer exaudit. *Secundum eloquium tuum eripe me*: quod prius ait *juxta eloquium tuum da mihi intellectum*, huic congruit quod poſterius dicit, *ſecundum eloquium tuum eripe me*: accipiendo I quippè intellectum eripitur, quia per ſeipſum non intelligendo decipitur. Ait ergò, *eripe me* à labe concupiſcentiæ, & meditatione terrenorum, ad quæ meditanda & cogitanda natura ſemper prona eſt.

Ver. 171 Tunc *Eructabunt labia mea hymnum, cum docueris me juſtificationes tuas. Eructabunt*, id eſt, de corde pleno intus perſolvent tibi, & ex abundantia magnę devotionis & ſanctitatis extra pronunciabunt & dicent, *labia mea hymnum*. Tunc enim fidelis populus intus Dei delicijs ſaginatus, hymnum eructat, quando lingua non humano ſenſui, ſed divino, famulatur: aliter autem dignè non eructabunt exterius, niſi tu Deus *docueris* intus *juſtificationes tuas*; & ſic edoctus à te,

verſ. 172. *Pronunciabit lingua me eloquium tuum: quia omnia mandata*

tua equitas. Cum hæc ſe pronuntiaturum dicit, utique miniſter ſit verbi, quamvis enim Deus doceat intrinſecus, tamẽ
Ro-mi. 10. *fides ex auditu eſt, & quomodo audient ſine Prædicante?* & quia ejus mandata æquitate fulgent, pronuncianda, amanda, tenenda, ac facienda ſunt. Et quia talis doctrina non eſt efficax, ſine ſpeciali adjutorio Dei, ſecundum quod dicitur,
Prov 16. *hominis eſt animum preparare, & Domini linguam gubernare*, ideo ſubditur.

vers. 173. *Fiat manus tua ut ſalvet me: quoniam mandata tua elegi. Non ego* (ait Paulus veritatis Prædicator) *ſed gratia Dei mecum*: &
1. Cor. 15. Iob, *ecce non eſt mihi auxilium in me*: & alibi quod in ſe fiduciam non haberet manifeſtat dicens,
Iob 6.
Iob 7. *deſperavi*, qui per hoc quod de ſe deſperavit, melius in divina ſpe convaluit, quantum fidelis quiſque de ſe diffidit, tantum in divinæ ſpei auxilio confidit. Et quantum de ſe infirmatur, tantum fortis eſt & potens in Deo. Sicut enim quod ſeminatur non vivificatur, niſi prius moriatur, ita proficere volens non roboratur, niſi prius in ſe infirmetur, & ex hoc humilietur; nec in Deo proficit, ſi non prius in ſe deficit, & defectum ſuum cognoſcit. Impoſſibile eſt igitur quempiam de ſeipſo triumphare poſſe, donec experimento didicerit, propria ſe virtute obtinere non poſſe triumphum. Itaque infirmitatem ſuam cognoſcentibus, & in ſe non confidentibus, robur prębet Chriſtus, ut carnaliter fortes eſſe deſinant, & ſpiritualiter convaleſcant. Ita dum de ſe deſperant, in Chriſto ſperant, *mutant fortitudinem, & aſ-* Iſaię 40.
ſumunt pennas ſicut aquilæ, & volant, qui enim fortes fuerant in quærendis terrenis; fortes fiunt in appetendis ſupernis & cœleſtibus. Vnde ſequitur,

Concupivi ſalutare tuum Domine: & Lex tua meditatio mea vers. 174.
eſt. Concupivi ſalutare tuum ô *Domine*, Nic.

mine, id eſt, effectum virtutis tuæ ſalvatricis, vel ſalutem æternam, quæ in te eſt objectivè: alij alia quęrant, ego autem non niſi tuã ſalvationem & ſalutem, quę omnium eſt finis, ad quem quia *Lex tua* dirigit, de ejus completione ſollicitè meditor. Et quia ad jugem Legis Dei meditationem ſequitur augmentum gratiæ, in qua eſt ſpiritualis vita, ideo,

verſ. 175. *Vivet anima mea & laudabit te: & judicia tua adjuvabunt me.* Non ait vivit, ſed *vivet*, hæc enim quomodo dici poteſt vita, de qua ſcriptum eſt, *in pul-*
Pſal. 21. *verem mortis deduxiſti me?* ſed erit anima libera in regione vivorum: ibi vivet, ubi nihil mortale nihilque infirmum patietur; ibi laudabit Dominum, ubi depoſito infirmitatis onere, conformis erit gloriæ corporis Chriſti.

verſ. 176. Sed aliquando *Erravi ſicut ovis quæ perijt: quære ſervum tuum, quia mandata tua non ſum ob-*
Lud. *litus. Erravi* periculosè, ſæpius declinando à via veritatis ad vitia, ſicut ovis ſine paſtore luporum direptionibus expoſita, quam non fuga eripiat, non corporis valetudo defendat, ſed quidquid libitum eſt inſidianti, proferat: & benè dictum eſt *quæ perijt*, ut agnoſceres miſericordia Domini fuiſſe repertam. *Ovis* ergò *quę perijt* quæratur, *quæ perijt* vivificetur, propter quam paſtor ejus *nonaginta novem dimiſit in* Mat. 18.
montibus, & eam quærens Iudaicis eſt laceratus vepribus: Sed cuncta concludit, *quia mandata tua non ſum oblitus*, finaliter & ex toto terrenis inhærendo, ſed magis cœleſtia appetendo, ad quod tendit mandatorum tuorum obſervatio. Ille verò mandatorum Dei obliviſcitur, qui non ſurgit poſt caſum quando erravit; non obliviſcitur, quando ſurgit fortior, cautior, & humilior. Quære igitur me Domine, quia quæro te, quære me & miſerere mei, & perfice ut

ut cœpiſti, ut tibi uniar unione intellectus quæ per fidem eſt, unione voluntatis, quæ charitate efficitur; & tandem unione indiviſibilis unitatis animæ, cum abſoluta unitate quæ tu ipſe es, quæ fruitione perficitur, in quibus conſummata hominis perfectio conſiſtit, & totius eſt conſummatio univerſi.

Digitized by Google

CANTICVM GRADVVM.

*A*Liorum quidem Pſalmorum unuſquiſque propriam habet inſcriptionem, hìc autem multis ſimul conjunctis, una impoſita eſt appellatio, CANTICVM GRADVVM. *Illi qui Hiſtoriæ inſiſtunt rationem reddunt, quoniam loquuntur de reditu ex Babylone, & captivitatis quæ illic fuerat mentionem faciunt. Sed ſi eos anagogicè ſumas, rectè ſic intitulantur, quia per quoſdam profectus nos ad ſupremum perducunt: Nec mirum, ſicut enim per quindecim gradus in Templum Salomonis ſive in Sancta Sanctorum aſcendebatur, ita quindecim gradibus virtutum (quæ in canticis quindecim graduum intelliguntur,) omnes electi in Sancta Sanctorum, id eſt, in æternam beatitudinem aſcendendo proficiſcuntur. Quindenarius etiam dividitur in denarium, & quinarium, ut per denarium decem præcepta, per quinarium quinque ſenſus corporis intelligamus, quibus edomitis, & decem præceptis legalibus completis, itur ad Sancta Sanctorum, id eſt, ad cœleſtia gaudia premiorum. Illa quoque anima quindecim gradibus ad illud divinæ illuminationis Templum non manufactum, ſed æternum in cœlis aſcendit, quæ ſempiternæ virtutis Dei amore correpta, temporalibus (quæ per ſeptenarium numerum deſignantur,) gradatim contemptis, per ſcalas octo beatitudinum ad ſublimia provehitur, donec videat* Deum Deorum in Syon.

De his gradibus S. Auguſtinus in Pſalmum poſtremũ

Pſal. 83.

Si quæris unde aſcendendum? à convalle plorationis, id eſt, ab humilitate contritionis, à valle lachrymarum, in qua exilij noſtri damnationem deplangimus, & innumerabiles humanæ corruptionis miſerias deflemus: quis enim immunis à moleſtijs? hinc Job ait, ſi impius fuero ve mihi eſt: ſi autem juſtus, non levabo caput ſaturatus afflictione & miſeria. *Et iterum.* Tentatio eſt vita hominis ſuper

Iob. 10.

Idem 7.

 terram.

terram. *Quis denique eſt quem non excruciet dolor, ſolicitudo non urgeat, non ſubruat timor, riſum fletus ſequitur, gaudium triſtitia comitatur, eſuriei ſuccedit ſaturitas, ſaturitatem iterum excludit eſuries, in nocte dies optatur, in die nox queritur, & calor in algore, & refrigerium in eſtu, ante cibum ſuſpiria, poſt cibum tribulatio, irę, indignatio exagitant; & miſeros homines motus innumerabiles perturbant. Hæc eſt igitur illa vallis, quam ſancti viri affectibus mentis indeſinenter exire diſponunt, & ad illud ineffabile bonum, ad illud ineſtimabile gaudium* 1.Cor.2. *aſcendere,* quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit; *qui etſi corpore inter homines eſſe videantur, animas tamen ſuas ad cœleſtia elevant, & illi puro, ſummo, immortali, & perpetuo bono adherentes, temporalia & corruptibilia deſerunt, & ſuperiores mundo facti, in ſinu divinę contemplationis quieſcunt, ibi in illo cœleſti templo Deum oculis cordis conſpiciunt, imò in ejuſdē templi ſtructura ipſi quoque lapides fiunt.*

CANTI-

Digitized by Google

CANTICVM GRADVVM.

PSALMVS CXIX.

verſ. 1. *AD Dominum cum tribularer clamavi: & exaudivit me.* Primus gradus aſcendentis in templum ſpirituale, eſt à malis ſæculi exire, univerſæ vanitati renunciare, nihil de ſæculo quærere, terrena contemnere: initium enim profectus ſpiritualis (inquit Caſſiodorus,) eſt carnalia vitia relinquere, & Domino ſupplicare: primum namq; quod fit ab aſcendente in gradum templi, eſt relinquere à tergo terram inferiorem: ita primũ quod fit à pœnitente, eſt deteſtari & relinquere à tergo peccata, & terrena ſub pedibus conculcare. Hinc in veteri Lege quando emebatur gentile mancipium priuſquam in obſequio poneretur, radebantur ei ungues, & capilli tundebantur: ita prius oportet veterem exuere vanitatem, ut Domini obſequio mancipemur. Via enim Domini pollutum non admittit, quia arcta eſt, & quaſi foramē illud anguſtum, quo ſerpens innovandus cum exuvijs ſuæ vetuſtatis venire poteſt, ſed cum ipſis tranſire non poteſt; ſed novum ſuaq́ue nuditate melius veſtitum, tranſitus anguſtia trajicit, extricans omnem quem attulerat ſqualorem vetuſtatis. Nihil eſt terrena dimittere (ait Iero:) ſed vitia animę dimittere grande. Grandis eſt difficultas, labor grandis, de terris ad cœleſtia conſcendere, facilius ruimus quam conſcendimus.

Noli deſperare ô homo in quintodecimo gradu Dominus ſuper te eſt, intuetur te, dat auxilium: ſi in primo gradu es, & videtur tibi grande eſſe

Digitized by Google

iter inter primum & quintumdecimum, noli aſpicere gradum, ſed aſpice cœlum, & vide quid dicat ſanctus ille Patriarcha Iacob, non dixit vidi Dominum ſtantem in decimo quinto gradu, (nos enim ad ſtantem Dominum & erectum pervenire non poteramus,) ſed
Gen. 28. dicit, *vidi Dominum innitentem ſuper ſcalam*. Vide quid dicat de eo qui ſtabat, incurvavit ſe & humiliavit ſe, ut nos poſſemus aſcendere. Si propter multiplices laqueos irretientes te, aſcendere non vales, clama ad Dominum, ut liberet te, pronus eſt enim ad exaudiendum: ſed ecce cum ceperis cogitare proficere, incipis pati linguas adverſantium. Quicumque illas (inquit Auguſtinus) non patitur, nec conatur proficere, quicumque illas nondum paſſus eſt, nondum profecit. Incipias proficere, animo velle aſcendere, velle contemnere terrena, fęlicitates pro nihilo habere, lucris non gaudere, damnis non contabeſcere, omnia tua vendere & pauperibus diſtribuere, ac ſequi Chriſtum, videbis quomodo patiaris linguas detrahentium & contradicentium, & quod eſt gravius, quaſi conſulendo à ſalute avertentium: Exemplum queris? audi Pharaönem tali morbo laborantem. *Quare* inquit *Moyſes & Aäron pervertitis populum meum ab operibus?* quamdiu ſecum eſt populus, qui iter Exod. 5.
trium dierum proficiſci jubetur de Ægypto, de domo ſervitutis, quamdiu lutum operatur, id eſt, concupiſcentiam carnis, & lateres, id eſt, concupiſcentiam oculorum, quamdiu in paleis occupatus eſt, id eſt, in ſuperbia vitæ, non eſſe putat populum perverſum, ſed recto itinere incedere; ſi verò dicit volo ire *viam trium die-* Ibid.
rum & Domino ſervire, perverti populum dicit per Moyſen & Aäron, id eſt, per Propheticum & Euangelicum ſermonem, qui eum ſollicitat ad

ſervitium

ſervitium Dei, qui invitat exire de ſæculo, renunciare omnibus quæ poſſidet, operam dare divinæ Legi,& ſequi verba Dei. Sed aſcenſurus contra has linguas, contra multiplicia obſtacula, maximè detractorum, & pravorum conſiliariorum, pete à Domino ab eorum linguis liberari,dicens.

verſ. 2. *Domine libera animam meam à labijs iniquis,& à lingua doloſa.* Clama inquam ad Dominũ toto cordis affectu,cum in via Dei pateris adverſarium, ſicut qui ait, *ad Dominum cum tribularer clamavi,*non dicit quando ſecurus erã, quando lætus erã, ſed quando tribulabar,clamabam. Valdè itaq; utilis eſt fideli animę tribulatio, quomiã ſicut animal omne fulmine percuſſum, vertit faciẽ ad fulmen,ſic qui non reſpiciunt Deum blãdientem,facit eos reſpicere ad ſe percutientem, unde enim tribulatur, inde compellitur orare Deum,& in ejus adjutorio confidere. Tu ergò cùm tentationem, aut tribulationẽ aliquam pateris, noli confidere in te ipſo, ſed contrito corde & humili, clama cum gemitu, & pulſa ad aures miſericordiæ Dei,& exaudieris. Fortior ſiquidem & majoris virtutis eſt apud Deum oratio per anguſtias & tribulationes contracta, ſeipſa per conſolationes externas & affluentias diſperſa: tunc enim præſto eſt divinum adjutorium, quando deficit humanum. Ait ergò, *cum tribularer* ſuggeſtionibus dæmonum, linguis adverſantium, & injurijs perſequentiũ, *clamavi ad Dominum*, qui omnia poteſt,qui omnia ſcit,& benignus eſt, Deum pro adjutore & Salvatore invocavi, ad eum confugi, ei affectuosè locutus ſum,ad eum clamavi corde,ut Dan. 13.
Suſanna,ore,ut Chriſtus, ope- Luc. 22.
re,ut Moyſes,qui elevatis ma- Exodi
nibus orabat, & ſic Amalech 17.
vincebatur.

Sed quid clamaverit audias, *Domine libera animam meam*

à labijs iniquis, & à lingua doloſa. Non dicit libera corpus meum, ſed *libera animam*, quia juſtus quiſque non timet tormenta corporis in præſenti, ſed tormenta animę metuit in futuro, non ergò à gladio, ſed à lingua liberari petit, pejor enim eſt mala lingua quam gladius, majora ſunt vulnera linguę, quam gladij, gladius interficit corpus, non animã, lingua animam perimit. Hinc Salvator noſter ſuos admonet
Mat 10. dicens, *nolite timere eos qui occidunt corpus*, ſed cavete *à falſis*
Mat 7. *Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis, &c.* Sed quæres quæ ſint *labia iniqua*, & quæ *lingua doloſa?* labia iniqua ſunt, quę apertè loquuntur malum, quæ palam minantur, & terrent, quæ evidenter verba maligna, pungitiva, deriſiva, detractoria, proferunt: Lingua verò doloſa eſt, quæ piæ videtur eſſe ſolicitudinis, & eſt nocentiſſimę ſuaſionis, ut tabeſcant piorum animi, delectatione pravi operis, ex aſſiduitate mali ſermonis, & dũ adhęrent ſimulatę veritati, ſuccumbant etiam vanitati. Quapropter anima admirans periculi magnitudinem, ait.

Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguã doloſam. verſ. 3. *Quid detur tibi* in arma, aut *quid apponatur tibi*, quaſi in conſolatione quo te munias adverſus linguam doloſam? & reſpondens ſuę interrogationi, ſubjungit.

Sagittæ potentis acutę, cum carbonibus deſolatorijs. verſ. 4. Aliqui interpretes vertunt, quodnam dignum ſupplicium linguæ doloſę conſtitutum eſt? & ſibi reſpondentes aiunt, hìc quidem nullum, ſed plaga quæ à Deo infertur, ſcilicet *ſagittæ potentis acutę, cum carbonibus* in lecti formam conſtratis: & alius cum carbonibus juniperinis, ex materijs quæ apud nos ſunt, terribiles pœnas Dei exprimentes & effingentes. Melius dicunt alij, Domi-

Dominum hìc tamquam bonum medicum reſpondere, *quid detur tibi, aut quid apponatur tibi* emplaſtrum, ad vulnus quo doles? non dixit contra linguam doloſam; hoc eſt, quid deſideras tibi fieri contra adverſarium tuum, ſed ad linguam tuam, non adverſarij; ſi enim adverſarius tibi detrahit, nihil tibi nocet, tu te interficis, ſi alij detrahas. Infælices ſumus, miſeri ſumus, quādo aliquem habemus inimicum, quia dum putamus quod contra ipſum facimus, contra nos agimus, detrahimus illi, omnibus dicimus, putamus quod illi noceamus, illi non nocemus, ſed noſtras interficimus animas, quia mentimur, Sap. 1. *os enim quod mentitur occidit animam.* Hoc igitur ô Domine peto ſagittas potentis acutas, cum carbonibus deſolatorijs: venenum linguæ meæ, & detractionem meam nulla res poteſt foras projicere, niſi *ſagittę tuę*; lingua mea tumet, venenum habet intrinſecus, niſi ſagittis tuis compuncta fuerit & percuſſa, venenum non egreditur, quia ergò tumet lingua mea, & pus & venenum habet, primum ſagittis tuis vulnera, ut pus exire poſſit, deinde carbones tuos & ignē appone, ut quidquid malum fuerit excoquat, & deſertum faciat. Vtinam præſtentur nobis carbones iſti deſolatorij, ut quodcumque malum eſt tollant de lingua noſtra, ut ubi ſpinæ ſunt, ubi vepres ſunt, ubi urticæ ſunt, mittatur ignis Domini, & univerſa exurat.

Item aliter, contra linguam adverſarij quid tibi dari poterit conſilij, auxilij, vel remedij, quo muniaris contra linguā doloſam? reſpondet Dominus, duo habere poteris, verba ſcilicet ſacræ Scripturæ, & exempla Sanctorum, qui aliquando mali fuerunt, & poſtea in virtutibus multum profecerunt: ſagittæ dantur in arma, carbones apponuntur in conſola-

conſolationem, ut alios accendant. Dicuntur autem verba Domini *ſagittæ acutę*, quæ vulnerant corda auditorum: has ſagittas valdè exacuit memoria Dominicæ paſſionis, dum enim ſermo crucis & mortis Domini inſeritur, quaſi calibe clavorum ejus ſagittę acuuntur, ut dura corda penetrent. Volant in directum, quia à rectitudine veritatis non deviant; tunc autem pennatæ ſunt, dum quaſi duabus alis charitatis Dei ſcilicet & proximi volant; tunc quoque ferratæ ſunt, quando hi qui veritatis verba conſtanter affirmant, verbis ſuis benè vivendo pondus adjiciunt, ſicut
Ecc. 28. dicitur *verbis tuis facito ſtateram.* Qui autem dicunt & non faciunt, ſagittę eorum intrant in corda ipſorum, & fiunt eis vaſa mortis, & arcus divinæ Scripturæ fit eis quaſi arcus doloſus, qui ſagittas retorquet in mittentem: De Ionatha
2. Reg 1. autem dicit David *Sagitta Ionathæ numquam rediit retrorſum; Filij autem Ephrem intendentes & mittentes arcum, converſi ſunt in die belli:* Pſal. 77. De ſagittis quoque quæ non abierunt retrorſum, dicit Dominus, *inebriabo ſagittas meas ſanguine,* Deut 32. quia ſanguinem peccati fundunt. Hæ *ſagittæ potentis acutę*, eliciuntur ex arcu divinæ Scripturę, in qua per molle flectitur durum, ſcilicet rigor veteris Teſtamenti, per novum: cornua hujus arcus, id eſt, ceremonialia in veteri Teſtamento mobilia ſunt, medium autem quod manu operationis tenetur, immobile eſt, ſcilicet præcepta moralia. Et in Geneſi dicitur *ponam arcum meum in nubibus cœli,* Gen 9. hæc eſt divina Scriptura quę fit ex radijs veri Solis, & in nubibus Prophetarum, & Apoſtolorum varijs ſententijs, tamquã diverſis coloribus reſplendet. Vide hunc arcum, & benedic qui fecit illum.

Nunc ad propoſitum regrediamur: carbones vaſtatorij,

rij, exempla Sanctorum dicuntur, quia per applicationem inflammant, & accendunt ad Dei amorem, & vaſtant in ſibi proximis carnalem affectionem: Vel dicuntur vaſtatorij, quia ad amorem & imitationem nos invitant, & quidquid in nobis dęmon conſtruxit, videlicet vitia & peccata, devaſtant, deſtruunt & expellunt. Sed licet acceptis ſagittis & carbonibus juſtus quiſque repulerit linguam doloſam, & jam gradum primum aſcenderit, tamen quia adhuc triticum in area, multitudine palearum premitur, de malorum permixtione conqueritur, & de prolongatione incolatus, tum propter deſiderium patriæ ad quam feſſus de præſenti vita tota aviditate anhelat, tum propter miſeriarum, periculorum, tentationum, tribulationum, & hujuſmodi multiplicitatem, tum propter bonorum & juſtitiæ defectum, & malorum abundantiam, clamat.

Hêu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt: habitavi cum habitantibus Cedar. verſ. 5.

Multum incola fuit anima mea. verſ. 6. Hæbreorũ interpretes ſic reddunt, hêu mihi quia incola fui Hetruriæ, ſeu quod verſor apud *Moſoch*, habito cum tabernaculis *Cedar*, vel cum tentorijs Scytharum: nec ſanè mirum eſſe debet ſi unus Hetruriæ, alius verò *Moſoch* meminit, is enim filius Iaphet Nöæ filij fuit, à quo Tuſcos originem traxiſſe affirmant: *Cedar* autem Iſmaëlis filius fuit, à quo & regio quædam Babyloni proxima nomen habet, cujus habitatores erant peſſimi, inter quos Babylonij Iudæos habitare ſtatuerant. Conqueritur ergò Vates quod inter Barbaros immanes, inhoſpitæque conſuetudinis homines habitare cogatur. Et quia Cædar interpretatur tenebræ, non immeritò lamentatur pius quiſque quod habitat cum

Fol. Gen. 10. Gen. 25.

Digitized by Google

habitantibus tenebras, ſed tamen à tenebris non obſcuratur, ſicut *lux lucet & tenebræ eam non comprehenderunt*, ſicut ſequitur, Ioā. 1.

verſ. 7. *Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus: cum loquebar illis, impugnabant me gratis.* Habitavi inter malos pacificè, tolerans inquietos, ac cum eis unitatem ſervans, ſpe correctionis, non conſenſu malignitatis: & *cum loquebar illis* charitativè, increpatoriè, rationaliter, & modeſtè, *impugnabant me gratis*, id eſt, ſine cauſa condigna, reddentes malum pro bono, ſicut dicitur, Amos 5. *odio habuerunt corripientem in porta, & loquentem perfectè abominati ſunt.* Illi habuerunt inimicalem animum, ego mentem pacificam, ſiquidem ſcriptum eſt in Paralipomenon *& egreſſi ſunt filij Iſraël ad pugnandum mente pacifica*: Chriſtianorum enim armatura eſt Phil. 4. pax, *pax Chriſti quæ exuperat omnem ſenſum*, Mat. 5. *Beati pacifici*, non ſolum qui pacem faciunt inter rixantes, ſed qui in ſeipſis pacem faciunt. Sic itaque quiſquis aſcendere vis hunc gradum, ſic debes habitare inter malos, ut pacificè toleres inquietos, tunc enim veraciter bonus eris, quando te aliena malitia mutare non poterit; & ſi audire contemnunt mali, nequaquam tamen à verbo prędicationis ceſſare debent boni, ne ſicut illi peccant ex facto, ita iſti peccent ex ſilentio. Primus ergò gradus aſcenſionis internę, eſt exire de malis & vitijs ſæculi, & futurum ſæculum deſiderare: qui enim unum gradum conſcendit, terram utiq; relinquit, & in quodam adhuc humili loco recipitur, cui elevatio prima præſtatur, ſed jam proculdubio habebunt meritum beati, qui vel in iſto gradu potuerint inveniri, ſicut legitur, *Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, &c.* Pſal. 31.

CANTI-

CANTICVM GRADVVM.

Psalmvs CXX.

verſ. 1. *Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi*. Secundus gradus
ſpiritualis profectus, eſt implorare auxilium Dei, ut qui
primò gemit inter malorum
inſidias, per ſanctorum interceſſionem, Dei aſſequatur in
neceſſitatibus præſidium: hinc
Propheta David in perſona
hominis ſpiritualiter aſcendentis, & prima peccata derelinquentis, ait, *levavi oculos meos in montes*. Sic populus fidelis
ex abyſſo vitiorum, ex carcere
tenebroſo, ex lacu leonum,
levat oculos intellectuales ad
Pſal. 67. *montem pinguem & coagulatum*,
Iſaiæ 2. ad *montem domus Domini præparatum in vertice montium*, ad
montem Moria in terram viſionis, quia in monte, id eſt, ex
alto, Dominus videbit humilem, & facies agni, id eſt, pietatis & miſericordiæ apparebit, illuc deducens ſperantem
in ſe, quo totum cordis deſiderium direxerat. Alij per *mõtes* intelligunt angelos, & cives cœleſtes, à quibus *veniet
auxiliũ*, quia lux tibi inacceſſibilis illuminat mirabiliter à
montibus æternis, ſuſceperunt
montes lucem populo, à quibus ad valles campoſque deſcendat ſubjectos. Hoc itaque
fratres optimum eſt, noſtræq;
infirmitati congruum illuminationis initium, ſi intendamus
in eos qui prius illuminati
ſunt, ſicut dicitur *ad aliquẽ Sanctorum convertere*. Iob. 5.
Si quæras,
quare ad hos levet oculos? dico propter multa; primò ut
viſa eorum rectitudine, ſuam
tortitudinem cognoſcat, quia
oppoſita juxta ſe poſita magis
eluceſcunt: unde Iob, *reſpiciet* Iob. 33.

homines (ſcilicet ſanctos,) *&* *dicet peccavi, & verè deliqui, & ut eram dignus non recepi.* Secundò, ut viſa eorum ſanctitate erubeſcat, & bona confuſione confundatur. Tertiò, ut acuatur ad pugnam & patientiam,
1. Mac 6. unde in libris Machabeorum, *elephantis oſtenderunt ſanguinem uvæ & mori,* (id eſt, Chriſti & Sanctorum,) *ad acuendos eos in prælium:* Hinc & Gregorius, ſi facta antiquorum Patrum ad memoriam revocamus, non erunt gravia quæ toleramus. Quartò, ut in eis legat quid agere, & qualiter vivere debeat, quia ut ait idem Gregorius, viva lectio eſt Sanctorum vita. Quintò, ut bonum recipiat ex aſpectu eorum, exemplo
Gen. 30. ſancti Iacob, qui *poſuit virgas in canalibus, &c.* Sextò, ut eorum gloriam admiretur, & deſideret, ſicut Regina Saba glo-
3. Reg. 10. riam Salomonis. Septimò, ut Deo gratias referat. Octavò, ut inde auxilium recipiat: Vndè ſequitur, *unde,* id eſt, de quibus Sanctis, *veniet auxilium mihi,* ſicut ante diximus; ſed ne crederet aliquis quod hoc Sancti ex ſe habeant, ut juvare poſſint, & ita poneretur ſpes in eis, oſtendit quia omne auxilium à Domino eſt, dicens.

Auxilium meum à Domino, qui Verſ. 2.
fecit cælum & terram. Hoc eſt, *auxilium meum* per quoſcumque detur, *à Domino* eſt, & non ab illis, licet per eos tamquam per mediatores; illi enim miniſtri ſunt illuminationis, Deus autem auctor, qui *eſt lux ve-* Ioã. 1.
ra illuminans omnem hominem. Inſtrumentaliter namque & miniſterialiter eſt auxilium ab Angelis, ſed principaliter à Deo, à quo, in quo, cum quo, & per quem, eſt auxilium hominis. A quo dico, quia ab eo
omne datum optimũ, &c. In quo, Iac. 1.
ut ait, *perditio tua Iſräel, tantum-* Oſee 13.
modo in me auxilium tuum. Cum quo, quia ipſe Deus hominem adjuvat, & homo Deum, unde
Paulus, *Dei inquit adjutores ſu-* 1. Cor. 3.
mus. Denique per quem eſt auxilium,

Digitized by Google

auxilium, quia omnes ferè orationes per Dominum terminantur. Ad hunc igitur qui primum gradum aſcendiſti, recurre orando, meditando, contemplando, talem tibi elige, qui te cuſtodiat ne cadas, adhuc enim infirmus es, inter tentationes agitaris, inter moleſtias, inter verſutias, & laqueos diaboli: Aſcende ergò ad ſecundum gradum, ora Deum à quo venit tibi auxilium, ut,

verſ. 3. *Non det in commotionem pedem tuum: neque dormitet qui cuſtodit te.* *Pedem tuum*, id eſt, ſpiritualem tuum profectũ, cordis tui affectum, ſtabilitatem animæ tuę, non permittat in bonitatis ſtudio labaſcere, & declinare in fluctuantia, ac lubrica negotia, ſed tutam Legis ac mandatorum conſcendere faciat ſemitam, & continuò te excitet, ut ad capeſcendum quod reſtat itineris, recentiori ſemper exercitio & labore nitaris. Tu quoque Iſraël eſto, id eſt, videns Deum, per operationem, ut hunc vigilem merearis habere cuſtodem.

Ecce non dormitabit neque dormiet, qui cuſtodit Iſraël. Videtur dormire Dominus, dum differt ſubvenire, evigilare dicitur, dum incipit ſuccurrere, ſicut ſcriptum eſt, *excitatus eſt* Pſal. 77. *tamquam dormiens Dominus, tamquam potens crapulatus à vino:* & tamẽ in veritate *non dormitabit, neq; dormiet qui cuſtodit Iſraël*, nã Ier. 1. *virga vigilans* eſt, & dormientes arguit, etſi dormire videtur, quia *diſſimulat peccata hominum propter pœnitentiam;* dormit tamẽn Sap. 11. apertis oculis more leonis ad vindictam malorum. Aliter etiam quando nos ei Dormimus, ipſe dormit nobis: non dormiamus ergò ſomno culpæ, ſed gratiæ, in pace pectoris, in devotione orationis, in contemplatione veritatis, in ſuavitate mentis, in prælibatione ęternę fœlicitatis, ut poſſimus dicere cum ſponſa, *ego* Cant. 5. *dormio & cor meum vigilat.* Si ergò pervigili cuſtodia in Deo

 per-

Digitized by Google

permanſeris, eumq́ue ſpiritu-
alium oculorum intentione
perſpexeris, ipſe quoque ocu-
lis formabit ſuper te, & prote-
get te, non univerſali quadam
cuſtodia ac tutela, ſed ſpeciali
prærogativa & cura, ſuper ma-
num dexteram tuam conqui-
eſcet, ſicut ſequitur.

vers. 5. *Dominus cuſtodit te, Dominus
protectio tua, ſuper manum dexte-*
Isaiæ 26. *ram tuam.* Dominus tibi *murus
erit & antemurale* per divini-
tatem & humanitatem, & fir-
mamentum in bello & actio-
ne plus quam dextera tua, id
eſt, plus quam virtus tua, &
omnis humana poteſtas; à
metaphora enim illorum qui
ſtant in acie, dicit, ſtabit ad
manum dexteram tuam, ut ſis
inexpugnabilis, ut gnavus ac
ſtrenuus, ut valens, & potens,
ut trophæum erigas, ut referas
triumphum. Vel fortè per *dex-
teram* Legem mentis intelligi
Romã. 7. voluit, quâ *condelectaris Legi
Dei*, per ſiniſtram verò, Legem
Ibid. carnis, quę *in membris Legi men-
tis ſemper repugnat:* ac ſi diceret,
ita te proteget, ut carnalis Lex
Legi mentis non prævaleat,
ut qui *ſpiritu benè currere cœpiſti,* Gal. 3.
carne non conſummaris, faſcina-
tus à concupiſcentijs. Exponi
etiam poſſet hic locus ut per
dexteram & ſiniſtram recta &
perverſa intentio accipiantur,
quarum ſi ſiniſtra in his quæ à
dextera fiunt ſe intromiſerit,
ex virtuoſis vitioſa fient. Vel
denique per *manum dexteram*,
generaliter bonam operatio-
nem determinat, in qua prote-
get te Dominus ſecundũ per-
ſeverantiam, & ne declines ad
ſiniſtram actionem, gratioſè
ſuccurret. Ex hebræo autem
poteſt legi Dominus cuſtos tu-
us, Dominus umbra tua, ſuper
manum dexteræ tuæ. Intra nos
umbras videre videor, quę ve-
lut in quodam ſpeculo de re-
bus alijs naſcuntur in ſenſu
noſtro, & obumbrant nobis,
vel obumbrant nos: obum-
brant nos, quæ refrigidant &
obſcurant nos; obumbrant
nobis,

Digitized by Google

nobis, quæ refrigidant & illuminant nos. Iſtæ quidem noxiæ & graves, iſtæ delectabiles & ſalubres. Iſtæ namque de inferioribus ſunt & mundanis, illæ de ſuperioribus & divinis. Anima nempe humana, in quodam medio condita & poſita eſt, ut ſub ipſa eſſet mũdus, ſupra ipſam Deus: ſupra ipſam, à quo, & ad quem, & propter quem, facta eſt; ſub ipſa, quod propter ipſam factum eſt. Nam ſicut propter animam corpus, ſic propter corpus domus ejus, id eſt mundus. Cum igitur incurvatur ad corporalia & mundana, aſcendunt in eam umbræ de inferioribus; cum erigitur ad divina, inclinantur ad eam umbræ de ſuperioribus. Quia autem ex obſcuro & lucido corpore umbra provenit, ex ſole divinitatis, & nube humanitatis, ſibi dicit exhiberi contra tentationes umbram refrigerij; à vento enim & turbine tentationum abſcondimur & refrigeramur in deſerto hujus peregrinationis, umbrâ petræ prominentis, id eſt, Chriſti protegentis: & ſic,

Per diem ſol non uret te, neque luna per noctem. Id eſt, nec fulgor proſperitatis, nec defectio adverſitatis, turbabunt propoſitum tuum Domino te cuſtodiente: perfuſa enim interdum anima luce quadam inſueta, conſolationiſque guſtu & ſuavitate affecta, ni prudens ſit & grata, facile ad id impietatis corruit, quod cœleſtes illiuſmodi afflatus, ſibi propter ſuam juſtitiam & devotioné, tribui opinetur; vel eo maximè, ſi in adverſitatum acerbitate poſita, lunam perſpicuè per noctem lucere, hoc eſt ſi ſe ſentit vividam, robuſtamque, & planè non aliter in afflictionibus & vivere & lætari, quam ſolet in igne Salamãdra. Quæ quidem periculorum genera juſtiſſimus ille Iob advertens, de ſeſe hoc modo teſtabatur: *Si vidi ſolem cum fulgeret,*

vers. 6.

Iob. 31.

ſulgeret, & lunam incedentem clarè, & lætatum eſt in abſcondito cor meum, & oſculatus ſum manum meam ore meo, quę eſt iniquitas maxima, & negatio contra Deum altiſſimum: ſibi ſcilicet ſuiſque operibus quod ſolius Dei eſt, impendere atque adblandiri. Quapropter Dominus Ieſus
Ecc. 24. tamquam *Terebintus, expandit ramos ſuos* contra ſolem per diem urentem, in nocte verò quaſi columna ignis, ut frigus lunæ faciat incaleſcere, per doctrinam illuminat: Et ſic generaliter,

verſ. 7. *Dominus cuſtodit te ab omni malo: cuſtodiat animam tuam Dominus.*

verſ. 8. *Dominus cuſtodiat introïtum tuum, & exitum tuum; ex hoc nunc, & uſque in ſeculum.* Ex interpretibus hebręis, aliquibus viſum eſt in hoc loco per *introïtum & exitum* negotia actioneſque vitæ humanæ ſignificari, quorum quidem nullus aut modus, aut ordo, niſi turpis & confuſus, eſſe poteſt, niſi Dominus ipſe conſilia moveat, ac ne erret animus, pervigil ſemper cuſtos exiſtat. Quare olim Salomon à Domino ut quidquid vellet peteret provocatus, reſpondit, *ego ſum puer* 3. Reg 3.
parvulus, & ignorans egreſſum & introïtum meum. Vel aliter, quando tentaris, intras, quando vincis, exis: audi introïtum & exitum. *Vaſa figuli probat for-* Ecc. 27.
nax, & homines juſtos tribulationis tentatio, ſi ſic ſint homines juſti quomodo vaſa figuli, neneſſe eſt ut vaſa figuli intrent; & non quando intrant jam ſecurus eſt figulus, ſed cum exierint; Dominus autem ſecurus eſt, *qui cognovit qui ſunt* 2. Tim 2.
ejus, & qui in fornace non crepent; illi non crepant, qui non habent ventum ſuperbiæ, humilitas enim cuſtodit in omni tribulatione vel tentatione, & *Dominus cuſtodit introïtum,* ut ſalvus intres, ſana fide ſis, quãdo accidit tentatio, & *cuſtodit exitum,* cum exieris ab omni tentatione, ut jam in æternum nulla

Digitized by Google

nulla te tentatio terreat, nulla concupiſcentia ſolicitet. Ecce intröitus tuus cuſtoditur, quando tibi non ſinit Deus accidere tentationem, quam ferre nõ potes, & cuſtoditur exitus tuus, quando *facit cum tentatione proventum*, ut cum ad exitum vitæ perveneris, in illud chäos non præcipiteris, ubi Dives conſpicitur ardens, sed in ſinu Abrahæ, cum Lazaro ſempiterna requie perfruaris.

1. Cor. 10.

Luc. 16.

CANTICVM GRADVVM.

Psalmus CXXI.

Expoſitio literalis.

verſ. 1. *LÆtatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi: in domum Domini ibimus.* Populi Iudæorum à captivitate facti meliores, ac cum majori deſiderio ea à quibus exciderant, requirentes, lætati ſunt valdè nuncio reverſionis in patriam accepto, ob cujus vehemens deſiderium, illicò pedes eorum (opinione ſcilicet & imaginatione,) videbantur illis conſiſtere *in atrijs Hieruſalem*, templi ſcilicet & civitatis. Habuit namque templum Salomonis plura atria, unum in quo ſtabant & offerebant Sacerdotes, alterum in quo exorabant homines mundi, tertium verò atrium erat immundorum. Similiter quia civitas duplici vel triplici (ſecundum quoſdam) muro cincta erat, plura atria habebat, in quibus celebres conventus & negotia agebantur. Quapropter antiquam hujus civitatis proſperitatem in memoriam revocantes, ejus enarrabant encomia: *Jeruſalem ædificata ut civitas,*

tas, omnium olim urbium orientis & orbis totius longè pulcherrima, centum ac ſeptuaginta quatuor turribus communita, cujus ambitus quinque millia paſſuum excedebat, in quam octo portis ingreſſus erat, *cujus participatio ejus in idipſũ*, id eſt, quæ aſſociata erat templo; nam in hebręo habetur, quæ aſſociatur ei ſimul, vel ut alij volunt, cujus frequentia tuta & conſtipata ædificia. Neque adeò magnitudine ſua aut ędificiorum ſtructuris ornata erat, quantum una hac re, quod oportebat *illic tribus* à Deo ordinatas, maximè ter in anno colligi, juxta
Exod. 34. conteſtationem & divinum mandatum à Deo olim factum ipſi populo, ut per divinum cultum à Lege ordinatum gratias agerent. Additur & alia laus Ieruſalem, quod veluti duplici corona & diademate Sacerdotum ſcilicet & Regum principatu ornaretur, ad quorum judicium appellabatur, ſi qua in alijs civitatibus dubia lata eſſet ſententia. Sed erant quidem antiqua hujuſmodi, nunc autem civitate diruta, diſturbatis arcibus, veteris patriæ ſolum manent reliquiæ, ideoque Vates ſermonem ad populos convertens, ait, *Rogate* ut ea redeat in priſtinam proſperitatem & abundantiam cum pace, quietem vitæ præſtet & lætitiam, cujus etiam participes ſint gentes vicinæ, quæ partibus tuis favent. Hoc autem fieri opto propter cognatos meos Iſraëlitas, & *propter domum Dei noſtri*, ut ejus cultus redeat, & doctrina augeatur.

Alia explicatio moralis.

Verſ. 1. *LÆtatus ſum in his quę dicta ſunt mihi; in domum Domini ibimus*. Hoc tertium Canticum continet gaudium de ſpe perveniendi

veniendi ad locum quo aſcendis, quaſi dicat vir juſtus, *lætatus ſum* in via aſcenſionis ſpirituali lætitia, *in his* id eſt, ex conſideratione horum *quæ dicta ſunt mihi* à Prophetis, ab Apoſtolis, alijſque ſanctis, ſeu per inſpirationē Spiritus ſancti, qui hoc teſtificatur in cordibus juſtorum, quod *in domum Domini*, id eſt, in Eccleſiam triumphantem, in patriam beatorum, in regnum cœlorum, *ibimus* poſt hujus vitæ incolatum, cum ab omni reatu fuerimus expurgati, in qua domo Deus ſublimis & benedictus facie ad faciem ſine fine videbitur, in qua invenitur æterna ſecuritas, & plena jucunditas,
Mat. 22. in qua erimus *ſicut Angeli Dei*, ſatiabiturque in bonis deſiderium noſtrum. Duabus autem alis dilectionis ad eam elevamur, ſeu duobus pedibus charitatis itur ad hanc domum, amor namque qualiſcumque ſit, vacare non poteſt (ait Auguſtinus,) nam ſi terrenus eſt, animam ad terrena inclinat, ſi verò cœleſtis eſt, animam ad cœleſtia ſublevat, ad æterna inflammat: obligata enim anima terreno amore, viſcum habet in pennis, volare non poteſt; ſed amor ſanctus, ab hoc viſco ſolutam ad ſuperna levat, ad cœleſtem Ieruſalem. Hujus itaque domus ingreſſu digna non eſt, quæ in carnalibus jucundatur, quę in ſenſibilibus detinetur, quę non cōtemplatur cœleſtia, quæ non ſervit Deo in ſanctitate & juſtitia, quia *non intrabit in illam aliquid coïnquinatum.* Apoc. 21. Curramus ergò & non deficiamus, quia illùc perveniemus ubi non laſſabimur. Sed qui currunt, quid cogitare debent? quaſi ibi non ſint, & ibi ſtent: cogitemus quales ibi futuri ſimus, & quāvis adhuc in via ſimus, hoc nobis ponamus ante oculos, quaſi ibi ſtemus, quaſi jam inter Angelos indeficiētes gaudeamus, & hoc eſt quod ſubditur.

Digitized by Google

vers. 2. *Stantes erant pedes noſtri, in atrijs tuis Ieruſalē.* Id eſt, deſideria noſtra, affectus noſtri, non cadentes dicit, ſed *ſtantes*, erecti, fixi, & ſtabiliti erant, *in atrijs tuis*, in amplitudine tua *Ieruſalem*, vel in manſionibus re-
Phil. 3. gni cœleſtis, ita quod *converſatio noſtra fuit in cœlis*, & omnia opera noſtra ordinavimus ad vitam æternam, quam ſummè & finaliter deſideramus. Quinque verò in hoc verbo ſtandi notantur, quę in viro juſto eſſe debent. Primò, erectio ad
Col. 3. ſuperna, ſicut Paulus ait, *ſi conſurrexiſtis cum Chriſto quæ ſurſum ſunt quęrite, &c. quę ſurſum ſunt ſapite.* Secundò, pręparatio ad pugnam. *Militia*, (inquit
Iob. 7. Iob) *eſt vita hominis ſuper terrã.* Tertiò, voluntas ſerviendi & adjuvandi alios, hinc Stepha-
Act. 7. nus *vidit Ieſum ſtantem.* Quartò, conſtantia mentis. Quintò, deſiderium & voluntas ulterius procedendi, quia de illis procedet ad iſtam Ieruſalem,
Eze. 2. unde dicitur Ezechieli, *Fili hominis, ſta ſuper pedes tuos.* Eſt denique domus inferior, exterior, interior, ſuperior. Domus inferior, eſt militans Eccleſia, de qua dicitur *domus mea domus* Mat. 21.
orationis vocabitur. Domus exterior, ſacra eſt Sriptura, de qua Propheta, *in domo Domini* Pſal. 54.
ambulavimus cum conſenſu. Domus interior, conſcientia eſt, de qua idem, *perambulabam in* Pſal. 100.
innocentia cordis mei in medio domus meę. Domus ſuperior, triumphans eſt Eccleſia, de qua Salvator, *in domo Patris mei mãſiones multæ ſunt.* Ioã. 14.
In prima domo, vir juſtus generatur & naſcitur, in ſecunda, nutritur & eruditur, in tertia quieſcit & dormit, & etiam veſtitur & ornatur, in quarta gaudet & lætatur. Interim gaudens in bono incommutabili promiſſo, cujus conſortes omnes optãs fieri, ait.

Ieruſalem quæ ædificatur ut civitas: cujus participatio ejus in idipſum. vers. 3.
Adhuc inquit non eſt expletum ædificium civitatis hujus,

hujus, ſed quotidiè *ædificatur*
Eph. 2. de lapidibus vivis, *ſuper funda-*
mentum Apoſtolorum & Prophe-
tarum, ipſo ſummo angulari lapide
Chriſto Ieſu: cujus participatio e-
jus in id ipſum, in uno corpore
Eccleſiæ per Chriſtum.

verſ. 4. *Illuc enim aſcenderunt tri-*
bus, tribus Domini, teſtimonium
Iſraël, ad confitendum nomini Do-
mini. Illuc aſcenderunt tribus non
peccato obnoxiæ, ſed *tribus*
Domini, quę cognoſcentes Do-
minum, ſequi non diſtulerunt,
quod ad gentes eſt referendũ:
teſtimonium Iſraël ut eum con-
demnent, quia illi ſibi oſten-
ſum in multis miraculis non
cognovit, *tribus* verò gentium
cognitum receperunt; ſed &
Regina Auſtri & Ninivitæ in hu-
jus teſtimonii *judicio conſurgent*
Luc. 11. *& condemnabunt eum*, ſicut ſe-
quitur,

verſ. 5. *Quia illic ſederunt ſedes in ju-*
dicio, ſedes ſuper domum David.
Sedes Dei Apoſtoli ſunt, ſu-
per quos requieſcit Dominus:
Matt. 19. Hæ ſedes *ſedebunt ſuper ſedes duo-*
decim, judicantes duodecim tribus
Iſraël, ſicut ipſe in Euangelio
ait. *Sedes ſuper domum David*,
id eſt, ſuper Eccleſiam Chri-
ſti, gubernantes atque monen-
tes eam præceptionibus ſuis.
Quapropter etiam ipſa Ec-
cleſia modo *tribus* & *ſedes* ro-
gat, pro ſe intercedere, ut &
ipſi fideles quandoque illùc
perveniant.

Rogate quæ ad pacem ſunt Ie- verſ. 6.
ruſalem: & abundantia diligenti-
bus te. Hoc eſt, precibus apud
Deum obtineatis, ut nobis det
talia merita, quibus benè ope-
rando, mereamur in Ieruſalẽ
cœleſtem conſcendere, & per
dilectionem pacis, conſequi
fructum æternę beatitatis, ubi
erit *abundantia diligentibus te*,
qui enim relictis caducis Deũ
ſuper omnia diligit, ipſe abun-
dantia bonorum perfruetur.

Fiat pax in virtute tua: & verſ. 7.
abundantia in turribus tuis. Chri- Eph. 2.
ſtus eſt pax noſtra, qui nos in u-
no vinculo charitatis aſtrin-
git, cujus virtus ſi convaleſcat

Digitized by Google

in nobis, & ipſe quoque pectoribus noſtris illabitur: *& abundantia in turribus tuis*, in his abundantiam bonorum fieri Propheta depoſcit, qui supereminentes merito, tamquam turres fortiſſimæ hanc civitatem & virtute muniunt, & proceritate decorant.

vers. 8. *Propter fratres meos, & proximos meos, loquebar pacem de te.* Vt ſcilicet ipſi ad conſummationem hujus ædificij ſe perfectos exhibeant.

Propter domum Domini Dei noſtri, quæſivi bona tibi. Prædicando pacem proximis fratribuſque, efficit eos civitatem regis æterni, cui hęc *bona quęſivit*; ut ab unitate univerſitatis in unam ejus tranſiret habitationem, qui ait, *Pater, volo ut ubi ego ſum, & illi ſint mecū, ego in eis, & tu in me, quia dilexiſti me ante conſtitutionem mundi.* vers. 9. Ioā. 17.

CANTICVM GRADVVM.

PSALMVS CXXII.

vers. 1. AD *te levavi oculos meos, qui habitas in cælis.* In hoc gradu quid faciendum ſit docet Propheta David, qui loquens in perſona hominis graviter tribulati, & tamen de Domino immobiliter confidentis, ait; *ad te levavi oculos meos*, fidem ſcilicet, & intentionem, intellectum, & affectum, in ſimplicitate cordis mei tè intueor, nihil aliud quam te quæro, operiq́ue bono non niſi propter te intendo; *qui habitas in cælis*, materialibus & immaterialibus, id eſt, Angelis ſanctis, & alijs beatis hominibus, qui cœli dicuntur ſpirituales, quia ſunt alti per vitę eminentiam, clari per cordis mundiciam, volubiles per obedientiam, concavi per humilitatem,

Digitized by Google

militatem, domus Dei per pietatem; ſtellati per virtutum varietatem, quia inde venit pluvia prædicationis, tonitrua comminationis, fulgura miraculorum. Ad Deum autem levandi ſunt oculi de tribulatione. Primò, tamquam ad adjutorem. Secundò, ut ad exemplar; hinc Moyſi pręcipi-
Exod. 25. tur; *inſpice & fac ſecundum exemplar quod tibi in monte monſtratum eſt.* Tertio, ut ad librũ, quia eſt liber continens om-
Iob. 31. nia: unde Iob; *librum ſcribat ipſe qui judicat, ut in humero meo portem illum.* Ad hunc ſanè librum quilibet ſuum librum emendare deberet, quoniam per illum generale formabitur judicium. Quartò, ut ad theſaurum, ut ibi ſint oculi, ubi eſt
Pſal. 38. theſaurus noſter, *quia ſubſtantia noſtra apud eum eſt,* quia natura noſtra de nobis ſumpta, & pro nobis oblata, apud eum glorificata eſt, ſpem nobis tri-
Pſal. 64. buens quod ad eum *omnis caro veniet*, caputque membra ſequentur, ut halocauſtum compleatur. Quintò, ut viam, *per* Ioã. 10.
quam ſi quis introïerit ſalvabitur. Sextò, ut filius ad patrem qui dat illi panem, vel ut ſervus ad Dominum, exſpectans mercedem, unde ſequitur.

Ecce ſicut oculi ſervorum, in verſ. 2.
manibus Dominorum ſuorum. Sicut oculi ancillę in manibus Dominæ ſuę: ita oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum, donec miſereatur noſtri. Sicut oculi inquit *ſervorum in manibus Dominorum ſuorum, ita oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum,* intentiſſimè & indeclinabiliter obſervantes nutus ejus, quid velit, quid jubeat, ut quam celerrimè devotio noſtra obediat. Sic Moyſes inviſibilem tamquam videns ſuſtinebat, nec umquam imminentem metum judicis diſſimulare poterat. Sic Helias, & alij Prophetę qui dicebant, *vivit Dominus in cujus* 4. Reg. 3.
conſpectu ego ſto: Inde nimirum & nomen & gratiam aſſecuti ſunt videntium, quoniam quæ ſemper

ſemper intuebantur per fidem non fictam, merebantur ſæpius videre per ſpeciem licet factam. Hæc fides viva, vigil, nō ficta, non diſſimulatrix, ipſa eſt (ut arbitror,) quæ ſola vel maximè facili compendio ad perfectionem perducit, quæ gravitatem diſciplinæ, ſobrietatemque modeſtiæ, tam interiori quam exteriori noſtro tribuit, & velut in diſciplina famulantium Domino, ſemper aſſiſtere facit, *donec miſereatur noſtri*, id eſt, donec à præſentis onere ſervitutis abſolutos, transferat in regnum libertatis ſuæ: quamdiu enim pœnaliter degimus in hac vita mortali, miſeriam ſemper exponere debemus, ut miſericordiam provocemus; ideoque ſubjungit.

verſ. 3. *Miſerere noſtri Domine, miſerere noſtri: quia multum repleti ſumus deſpectione.* Bis repetit *miſerere noſtri*, quia non ſufficit ſemel dicere, quod nimis deſiderat evenire; quia mens dolore contrita, omnes calamitatis terminos exceſſit, & ingenti ſe mole ſupplicij laborare proclamat: innumerabilia enim ſunt prementia mundi mala, ut ſępè faciant exorbitare à via ad ſuperna tendentes; hæc inceſſanter fiunt ad nos, ut nec ſine bello ſpatium vitæ prætereat, nec dormiens requiem accipiat agoniſta: ergò bella inſunt, pax abeſt, hoſtes prohibere non poſſumus, importuni ſunt; aliqui viſi & cogniti, à quibus ſaturamur opprobrijs & deſpectione.

Quia multum repleta eſt anima noſtra: opprobrium abundantibus, & deſpectio ſuperbis. Divites enim ſuperbi & pravi, dum ſuę vitium fortitudinis ignorant, audenter humilium rectitudinem lacerant, & contra bonos ſibi authoritatem increpationis arripiunt. Alij hoſtes ſunt nec viſi, nec cogniti, & qua parte inſiliant ignorati: Quos omnes nec valemus aliquando noſtra virtute ſubjectare, verſ. 4.

ctare, proinde oportet orare ad illum & non deficere, qui de cœlo ſolus præſtat auxilium, hoſtium vires reprimens ne vincant, nobis reſiſtendi virtutem tribuens, ne vincamur.

CANTICVM GRADVVM.

PSALMVS CXXIII.

verſ. 1. NIſi quia Dominus erat in
nobis, dicat nunc Iſraël:
verſ. 2. * niſi quia Dominus erat
in nobis. Hic Pſalmus quintum
gradum aſcenſionis pandit,
quod liberatio noſtra Deo tri-
buenda ſit: unde ad literam
videtur hìc Vates (ſecundum
quoſdam,) ad antiquam illam
Chaldeorum in Babylonico
exilio crudelitatem alluſiſſe,
in qua ardenti in Iudæorum
populum commotione atque
ira concitati, ſacrum Dei fanũ
combuſſerunt, civitatem fun-
ditus exciderunt, quam pluri-
moſque multitudinis promiſ-
cuę viros & mulieres obtrun-
caverunt. Tum enim cuncti
ad unum Iudæi ab hoſtibus
abſumi videbantur, niſi Domi-
nus ſui populi partem ſervare
decreviſſet. Sed melius hic
Pſalmus intelligitur de reditu
ex Babylone, quando filij Iſra-
el admodum pauci & con-
tempti, nudi & inermes, ur-
bem habebant immunitam:
ideoque *niſi Dominus* fuiſſet il-
lis pro muro & arce, prædæ
omnibus vicinis gentibus ex-
poſiti erant, quæ eos copiosè
adoriebantur. Vnde ſequitur.
Cum exurgerent homines in nos: verſ. 3.
* *fortè vivos deglutiſſent nos:* Sic
populus fidelis dicere debet,
niſi Dominus ſuâ miſericordiâ
meam pręveniſſet converſio-
nem, & gratiâ adjuvaret con-
verſationem, *cum exurgerent ho-*

mines in nos, (non carnem no-
ſtram devorare conati, ſed a-
nimas per inſtigationem ſce-
lerum deglutire,) *fortè vivos*
deglutiſſent nos: vivi autem de-
glutiuntur(ut ait Auguſtinus,)
qui ſcienter peccant, de qui-
Pſal. 54. bus Pſalmiſta, *deſcendant in in-*
Prov 1. *fernum viventes*, &, *deglutiamus*
eum ſicut infernus viventem:
quidam verò mortui degluti-
untur, ut qui inſcienter pec-
cant, ſicut Paulus. Et vide qui-
bus gradibus deſcendant pec-
catores in infernum: eos pri-
mò dæmones invadunt per
ſuggeſtionem, tangunt per
malam cogitationem, mor-
dent per malam delectatio-
nem, maſticant per deliberati-
onem, deglutiunt per conſen-
ſum, trajiciunt in ſtomachum
per operationem, decoquunt
per conſuetudinem, uniunt
membris per deſperationem,
egerunt in morte, per damna-
tionem. Vlterius commotio-
nes malarum mentium quæ
Sanctos Dei abſorbere quæ-
runt, aquis comparantur:

Cum iraſceretur furor illorum
in nos, * *forſitan aqua abſorbuiſſet* verſ. 4.
nos.

Torrentem pertranſivit anima verſ. 5.
noſtra: forſitan pertranſiſſet ani-
ma noſtra aquam intolerabilem.
Melius in hebræo habet, tor-
rens pertranſivit ſuper animam
noſtram, quod ſcilicet multi
tentationum turbines, ſuper
animam ejus tranſierunt, nec
eam necare potuerunt, ſed ha-
bitante in Sanctis Deo, deor-
ſum defluunt & decurrunt; id-
eoque non de ſuis viribus &
meritis præſumens, ſed in ad-
jutorio altiſſimi confidens, ait.

Benedictus Dominus qui non verſ. 6.
dedit nos in captionem dentibus eo-
rum. Horum torrentium den-
tes, numeroſitas eſt vitiorum,
à quibus liberari volens ani-
ma, conditiones habeat paſ-
ſeris, ut læta decantare poſſit,

Anima noſtra ſicut paſſer erepta verſ. 7.
eſt de laqueo venantiũ: Paſſer e-
nim eſt avis modica & calida,
levis, agilis, pennata, habitans
in

in petra. Sit & ipſa anima modica per humilitatem, quæ non timet laqueos, ſed evadit, ſicut dictum eſt ſancto Anthonio; calida per charitatem, ſic in Apocalipſi dicitur, *utinam frigidus eſſes aut calidus, &c.* calidus eſt (ait Gregorius) qui bona ſtudia & arripit & conſummat, frigidus verò eſt, qui conſummanda nec inchöat, ſed tepidus eſt, qui à calore quẽ propoſuit, torpore ad noxium frigus redit: à frigore per teporem tranſitur ad calorem, à calore quoque per teporem reditur ad frigus; Sit & levis anima per terrenorum abjectionem, agilis per obedientiam, unde Iſaias ait, *qui ſunt iſti qui ut nubes volant?* pennata varietate virtutum, nidificans in illis petrę foraminibus, Chriſti ſcilicet vulneribus, & ſic ne nimiam quidem ſpiritualis decoris pennulam accipiter ille nequiſſimus ſe gaudebit evulſiſſe, & *fruſtra tendent retia* dæmones, *ante oculos pennatorum*, qualia ſunt divitiæ hujus ſæculi, unde Apoſtolus ait, *qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli.* Laquei diaboli ſunt meretrices, unde in Eccleſiaſte, *inveni amariorem morte mulierem, quæ laqueus eſt venatorum, & ſagena cor ejus: vincula ſunt manus illius.* Denique laquei dęmonum ſunt quicumque inducunt alios ad peccandum, de quibus dicitur; *laqueus facti eſtis ſpeculationi, & ſicut rete expanſum ſuper Thabor.* Prædicti autem venatores, id eſt, dæmones multum gaudent *capta pręda, quando dividunt ſpolia*, pellem divitiarum mundo relinquentes, carnes, id eſt, cadavera vermibus, animas ſibi tollentes: *da mihi animas* (dicit Rex Sodomorum,) *cætera tolle tibi.* Sed præter ſpem ad prędam inhiantium;

Apoc. 3. — Gregor. — Iſaie 60. — Prov. 1. — 1. Tim 6. — Eccl. 7. — Oſee 5. — Iſaie 9. — Gen. 14.

Laqueus contritus eſt, & nos liberati ſumus. Et ſic anima divinâ gratiâ erepta & liberata, magnificas gratias agit, dicens.

Digitized by Google

verſ. 8. *Adjutorium noſtrum in nomi-*
ne Domini, qui fecit cælum & ter-
ram. Hoc eſt nomen ſuper om-
ne nomen, cujus adjutorio
mortis vincuntur laquei, ſi in
illo maneamus affixi: quod
nobis detur aſſequi, gratia &
benignitate Domini noſtri Ie-
ſu Chriſti, cui gloria & poten-
tia, in ſæcula ſæculorũ, Amen.

CANTICVM GRADVVM.

PSALMVS CXXIV.

verſ. 1. *QVi confidunt in Domino*
ſicut mons Syon: non com-
movebitur in ęternum qui
verſ. 2. *habitat * in Hieruſalem.* Sextus
aſcenſionis gradus eſt, confi-
dentia de Deo. *Syon mons* eſt in
Hieruſalem, in cujus vertice
Placent. turris David eminebat civi-
bus, Iæbuſeorum prius arx
munitiſſima, quem undequa-
que montes circumſepiunt, ut
ſervi Dominis circumſtare ſo-
lent. Ab Oriente enim adſtat
mons olivarum omnium e-
minentiſſimus, ad Auſtrum
mons offenſionis adeſt, ſic di-
3 Reg 11. ctus, quod Salomon idolum
Moloch in eo collocavit ad-
orandum, inter utrumq; con-
tra Eurum, Acheldemach ager
ſitus eſt, ad radicem monticuli
eodem nomine appellati, ab
Africo ad Zephyrum proten-
ditur mons Gyon, qui urbi
prominens Occidentalem pla-
gam verſus paulatim decreſ-
cit uſque ad portam judiciari-
am, ibique in colliculo ſibi
continuo, calvaria erat, quæ
nunc intra civitatis ambi-
tum recluditur, contra Hel-
leſpontum ultra Cedronem
à monte olivarum ad Septen-
trionem, eſt mons Chamos,
in quo Salomon idolo Cha- Ibid.
mos templum conſtruxit, un-
de nomen iſtud ſibi vendica-
vit, inter Septentrioné & Ze-
phyrum,

Digitized by Google

phyrum, mons Silo cernitur, ubi multo tépore arca fœderis aſſervabatur: & ita verum eſſe conſtat quod Propheta David decantavit, *qui confidunt in Domino ſicut mons Syon, &c.*

Montes in circuitu ejus: & Dominus in circuitu populi ſui, ex hoc nunc & uſque in ſeculum. Syon Eccleſia, mons autem juxta Danielem Chriſtus Dominus eſt, ergò qui in Domino ex toto corde fidunt, non poſſunt moveri à bono, ſicut nec mons Syon moveri poteſt à loco ſuo, quia conformes efficiuntur corpori gloriæ ejus: ſi quæras qui ſunt hi? reſpondet *qui habitant in Hieruſalem*, Gal. 4. non literali ſed ſpirituali, *quæ ſurſum eſt libera*; ſive per fruitionem, & illi nullo modo moveri poſſunt, quia jam confirmati ſunt, ſive per fidem, ſpem, deſiderium, & contemplationem, & illi vix moveri Romã. 8. poſſunt, ſicut qui dicebat, *certus ſum enim, quia neque mors neque vita, &c. quia montes in circuitu ejus*; cuſtodię Sanctorum, Angelorum, Prophetarum, Apoſtolorumque, qui in modum proceritatis montanæ, ſupereminent cunctis in ſanctitate, & tamquam *mons plenus equorum & curruum igneorum in circuitu Eliſei ſunt.* 4. Reg. 6. Verum hæc præcipua omnium ſecuritas eſt, quia *Dominus in circuitu populi ſui, ex hoc nunc, & uſque in ſeculum*: ut ſicut ſapientia promittit, *requieſcet abſque terrore, & abundantia perfruetur, timore malorum ſublato.* Prov. 1.

Quia non relinquet Dominus virgam peccatorum ſuper ſortem juſtorum: ut non extendant juſti ad iniquitatem manus ſuas. verſ. 3. Pro virga in hebræo ſceptrum habet, ac ſi dicat, non permittet bona juſtorum in manibus eſſe peccatorum, etſi id faciat ad tempus pro correctione, caſtigatione, & admonitione, ne fiducia iſta & ſecuritate, negligentia generetur, cum non in alio quam in timore Domini ſit fiducia fortitudinis: timor

Digitized by Google

quippè cavet offenſam, cuſtodit gratiam, locumque ſervat fiduciæ, quamdiu tibi conſcius non es Dominum offendiſſe. Sermonem ſuum Propheta in orationem concluſit.

verſ. 4. *Benefac Domine bonis, & rectis corde.* Illos qui fidem propoſiti conſervant, ad perſeverandum, conforta, & opus ſtabile ſubminiſtra.

verſ. 5. *Declinantes autem in obligationes, adducet Dominus cum operantibus iniquitatem: pax ſuper Iſraël.* Hi qui à præceptis Dei declinant, adducuntur cum his qui Deum ignorant, ut ſimili ſententia feriantur: *pax* autem ſit *ſuper Iſraël*; pax Dei, Cant 6. eſt fraterna concordia, *terribilis ut caſtrorum acies ordinata*, omnia diabolica arma frangit & deſtruit: qui autem in diſcordia eſt, civis eſt Babyloniȩ, nec particeps ſupernæ Hieruſalem eſſe poteſt, *cujus participatio ejus in idipſum*, id eſt, in concordia & pace, cujus auctor & princeps eſt Chriſtus, qui amovit velum inter hominem & Deum, & conjunxit ſancta, ſanctis ſanctorum, *pacificans per ſanguinem crucis ejus, ſive quæ in terris ſunt, ſive quæ in* Col. 1. *cœlis: ecce pluſquam Salomon hic,* Luc. 11. non ſolum pacificus, ſed & pax noſtra *quæ exuperat omnem* Phil. 4. *ſenſum*, omnem ſcilicet ſepeliens ſenſualitatem, ut in pace pectoris dormiamus in prȩſenti, & tandem in pace incommutabili requieſcamus in futuro.

CANTICVM GRADVVM.

PSALMVS CXXV.

verſ. 1. IN *convertendo Dominus captivitatem Sion: facti ſumus ſicut conſolati.* Septimus gradus eſt exultatio & gratiarum actio, de ſpirituali liberatione à vinculis peccatorum, & ſervitute

Digitized by Google

vitute diaboli; unde Propheta David gaudens & congaudens decantat *in convertendo Dominus, &c.* id eſt, cum converteret Dominus fidelem quemque à captivitate & ſervitute diaboli, à vita confuſa, à mortali peccato, à præſenti miſeria, ad vitam ordinatam, ad gratię ſtatum, ad gloriæ locum: *facti ſumus ſicut conſolati*, quia captivi eramus & venundati ſub peccato. Quis nos vendidit? nos ipſi qui conſenſimus ſeductori; vendere nos potuimus, redimere non potuimus, vendidimus nos confuſione peccati, redimimur in fide Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſanguis ejus innocens datus eſt pro nobis ut redimeremur, & ideo, *facti ſumus ſicut conſolati*; & ſi adhuc patimur, adhuc flagellamur, decuit nos pati, quia paſſus eſt, & repromiſit reſurrecturos, quia reſurrexit, in ſeipſo oſtendens quid ſperare debeamus. Quãdiu igitur juſti ſunt in hoc mundo, gemunt in re, ſed conſolantur in ſpe, cum autem tranſierit res gemitus, veniet plenum gaudium in æternum, & tunc conſolatio neceſſaria non erit, quia miſeria nulla erit, modo verò eſt neceſſaria, ut *ſecundum multitudinem dolorũ in corde eorum, conſolationes Dei lætificent animas eorum* quibus numquam excidit peregrinos ſe eſſe, longè factos à patria, pulſos hæreditate. Nimirum qui deſolationem non novit, nec conſolationem agnoſcere poteſt: qui autem conſolationem ignorat eſſe neceſſariam, ſupereſt ut non habeat Dei gratiam; conſolationem dico non hujus mundi, ſed quæ de ſurſum venit: omnis ſiquidem conſolatio præſens reſperſa eſt multis amaritudinibus, dicente Böetio; nullus adeo compoſitę fœlicitatis eſt, qui non cum aliqua parte ſui ſtatus rixetur: de illa verò conſolatione Propheta adjungit, dicens,

Pſal. 93.

Boët

Tunc

verſ. 2. *Tunc repletum gaudio os noſtrum: & lingua noſtra exultatione.* *Os* & *lingua* interioris hominis, mens intelligitur & cogitatio; nam ſicut lingua oris loquimur hominibus, ita cogitatione mentis loquimur Deo, cui tunc ſolum acceptabile eſt gaudium noſtrum, quando fit mente & cogitatione, id eſt, ut tota mente & tota cogitatione exultemus & gaudeamus de noſtra redemptione. Eſt autem riſus corporalis & ſpiritualis; corporalis triplex, vanus, videlicet qui oritur de re inepta, fictus, qui tantum in labijs fit & non ex corde procedit, manifeſtus, de
Ecc. 21. quo dicitur, *fatuus in riſu exaltat vocem ſuam.* Riſus quoque ſpiritualis ſeu gaudium triplex eſt, verus, qui procedit de conſcientia, de quo Paulus, *gloria*
2. Cor. 1. inquit *noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ*; occultus, qui in corde tenetur, qui unde eſſe
Iſaiç 24. debet, dicit Iſaias, *audivimus gloriam juſti, & dixi; ſecretum meum mihi, ſecretum meum mihi*; & Salvator diſcipulis, *veniam* Ioã. 16.
iterum ad vos, & gaudebit cor veſtrum; manifeſtus autem non debet haberi hìc vel modo, ſed in futuro, unde dicitur, *beati qui nunc fletis, quoniã ridebitis.* Luc. 6.

Qui ſeminant in lachrymis, in verſ. 5.
exultatione metent. Si vis benè ſeminare, ut in gaudio metas, attende boni ſeminatoris conditiones; eligit enim ille bonum ſemen ut ſeminet, & tu elige bona verba quę prædices, bona opera quę facias, bona dona quæ tribuas, *quæ enim ſeminaverit homo, hęc & metet*, & Gal. 6.
iterum, *dicite juſto quoniam benè, quoniã fructum adinventionũ ſuarum commedet.* Item non ſeminat ſemen alienum, ſed ſuum, alioquin fructus non erit ſuus; & tu fac ſimiliter: eligit ille terram in quam ſeminet, & tu conſideres cui prędices, cui bona facis, cui elemoſinas donas, unde Sapiens, *da bono, &* Eccl. 12.
ne receperis peccatorem. benefac humili, & ne dederis impio: Seminat

nat ille plena manu, & tu abundanter da, & dimitte: diſpergit ille in pluribus locis ſemen, & tu pluribus tribuas: abſcondit ille ſemen propter aves, & tu abſconde bona propter inanem gloriam: de his enim qui non abſcondunt ſe-
Ier. 12. mina, dicit Propheta, *ſeminaverunt triticum, & ſpinas meſſuerunt*. Non colligit ſtatim ille quod ſeminat, ſed uſque ad meſſem exſpectat, & tu exſpecta uſque in futurum: ille ſecundum quantitatem ſeminis
2. Cor 9. recipit de frugibus, & *qui parcè ſeminat, parcè & metet*, & *qui ſeminat in benedictionibus*, id eſt, largè, largè metet, *unuſquiſque prout deſtinavit in corde ſuo*. Ille pro uno grano ſæpius centum
Gen. 26. recipit, ſicut dicitur, *ſeminavit Iſaac in terra illa, & invenit ipſo anno centuplum*, & tu ſemina
Mat 19. parva quæ habes, *ut centuplum recipias, inſuper vitam æternam poſſideas*. Ille removet ſpinas primò, & tu conſcientiam prius à peccatis emunda, ne bona quæ facis perdas. Ille pluviam vel rorem deſiderat, & tu gratiam affecta; ille propter ventum ſeminare non dimittit, & tu bona facere non dimittas propter verba ſtultorum. Qui, inquit, *ſeminant in lachrymis*: quinque autem noveris eſſe genera lachrymarum. Primæ ſunt lachrymæ pro ſtultitia ſuæ culpæ, & hę animam lavant à macula peccati; ſecundæ pro timore gehennæ, hæ animam ab ardore concupiſcentiæ refrigerant; tertiæ pro incolatu pręſentis miſeriæ, hæ animam eſurientem potant; quartę pro deſiderio patriæ, hę ſterilem animam fœcundant; quintæ pro miſerijs proximorum, hæ animam impinguant, & charitatis pinguedinem exterius demonſtrant: Hæ ſunt Ioã. 5.
quinque portus probaticæ piſcinę Ieruſalem, ubi hoſtiæ lavabantur. Habent autem hæ lachrymę varios effectus, quos breviter inſinuat Iſidorus; magna inquit virtus lachrymæ,

Digitized by Google

mæ, eodem momento Deum flectit, oculos rigat, cor abluit, & gehennæ ignem extinguit. Qui igitur ſic *ſeminant in lachrymis*, in gaudio *metent*, quia illud plorare, ſeminare eſt; fructus verò hujus ſeminis lætitia eſt cœleſtis; & quia in hoc plorationis ſemine non deficiunt, quamdiu hìc temporaliter vivunt, (qui enim defecerit in ſemine, non gaudebit in meſſe,) rectè adjungitur.

verſ. 6. *Euntes ibant & flebant, mittentes ſemina ſua.*

Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos ſuos. Quid eſt ire, niſi proficere? *euntes* autem vadunt, qui quotidiè proficiendo creſcunt: magnus quidem fructus eſt animæ lachrymas fundere, nam Deo non accedimus paſſibus corporis, ſed contritione cordis, & quot ante cœleſtem Dominum lachrymas fundimus, quaſi tot ſpiritualia ſemina mittimus; quia ergò ſemina noſtra ſunt lachrymæ, quia ſemina noſtra ſunt bona opera, debemus inceſſanter quamdiu vivimus ſeminare, quia ad hoc tantum in hoc ſeculo vivimus, ut interim laborando in bonis operibus ſeminemus, quatenus poſtmodum *venientes* in *exultatione manipulos* colligamus, hoc eſt, fructum æternum recipiamus, Amen.

CANTICVM GRADVVM.

PSALMVS CXXVI.

verſ. 1. *NIſi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt, qui ædificant eam.*

Niſi Dominus cuſtodierit civitatem, fruſtra vigilat qui cuſtodit eam. Cum reverſi eſſent Iudæi ex captivitate, templumq; & civi-

& civitatem rurſum ædificare cępiſſent, prohibebantur à vicinis gentibus, & multum quidem temporis fuit, annorum ferè quadraginta, quo & Iudęi ædificare, & gentes modis omnibus impedire eos nitebantur: ſed ſpiritualiter per hunc octavum gradum, intelligimus lætitiam de ſpirituali ædificatione; in ædificatione itaque hujus domus, concurrunt omnes virtutes & dona. Fundamentum quod primò ponitur, eſt fides, quæ eſt prima virtutum: fundamentum
Heb. 11. non videtur, & fides eſt eorum quæ non videntur, ſive per fidem Chriſtus eſt fundamentũ,
Eph. 3. qui per fidem *habitat in cordibus*
Ibid. 2. *noſtris*, qui & *lapis angularis* di-
Iſaię 26. citur, & *murus & antemurale*, &
Ioã. 10. janua, & *oſtium*. Hæc eſt firma
Mat 7. petra, de qua dicitur, *deſcendit pluvia, flaverunt venti, &c.* Hoc fundamentum fit ex duode-
Ioſ. 4. cim lapidibus, quos filij Iſräel acceperunt in Iordane, de quibus fecerunt altare Domino.

Duodecim lapides fundamenti, id eſt, fidei, duodecim partes Symboli Apoſtolici ſunt: ſuper fundamentum hoc quatuor eriguntur parietes, qui ſunt quatuor virtutes cardinales, quæ nihil valent ſine fide. Prudentia in anteriori ponitur parte, quę futura prævidet. Iuſtitia in parte poſteriori, quæ præterita corrigit. Temperantia à dextris, ne proſperis effluamus. Fortitudo à ſiniſtris, ne adverſis dejiciamur. Paries anterior continuatur duobus lateribus, & econverſo, quia prudentia debet eſſe temperans & fortis, & temperantia & fortitudo prudentes: Similiter paries poſterior utrique lateri conjungitur, quia juſtitia fortis eſt & temperans, & econverſo temperantia & fortitudo juſta. Item anterior & poſterior paries ſe mutuò reſpiciunt; nam prudentia juſta, & juſtitia prudens eſt, ſi enim non eſſet iſta connexio virtutum, ędificium corrueret: unde

Hieronimus ſuper illum locum, *venter meus ad Möab quaſi cythara ſonabit*, qui habet inquit unam, habet omnes. Super iſtos parietes ponitur ſpes, quæ eſt certa exſpectatio futurorum bonorum, ex gratia Dei & meritis proprijs proveniens. Tigna & laquearia quaſi ex ſpe procedentia, ſunt diverſę affectiones conſolationum, quæ firmiter mentis domum tenent & conſolidant. Tectum domus eſt charitas, quæ omnia tegit, quia ut Sapiens ait, *univerſa delicta operit charitas*; tectum eſt eminentior pars domus, & charitas major eſt inter virtutes. Et quoniam domus hæc bellicoſa eſt, eo quod *militia ſit vita hominis ſuper terram*, habet hoc tectum, id eſt, charitas, undequaque propugnacula, quæ ſunt ſedecim partes charitatis, de quibus Apoſtolus, *charitas patiens eſt, &c.* Feneſtra in hac domo non ſit lignea, quæ non poteſt ſuſcipere in ſe ſolarem radiũ; ſic nec carnalis anima poteſt ſuſcipere Chriſtum: lignum enim eſt *corpus quod corrumpitur, & aggravat animam*; ſed ſit feneſtra vitrea, quæ ſicut in ſe ſuſcipit radium ſolis, & ipſe radius eam intrat & penetrat, ſic anima ſpiritualis ſordibus vitiorum purificata, & ſole virtutum clarificata, Chriſtum in ſe ſuſcipit. In myſtica enim ſignificatione vitreæ feneſtræ lignum eſt corpus, vitrum ſpiritus, laminę ſingulę, ſinguli ſenſus animæ, quorum alij diſponuntur ſurſum, per contemplationem Dei, alij deorſum, per curam ſui, alij dextrorſum, per dilectionem amicorũ, alij ſiniſtrorſum, per dilectionem inimicorum, alij in circuitu, per circumſpectionẽ morum: Puritas vitri, ſunt virtutes nobis datæ per naturam, colores ſuperadditi, ſunt virtutes nobis collatæ per gratiam.

Isaię 16. · Prov 10. · Iob. 7. · 1. Cor. 13. · Sap. 9.

Sunt & alię quoque in templo ſpirituali fidelis animæ, ſeptem feneſtræ, ſeptem ſcilicet

cet dona Spiritus: per feneſtrã ſiquidem timoris, intrat lumẽ confeſſionis; per feneſtram pietatis, lumen condeſcenſionis; per feneſtram ſcientię, lumẽ circumſpectionis; per feneſtram fortitudinis, exemplum bonę operationis; per feneſtram conſilij, radius deliberationis; per feneſtram intellectus, lumen diſcretionis; per feneſtram ſapientiæ, lux ędificationis. Columnæ ſeptem quę domum ſuſtentant, & quibus tota fabrica innititur, ſeptem ſunt dona, de quibus Sapiens, *Sapientia ædificavit ſibi domum, excidit columnas ſeptem*, quę ſunt (teſte Bernardo,) bona voluntas, memoria beneficiorum Dei, cor mundum, animus liber, ſpiritus rectus, mens devota, ratio illuminata.

Prov. 9.

Prima columna eſt bona voluntas, quę prior erigatur, quia inter omnia dona Dei quæ ad ſalutem hominis ſpectare videntur, primum & principale bonum, cognoſcitur eſſe bona voluntas, per quam imago ſimilitudinis Dei in nobis reparatur ait Bernardus: primum eſt, quia à bona voluntate omne bonum inchöatur, quidquid homo facit, bonum eſſe non poteſt, niſi ex bona voluntate procedat; ſine bona voluntate nullus omnino ſalvari poteſt, cum bona voluntate nemo perire poteſt. Voluntas hominis eſt, ſed poteſtas Dei, voluntas inquam hominis eſt, quia velle in voluntate hominis eſt, & ideo totum meritum in voluntate eſt, quantum vis tantum mereris, quantum creſcit voluntas tua bona, tantum creſcit meritum tuum, & cum deeſt operandi facultas, ſufficit bona voluntas.

Secunda columna, memoria eſt, quę erigi debet, ut recordemur miſericordiarum Dei, quatenus ſic accendamur ad ejus amorem; Revocemus in memoriam bona quæ tribuit nobis, quam in periculis ſæpè

Digitized by Google

conſtitutos clementer nos eripuit, nec umquam peccatis noſtris quo minus miſereretur, vinci potuit, oblitos ſui, de ſe admonuit, averſos à ſe revocavit, venientes ad ſe, benignè ſuſcepit, pœnitentibus indulſit, perſeverantes cuſtodivit, ſtantes tenuit, lapſos erexit, malas delectationes in amaritudinem convertit, & rurſus ſalubriter amaricatis, conſolationes ſuas tribuit. Poſtremò tribulatione purgatis, quietem & pacem perfectam reſtituit, qui nec peccantibus umquam defuit ut corrigeret, nec juſtis ut cuſtodiret. Recogitemus quanta bona Deus fecit nobis non rogantibus neque deſiderantibus, imò recuſantibus; & quam multa peccata dimiſit nobis, & à quantis periculis liberavit nos, liberator Deus. Idcircò ſicut nullum eſt momentum, in quo non utamur & fruamur Dei pietate & miſericordia, ita nullum momẽtum eſſe debet, in quo illum non habeamus præſentem in memoria.

Tertia columna eſt cor mundum, ſequitur enim, ut eum à quo tanta beneficia accepimus, toto corde diligamus, hoc eſt, tota cogitatione, tota affectione, ſine defectione: ſit cor mundum, & totius immunditiæ ſpurcitias reſpuens cogitationum, ſicut actionum ita & cogitationum peccata deploret, compungatur pro malis quæ commiſit, & bonis quæ neglexit; ſit cor rectum, ut ei per omnia placeat Deus, ſit rectum rectitudine intentionis, excluſione perverſæ cogitationis, aſſiduitate cõtemplationis; ſit paratum ſequi voluntatem Dei, in quamcumque partem inclinari illam cognoverit, ſit dulce, dulci reſponſione, ſuavi admonitione, benigna reprehenſione, moderata correctione.

Quarta columna eſt animus liber: ſit inquam liber à mundi ſolicitudinibus, à carnis

Digitized by Google

carnis voluptatibus, à pravis cogitationibus, ut poſſit cum voluerit aut ſibi intendere, aut utilitati fratrum miniſtrare, aut in contemplatione cœleſtium requieſcere, ſit firmus ut nulla repentina perturbatione concutiatur, non capiatur illecebris, non frangatur adverſis, nulla ira, nulla impatientia, pacem quietemque pectoris turbare poſſit: quoniam Chriſtus pax eſt, & in pace requieſcit pacis amator, & in perturbato animo habitare nō poteſt; ſit conſummatus in Dei dilectione, hoc eſt enim diligere Deum, illi occupare animum, concipere fruendæ viſionis ejus affectum, habere peccati odium, mundi contemptum, diligere proximum, quem ipſe ſenſuit diligendū.

Quinta columna eſt ſpiritus rectus, ſit inquam rectus ab omnibus terrenis & præſentibus averſus, pia devotione aſcendat & viſitet ſupernas ſedes, & multas quæ in domo Patris ſunt manſiones. Ioã. 14.

Sexta columna eſt mens devota, quę in amore Dei jugiter delectatur, frequenter exceſſus mentis patitur, & dum pulchritudinem Dei conſiderat, attonita tota in ejus admiratione ſuſpenditur, rapitur autem, dum ſola cœleſtia contemplatur, & contemplando jucundatur, & agnitione ſuavitatis illecta, guſtat dulcedinem, & illam cœleſtem infuſionem lætitiæ ſpiritualis intra ſemetipſam miratur, quia rediens ad ſe, nulli intimare poteſt quod vidit ſupra ſe.

Septima columna eſt ratio illuminata, quæ quidem ratio per mentis exceſſum in contemplationem ſublimium ſublevata, & in divinę contemplationis arcanum rapta, atque ibi illuminata, ad cognitionem veritatis & veri luminis, ad deſiderium bonitatis inflammata, omnes illicitas voluptates, affectiones & vagas memoriæ cogitationes, cordis

cordis diſperſiones, animi fluctuationes, ſpiritus evagationes, in unũ colligit, atq; in illo fœlicitatis fonte, totum deſiderium ſuum figit: ratio ergò locum ſuperiorem ſemper obtineat, nulluſq; motus adverſus eam ſit rebellis, ſed omnia ei obtemperent, ſicut ipſa obtẽperat Deo. Si verò aliquẽ motum ad id ad quod non debet, vel modo quo nõ debet, moveri ſenſerit, non conſentiat, ſed illicò reſiſtat; nam ſolus conſenſus reos nos facit, etiamſi aliquid impediat ne opera ſubſequantur: tunc enim anima mori dicitur, cum ipſa anima ad peccatum per conſenſum curvatur. Reſiſtat ergò ne moriatur, pugnet ut coronetur, moleſta eſt lucta, ſed fructuoſa; quia ſi habet pœnam, habebit & coronam: non nocet ſenſus, ubi non eſt conſenſus, imo quod reſiſtentem fatigat, vincentem coronat: Et hæc de ſeptem columnis domus.

Porrò pavimentum eſt humilitas, ſeu humilis concordia morum, quæ in ſpirituali fraternitate, ſub magiſterij regula ſe calcandam proſternit: hoc pavimentum intrinſecus & extrinſecus auro tegitur; interius, intentionis puritate, exterius, bonorum operum ſplendidiſſima claritate. Si igitur ædificare velis templum ſpirituale, id eſt, cor tuum ad Deum converſum; locus ędificij erit mons in Ieruſalem, id eſt, pacifica mens, & bona conſcientia; materia ſit ligna & lapides, id eſt, diverſę vritutes, artifex intellectus, rationabiliter cuncta diſcernens; menſura longitudinis, ſit perſeverantia boni operis, in peregrinatione hujus exilij, menſura latitudinis, ſit largitas vel latitudo beneficij, menſura altitudinis, ſpes deſiderij. Hæc domus Dei ſpiritualis initiatur timore, roboratur patientia, dilatatur longanimitate, mundatur confeſſione priorum delictorum, ornatur obſervatione regularium

Digitized by Google

rium inſtitutionum, præparatur ſancto deſiderio, & ſanctificatur ferventi Dei dilectione. Hæc de ſpiritualis domus ædificatione ſufficiant.

Cæterum, *niſi Dominus* hanc *domum ędificaverit, in vanum laboraverunt qui ædificant eam*; nã abſque auxilio divinę gratiæ, operari non poſſumus. Pro cujus explanatione notandũ eſt, auxilium divinæ gratiæ, trifariã conſiderari poſſe, ſicut & opera noſtra trifariam conſiderantur, hoc eſt, ut ſunt naturalia, ut ſunt moralia, ut ſunt ſupernaturalia. Primò igitur Deus adjuvat generaliter, cum tamquam motor primus omne creatum movet, ut in finem ſuum tendat, & ad illum perveniat. Secundò ſpecialiter, ut rationalem creaturam, & liberam liberis motionibus, ſpecialiter ad hoc, ut ſecundum rationis rectitudinem operetur, ſemper excitat; & hoc agit tam naturali (quę ſpecifica eſt) inclinatione, quam mille alijs modis, qui ſoli rationali creaturæ conveniunt. Tertiò ſingulariter & ſupernaturaliter, & eſt donum gratiæ gratum facientis, quo filij Dei, membra corporis Chriſti efficimur, atque ita grati Deo effecti, ut jam noſtra opera infinito æternæ glorię præmio condigna ſint. Abſque primo igitur auxilio, nihil agere poſſumus, neque etiam ea opera, quę merè naturalia ſunt; ſed neque reſpirare, neque vivere, neque eſſe. Moraliter autem, non niſi cum ſecundæ rationis auxilio operari poſſumus. Gratuitè verò, niſi gratia gratum faciens id præſtiterit, nullus poterit operari: neque enim Adam ipſe in ſtatu primo (ſi abſque hoc dono eſſe potuiſſet,) opus Deo gratum, & cœleſti gloria condignum, operatus fuiſſet; hinc meritò additur.

Vanum eſt vobis ante lucem verſ. 2.
ſurgere: ſurgite poſtquam ſederitis, qui manducatis panem doloris.

 Nihil

Digitized by Google

juxta radicum quantitatem, ra-
mi prodire noſcuntur, & quot
radicibus arbor innititur, tot
ramis (ut aiunt) decoratur.
Nam,
Cum dederit dilectis ſuis ſom-
verſ. 3. *num:* * *ecce hæreditas Domini, fi-*
lij; merces, fructus ventris. Cum
Sancti ab hoc ſæculo accepto
quietis ſomno diſceſſerint,
tunc fient *hæreditas Domini*;
quia jam non ſubjacent tenta-
tioni, ſed corpus diſſolvet mor-
talitas, aut abſolvet immorta-
litas: & tempus abſorbebit
æternitas, & ſpiritum qui nec
gravatur corpore, nec mutatur
tempore, ſublevabit ad ſe, &
firmabit in ſe, immortalis &
immutabilis divinitas. Sed &
ipſe Dominus Ieſus factus eſt
fructus ventris, cujus aſſumpta
humanitas accepit hanc mer-
cedem, ut gentes vocatę ſint
in filijs, *hæreditas* ejus: *dedit* in- Ioã. 1.
quit *eis poteſtatem filios Dei fieri,*
ijs qui credunt in nomine ejus.
Sicut ſagittę in manu potentis; verſ. 4.
ita filij excuſſorum. Quemadmo-
dum inquit ſagittæ quæ in ma-
nu alicujus potentis ſunt, ob
illius vires ac fortitudinem
terribiliores eſſe videntur, ta-
les etiam ſunt ſpirituales fi-
delium Doctorum filij, qui à
dæmonum captivitate excuſſi
ſunt, ipſis ſcilicet dęmonibus
terribiles & tremendi.
Beatus vir qui implevit deſi- verſ. 5.
derium ſuum ex ipſis: non confun-
detur cum loquetur inimicis ſuis
in porta. Iſte qui de *filijs excuſſo-*
rum fixus in Deo eſt, *non con-*
fundetur in die judicij, cum
exprobraverit inimicis Le-
gis Dei inobedientiam, & per-
verſitatem, vel omnem mali-
tiam ipſorum.

Digitized by Google

CANTICVM GRADVVM.

Psalmvs CXXVII.

Verſ. 1. B*Eati omnes, qui timent Dominum, qui ambulant in viјs ejus.* Nonus gradus aſcenſionis, eſt timor filialis ſeu obedientia: Septem autem noveris eſſe ſpecies timoris. Primus timor eſt naturalis, quo timetur quidquid naturæ nocivum putatur, iſte nec meritorius nec demeritorius eſt; qui omnibus communiter ineſt, etiam Chriſto, quo mortem timuit. Secundus eſt humanus, quo timetur contritio carnis, propter quam delinquitur, & hic timor malus eſt, unde Dominus, *nolite timere eos qui occidunt corpus.* (Mat 10.) Tertius eſt mundanus, quo timetur amiſſio rerum mundi, quæ nimis amantur, propter quas prius peccatur; quam amittantur. Quartus eſt ſervilis, quo tantum pœna timetur, de quo Auguſtinus: regnat (inquit) in eo peccandi voluntas, & ſequeretur opus, ſi ſperaretur impunitas; & hic timor eſt à Spiritu ſancto, ſed non cum Spiritu ſancto, iſte bonus & utilis eſt (teſte Auguſtino,) per quem paulatim fit conſuetudo juſtitiæ. Quintus eſt initialis, quo peccatum dimittitur partim amore juſtitię, partim timore pœnœ, de quo Sapiens: *initium ſapientię timor Domini.* (Eccl. 1.) Sextus eſt timor filialis ſive offenſionis, quo peccatum timetur, ne à ſponſo ſeparemur, vel ne eum offendamus. Septimus denique reverentialis dicitur, quo non jam peccatum timetur, ſed pater in reverentia habetur: ſolus iſte inter omnes erit in patria, reliqui deficient in via. Loquitur autem hic Pſalmus de timore filiali,

liali, qui aſcendentẽ beatum facit, quia aufert ſecuritatem noxiam, & juſtitiam conſervat, & omnia opera hominem vereri facit, donec ſecuritas ſuccedat timori, non timor ſecuritati; ideoque, *ambulat in vijs Domini*, quæ durę videntur carni quę infirma eſt, ſuaves tamẽ & pulchræ ſpiritui, qui promptius eſt; quem conſolatur certitudo ſpei ex fide promittẽtis

verſ. 2. *Labores manuum tuarum quia manducabis: beatus es, & benè tibi erit.* Requiem metetis, qui nunc laborem hujus meſſis ſeminatis, fructus hujus laboris, illa requies erit, requies à labore, merces pro labore, cujus etiam recordatio fidelis, vires reparat in labore, umbra eſt æſtuantibus, cibus eſurientibus. Vnde hujuſmodi homo etiam cum laborat, quieſcit; ſicut ediverſo impius etiam cum quieſcit, laborat. Quomodo enim quieſcerent, quibus Deus immittit rotam malorum;

Pſal. 94. *quibus juravit in ira ſua, non introïbunt in requiem meam?* Extra illam non eſt niſi afflictio & miſeria, & *in circuitu ejus tempeſtas valida:* Pſal. 49. ſicut & in natura fit, ut quidquid extra ſimplicitatem & unitatem puncti fuerit, in motu & agitatione ſit: tantoq; concitatiore quilibet circulus impetu rotetur, quanto ab immobilitate principij ſui, id eſt, à medietate centri, receſſerit longius. Sanè *in circuitu* Pſal. 11. *impij ambulant*, qui in multiplicitate actionum ſuarum requiem quærunt, ſed non inveniunt. Pulchrè enim vindicat in peccatores juſtitia divina, res ipſas quas quærunt & amant, convertens in tormenta, & vitia faciens eſſe ſupplicia: ſic pecunia, quæ juſtum amplius juſtificat, & verius ditat, diſpenſata vel ſemel data; avarum cruciat ſervata, prodigum polluit profligata. Fœlix ergò es, qui in omnibus laboribus tuis requiem quæris beatam: ſemper feſtinans ingredi, ejus deſiderio corpus affligens, ani-

Digitized by Google

mum autem jam illi requiei parans & componens; *quia beatus es & benè tibi erit:* hoc eſt, in utroque vitæ ſtatu, licet non æquo gradu, fœlix eris & beatus: quia à timore hoc ſancto omnis mortalium omnium fœlicitas, ac beatitudo, hoc eſt, tranquilla perturbationũ appetentiarumque ſedatio, emanat, pignus ſcilicet atque arrhabo futuræ vitæ, quæ ſanè
Col. 3. *abſcondita eſt* ait Paulus *in Christo Ieſu*; quo adepto, anima veluti in fine proprio conquieſcit omninò, neque aliud quidquam ultra quærere aut vult, aut poteſt.

verſ. 3. *Vxor tua ſicut vitis abundans, in lateribus domus tuæ.* Vxor (juxta Salomonem,) ſapientia accipitur, quæ in animæ emundatæ domo tamquam ſpatioſa vitis adducta, in lateribus operum noſtrorum extenditur. Sed quemadmodum vitis, quæ natura ſua caduca eſt, niſi alieno adminiculo fulta ſit; ad terram fertur, atque proindè ſterilibus malleolis, ſarmentiſque luxurians ſylveſcit facilè, ac per omnes partes nimium ſui prodiga, funditur. Ita & hujus effigiem rerum divinarum cognitionem, (quam ſapientiam appellamus,) ſecũ ferre arbitror: quæ niſi à timore, veluti ab ulmo vitis, aut fraxino, ſubfulciatur, in aridos ſæpè pampinos levitatis, atque arrogantiæ deſinit. Huic verò nixa atque appoſita, fit ſicut uxor uberrima conjuncta viro, aut ſicut vitis arbori innixa.

Filij tui ſicut novellæ olivarum, in circuitu menſæ tuæ. Actus boni in circuitu doctrinæ cœleſtis aſſiſtentes cum pinguedine pacis & obumbratione virtutis.

Ecce ſic benedicetur homo, qui timet Dominum. Non eſt hæc verſ. 4.
ſola merces eorum qui timent Deum, frui bonis illis temporalibus, quæ hìc ſecundum literam intelligere poſſumus, ſcilicet uxore fœcunda, filijs copioſis, rei domeſticæ proſperitate:

Digitized by Google

ſperitate: quia hæc ex ſuperabundantia ſunt, & inſtar cujuſdam additamenti: principalia autem ſunt, primum quidem hoc ipſum, Deum timere, quod in ſeipſo continet remunerationem; deinde arcana illa quæ *oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcenderunt.* Qui hoc timore (ait Auguſtinus) Deum timet, nihil timet, & qui Deum non ſic timet, omnia timet: hinc Sapiens ait, *qui timet Dominum nihil trepidabit, & non pavebit quoniam ipſe eſt ſpes ejus.* Vbi & undecim effectus hujus timoris notabiles valdè & utiles enumerat, dicens. *Oculi Domini ſuper timentes eum, protector potentiæ, firmamentum virtutis, tegimen ardoris, & umbraculum meridiani, deprecatio offenſionis, & adjutorium caſus, exaltans animã, & illuminans oculos, dans ſanitatem, & vitam, & benedictionem.* Conſequenter Pſalmiſta ex pietate poſtulat benedicere Dominum timentes, & optat eis bona, quę non ſunt malis communia, dicens.

1. Cor. 2.

Ecc. 34.

Ibid.

Benedicat te Dominus ex Syon: & videas bona Hieruſalem omnibus diebus vitæ tuæ. Id eſt, benedicat te, qui regnat in Eccleſia, quæ rectè Syon nominatur, propter loci ſitum, & diſpoſitionem, & nominis interpretationem. Sicut autẽ mons ille ad literam in altum elevatur, & muro cum turribus à rege David cinctus erat & munitus; ita Dei Eccleſia, (cujus converſatio in cœlis eſt,) præminentia ſanctę vitę in ſublime attollitur, & cuſtodia tam angelorum quam pręlatorum, velut turribus & propugnaculis munitur. Syon interpretatur ſpeculum; unde Eccleſia dicitur Syon, eo quod videat nunc in *ſpeculo & in enigmate,* imaginẽ ſcilicet veritatis, quæ poſtea viſura eſt *facie ad faciem,* imaginis veritatem. Habet autem divinam Scripturam pro ſpeculo, in qua *conſiderat* (ut ait Iacobus) *vultum nativitatis ſuę.*

vers. 5.

1. Cor 13.

Iac. 1.

Habet

Habet prętereа ſpeculum crucifixi, in quo reſpiciat velut in
Num. 21. ſerpentem ęneum, contra omnes morſus ſerpentum. Sed nunc benedictionem audiamus. *Et videas bona Hieruſalem omnibus diebus vitæ tuæ.*

verſ. 6. *Et videas filios filiorum tuorum, pacem ſuper Iſraël.* Non hic agit de terreſtri Ieruſalem, cujus inſtabilis opulentia, mutabilis excellentia, falſa & miſerabilis gloria: ſed de Ieruſalem cœleſti, cujus ſecura manſio eſt, continens omne
Oſee 14. quod delectat, & *quaſi oliva gloria ejus:* oliva enim indeficienter, tam in hyeme quam in æſtate, ſemper vireſcit, & ideo indefectibilem & æternam iſtius glorię permanentiam deſignat, quę ex diuturnitate non deficiet, ſed magis innovabitur. De hac gloria ſic dicit Chryſoſtomus: quæ erit gloria, quę lætitia eſſe cum Chriſto? cum anima ad generoſitatem propriam regreſſa, cum fiducia Dominum ſuum cœperit videre? quando jam videbis *filios filiorum tuorum, pacem ſuper Iſraël,* id eſt, retributionem bonorum operum tuorum, quę ſunt excreſcentia in perpetuam pacem, *ſicut novellę olivarum* creſcunt in perfectam olivam, per quam pax deſignatur, *& pax Chriſti quæ exuperat omnem ſenſum* te totum in illius ſummæ & ſimplicis veritatis abſorbebit conſenſum, & poſt pręſentis incolatum miſeriæ, ab ubertate illius Ieruſalem fælíciciter inebriaberis, & videns Regem in decore ſuo, affiues in ſtupenda divinitatis cognitione, miraberis in tui ipſius delitioſa conſideratione, dilataberis in omnium creaturarum perfecta ſpeculatione. Phil. 4.

CAN-

CANTICVM GRADVVM.

Psalmus CXXVIII.

vers. 1. *SÆpè expugnaverunt me à juventute mea; dicat nunc Iſraël.*

vers. 2. *Sæpè expugnaverunt me à juventute mea: etenim non potuerunt mihi.* Decimus gradus ſpiritualis aſcenſus, eſt patientia in adverſis, quę convenienter ponitur poſt timorem, quia metuentem Deum, omnia oportet æquanimiter tolerare propter juſtitiam: ait ergò, *Sæpè expugnaverunt me à juventute mea*, id eſt, à principio converſionis meæ: unde Pharäo contemptus, ſtatim ſurgit in ſcandala, & Ægyptij filios Iſraël ſtatim poſt exitum de Ægypto perſecuti ſunt, & ad confirmationem aſſertionis repetit *ſæpè expugnaverunt me*, quia continua inquietudo ex tentationibus intumeſcit, obſiſtens propoſito in cœlum tendentis, & non eſt quo ſe teneat verſum, ubi ſibi non inveniat adverſum. Suppoſito enim quod Ieſus ſit Chriſtus verus & naturalis, Eccleſia verò tota ſit Chriſtus myſticus, adeo quod tota Eccleſia complicatur in Ieſu, Ieſus verò totus in tota Eccleſia explicatur, ita voluit divina providentia, ut corpus Chriſti myſticum eandem ferat paſſionem & crucem, quã caput ejus Chriſtus pertulit, ut Chriſtus non ſolum in ſe capite, ſed in membris quoque ſuis patiatur, proportionatè tamen, juxta diſtributionem divinæ diſpenſationis, dividentis cuique prout vult. Hoc autem divinæ providentiæ myſterium docet Paulus, di-
cens: *Ego Paulus, qui nunc gau-* Col. 1.
deo in paſſionibus pro vobis, & adimpleo ea, quæ deſunt paſſionum

Chriſti in carne mea pro corpore ejus, quod eſt Eccleſia. Ecce quod dum Paulus portionem ſuam paſſionum in carne ſua ſuſtinet, adimplet menſuram paſſionum corporis Chriſti, & ita paſſiones quæ deſunt ad complendam omnem menſuram paſſionum totius Eccleſiæ, quę eſt corpus Chriſti, pro ſua rata portione complet. Hoc itaque in Chriſtiana religione præcipuum eſt, ut benefacientes puniamur; ita Auguſtinus, Chriſtiani vita eſt benefacere, & mala pati; rationem autem tam crebrę impugnationis reddit dicens, *etenim non potuerunt mihi:* omnis enim malorum intentio contra bonos, hæc eſt, ut eos ſimiles ſui faciant, & in conſenſum iniquitatis ſuæ à fide ac probitate traducant; & cum ad effectum non perveniunt, tentationes continuant ut ſaltem tędio vincant. Sed tunc Deus melius à tentatione liberat, cum in ea patientiam donat: unde etiam ſubditur.

Supra dorſum meum fabricaverunt peccatores: prolongaverunt iniquitatem ſuam. Fœlix ſic, ſupra dorſum meum araverunt arantes, prolongaverunt ſulcum ſuum: illa enim dictio, *iniquitates,* hebræis eſt jugera, ſive ſulcum. Sapientia autem patiens, & patientia ſapiens, dorſum eſt juſti ſive Eccleſiæ, ſupra quod fabricant peccatores, ſapientia patiens contra verberum impugnationem, patientia ſapiens contra verborum inſultus, ſed, verſ. 3.

Dominus juſtus concidit cervices peccatorum: * *confundantur & convertantur retrorſum omnes, qui oderunt Syon. Dominus juſtus* qui ultra poſſibilitatem noſtrã tentari nos non permittit, *concidet* gladio oris ſui, *cervices,* id eſt, ſuperbiam peccatorum, quæ ex ipſa ultionis ſpecie hîc rectè deſignatur, cum Dominus non manus peccatorum, ſed cervices conciſurus denuntiatur: & ex oppoſito intellige, verſ. 4. verſ. 5.

tellige, quod remunerabit humilitatem meam. Pro cervicibus in hebręo habet vincula vel cathenas; ut ſit ſenſus. Illi quidem me ſuis inſidijs hinc inde vallarunt, ſed auxiliante Domino omnes nexus ſoluti ſunt: quia ergò perijt ſpes eorum qui bellum ex odio & invidia ſuſcepere, non ſolum victi, ſed turpiter & ridiculosè erubeſcant, & in fugam vertantur, vel ſi à pravitate converti noluerint, *confundantur* ſera confuſione tamquam victi à Deo, *& convertantur retrorſum*, id eſt, cadant, deficiant, & repellantur à Deo, *omnes qui oderunt Syon*, id eſt, Eccleſiam futura ſpeculantem. Optantis hæc verba ſunt, tametſi, ut ex græca lectione manifeſtè dignoſcitur, imperantis modum habeant, vel Prophetico more imperativo modo uſus eſt pro futuro, ac ſi diceret: confundentur & convertentur: quam loquendi figuram in ſequentibus etiam obſervabis.

Fiant ſicut fœnum tectorum: quod priuſquam evellatur, exaruit. verſ. 6.
Ex Paleſtinę tectis hanc deſumptam eſſe metaphoram arbitror, è quorum rimulis ac fiſſuris, cum plana ſint, gramẽ aliquod erumpere conſuevit, quod tamen cum humore illo careat, qui herbarum radices alere per ſe poſſit, diuturnum neutiquam eſt. Comparat ergò ſuperbos non tantum fœno, ſed fœno quod eſt ſupra domos, quamquam id quoque quod eſt in campis celeriter diffluit; eos tamen comparat fœno tectorum: ut utrimque oſtendat quam ſint fragiles & caduci, nempè ex loci & fœni natura. Tales inquit ſunt inſultus adverſariorum, qui cũ pingui humo, humoreque vivido ſpiritus & amico, ſint deſtituti, è fiſſuris latibuliſque petrarum, ipſis petris aridiores emergentes, facilè (ut ait Auguſtinus) exſiccãtur. Quamvis enim *omnis homo fœnum ſit*, Iſaię 40. quia per nativitatem viret in Aug.

 carne,

carne, per juventutem candeſ-
cit in flore, per mortem aret
Pſal. in pulvere, impij tamen *non di-*
54. *midiabunt dies ſuos*, in quibus
tamquam arido gramine non
modo nullum granum boni-
tatis invenitur, verum etiam
antequam ad incrementum a-
liquod veniat, exſiccatur.

verſ. *De quo non implebit manum*
7. *ſuam qui metit, & ſinum ſuum qui*
manipulos colligit. Ijdem ſunt
qui metunt, & qui manipulos
colligunt, ſcilicet ſancti Ange-
li, qui quotidiè abducunt fide-
les ab hac vita in regnum cœ-
lorum, qui ab arido illo grami-
ne neque operationes, quę per
manus hic dici puto, neque
cogitationes, quę per ſinum,
quæ bonitatem referant, col-
ligere poterunt, ut dominicis
horreis inferantur, quia igni
deputabitur, quicquid carebit
ſubſtantia charitatis.

verſ. *Et non dixerunt qui pręteri-*
8. *bant: benedictio Domini ſuper vos:*
Non eos benedixerunt Sancti
Dei, qui pro nihilo habentes
hunc mundum, pertranſierunt
ad cœleſtia & æterna; cui e-
nim impiorum aliquando eſt
dictum, benedictio Domini
ſuper caput tuum? nonne iſtud
magis, *benedictio Domini ſuper* Prov.
caput juſti? unde conſequenter 10.
adjungit: *benediximus vobis in*
nomine Domini. Benediximus vo-
bis, non ſicut Eſau *in pinguedine* Gen.
terræ, & in rore cœli, ſed in pin- 27.
guedine Spiritus, & in Aucto-
re cœli, qui per Prophetam
loquitur, *ero quaſi ros*; & cui Oſeę.
dicitur, *ros lucis, ros tuus*. In 14. Iſaię
Chriſto utique benedictio Pa- 26.
tris, cui Pater imprecatus eſt,
qui benedixerit tibi, benedictioni- Gen.
bus repleatur: ut relictis infru- 27.
ctuoſis aridiſque operibus, ea
ſeratis quæ & meſſoris manū,
& colligentis manipulos, im-
pleant ſinum.

CAN-

Digitized by Google

CANTICVM GRADVVM.

Psalmvs CXXIX.

Verſ. 1. Verſ. 2. DE profundis clamavi ad te Domine: * Domine exaudi vocem meam. Vndecimus gradus ſpiritualis aſcenſus, eſt pœnitentialis ſupplicatio ad Deum. Volens igitur pœnitens hunc aſcendere gradum, ſuam conſiderans infirmitatem, & miſeriæ profunditatem in qua eſt, clamet ad Dominum, qui ſolus potens eſt liberare. Eſt autem multiplex profundum unde clamare debet: profundum videlicet malitię & perfidiæ, ignorantiæ & miſeriæ, de his clamandum ad Dominum ut liberet. Item profundum cordis & humilitatis, de quibus clamandum ut exaudiat. Item eſt profundum gehennę à quo non eſt clamandum, quia in inferno nulla redemptio. Eſt & profundum divinę juſtitiæ & clementiæ, à quo clamandum eſt; nullum quippè peccatorem revertentem deſpicit, qui peccatores redimere venit. Clamor autem ille ad Dominum non eſt tam ſonus vocis, quam deſiderium cordis; nam cum quolibet verbo orationis, concors eſſe debet ſenſus cogitationis: numquam enim orationis voces ad aures Dei diriguntur, niſi cum ex profundo & intenſo cordis affectu emittuntur. Quia tamen duplici ſubſtantia compacti ſumus, ſpirituali orationi quæ in intrinſeca mentis devotione conſiſtit, extrinſecam quoque corporis humiliationem adhibere prodeſt, ita tamen ut ipſa exterior oratio ad interiorem tamquam ad principale propter quod ipſa fit, referatur ſemper: ut videlicet

Digitized by Google

per humilitatis ſigna, quæ extrinſecus corporaliter exhibemus, ad interiorem animi affectum accendamur, & hoc nobis plurimū convenit, quibus ſemper à ſenſilibus progreſſus eſt ad intelligibilia.

Quod autem additur, *Domine exaudi vocem meam*, & conſequenter, *fiant aures tuę intendentes, in vocem deprecationis meæ*; totum ad unam intentionem reſpicit, ac ſi diceret, ſic audi verba, ſic intellige deſideria, ut probet rei effectus, te intentum eſſe meis orationibus. Non verò hìc carnalem aurem Propheta poſtulat, ſciens Deum incorporeum eſſe, qui non partibus membrorum ſenſus iſtos diſcernit; ſed una virtute cuncta peragit; quę ergò ſunt aures divinitatis, niſi pietas & miſericordia, quibus nos exaudire dignatur? Sed quoniam omnis homo quantumcumque juſtus & patiens, indiget quotidiè divinam implorare miſericordiam, pro quotidianis exceſſibus ſeu malis præteritis; quia nec Deum timens, nec mala patiens, propter Deum dignum ſe ſentit Chriſto vel gratia Dei, quoniam in toto Chriſti corpore nullus eſt ſine peccato, aptè adjungit.

Si iniquitates obſervaveris Domine: Domine quis ſuſtinebit? Si verſ. 3.
delictorum noſtrorum obliviſci nolueris, ſed veluti repoſita apud te ſervare, ad puniendum ea ſecundum quantitatem culpæ, & rigorem juſtitiæ; aut reconciliatis ideo ſis minus ad exauditionem facilis, quis inter mortales (qui ab infantia ſua proni ſunt ad malum,) juſtificari poſſet in conſpectu tuo? Si ergò non eſt caſtum cor, quod pręſumat de ſua juſtitia, præſumat omnium cor de Dei miſericordia, ipſe eſt fons miſericordiarum & abyſſus judiciorum. Quis de hoc fonte bibit & non amavit? quis hanc abyſſum conſideravit & non expavit? nihil tamen

tamen eſt cur judicium expaveſcas, ſi non adverſus miſericordiam inſoleſcas, etſi nemo Deum judicem poſſit ſuſtinere nullus tamen debet de miſericordia deſperare, ſicut ſequitur.

verſ. 4. *Quia apud te propitiatio eſt: & propter Legem tuam ſuſtinui te Domine.* Sic Deus feſtinat abſolvere reum à tormento conſcientiæ, quaſi plus cruciaret miſericordem compaſſio miſeri, quam ipſum miſerum paſſio ſui: nec hoc dicimus quod in natura incommutabili humanos ponamus effectus; miſericordia enim importat duo, unum tamquam eſſentiale, alterum tamquam accidentale. Primum eſt promptitudo voluntatis ad ſubveniendum miſeris, in qua eſt totum virtutis miſericordię eſſentiale; ſecundum verò eſt paſſio triſtitię, quæ oritur in appetitu ſenſitivo, ex cognitione miſerię alterius: eſt ergò miſericordia in Deo ſecundum effectum, non ſecundum paſſionis defectum. Sed nos hac ſimilitudine utimur, ut in amorem illius ſummæ bonitatis affectus noſter dulceſcat, dum ipſam plus nos amare, quam ipſi nos amemus, ex ſimilitudine diſcimus humana. Vel aliter: *Quia apud te propitiatio*, id eſt, tuus unigenitus, immenſiſſima clavorum vulnera coram te denudans, aſtat, ac pro tota ejus plebe propitiatur: Is enim eſt, quem tu clementiſſime Domine, *propitiatorem poſuiſti per fidem in ſanguine ipſius*. Rom. 3. Vnde Bernardus: ſcio quod merita mea mihi non ſufficiunt; ſed ego fidenter quod ex me mihi deeſt, uſurpo mihi ex vulneribus Domini mei, quoniam miſericordiæ affluunt, nec foramina per quæ effluant deſunt: *foderunt enim manus ejus & pedes*, Pſal. 21. latuſq; lanceâ perforaverunt, & per has rimas licet mihi *ſugere mel de petra, oleumque de ſaxo duriſſimo*. Deut. 32. Non ſolum autem *ſuſtinui*, id eſt, remunerationem cum patientia exſpectavi, *quia apud*

apud te propitiatio eſt, etiam *propter Legem tuam* à me ſervatam, id eſt, propter conditionem
Luc. 6. quam nobis propoſuiſti *dimittite & dimittetur vobis*; ſed inſuper,

Suſtinuit anima mea in verbo
verſ. 5. *ejus:* * *Speravit anima mea in Domino. In verbo,* id eſt, in conſideratione promiſſionis ejus, quâ & veniam promiſit pænitentibus, & indulgentiam quęrentibus, & ſempiternam gloriam promerentibus: licet enim Deus ex natura & ſimpliciter nemini quicquam debere poteſt, ex pacto tamen & promiſſo, plura tenetur, & debet, non cuiquam creato, ſed ſuæ voluntati, cujus benignitate cum homine pacta inire dignatus eſt: unde Pſalmiſta,
Pſal. 88. *quæ procedunt de labijs meis non*
Ier. 33. *faciam irrita*; & Propheta, *ſi irritum poteſt fieri pactum meum.* Vel *in verbo tuo*, id eſt, in filio tuo, qui eſt verbum Patris ſibi conſubſtantiale: & quia verbum in divinis procedit, ſicut vivens à vivente, & in identitate naturæ, non ſolum ſpecifica, ſed etiam numerali: & procedit etiam ſecundum rationem ſimilitudinis, quia de ratione verbi eſt, quod ſit perfecta ſimilitudo illius, cujus eſt verbum: ideo verbum in divinis & filius idem ſunt per omnem modum. Ideo Auguſtinus dicit, verbum ſolus filius accipitur, & in eo loco dicitur verbum quo filius: de quo verbo idem ait Auguſtinus, quod ipſa proprietas filij perſonalis, diverſis nominibus ſignificatur, ad exprimendam diverſimodè perfectionem ejus: ut enim oſtendatur patri naturalis, dicitur filius, ut oſtendatur patri per omnia ſimilis, dicitur ſplendor, ut oſtendatur immaterialiter genitus, dicitur verbum; quia ergò in hoc verbo invenitur ſalus, vita & reſurrectio noſtra, Lib. 1. 6. de Trinit. Aug. Lib. 12. de Trinit.

A cuſtodia matutina uſque ad noctem, ſperet Iſraël in Domino. verſ. 6.
Ab illa hora *matutina*, qua in vineam

vineam dominicam eſt locatus *Iſraël*, id eſt, populus videns Deum per fidem formatam, ſpem ſuam in illam defigat horam, quâ denarium mercedis accipiat ab illo, qui ei lumen veritatis illuxit. Vel ut in hebręo habetur, à vigilia matutina, uſque ad vigiliam matutinam, id eſt, ab incipiente hìc illuminatione, perſeverando uſque ad verum matutinum, quod poſt hanc vitam incipiet luceſcere.

vers. 7. Ideo autem ſperet, *Quia apud Dominum miſericordia: & copioſa apud eum redemptio*. Cum ſit proprium Deo miſereri ſemper & parcere, miſericordia quæ eſt ipſe Deus, ineffabilis eſt & infinita, ſicut Deus infinitus eſt & immenſus. Quantus enim Deus eſt, tanta eſt ejus miſericordia, & ſicut Deus immutabilis eſt & invariabilis; ita ejus miſericordia variari non poteſt. Effectus tamen miſericordiæ ejus in creaturis major extitit, poſtquam pro nobis mortuus eſt & reſurrexit; copioſa enim fuit ejus miſericordia, ſicut *copioſa apud eum* fuit *redemptio*. Rara enim fuit gratia, ante tempus gratiæ, & rara miſericordia, reſpectu ejus quæ fuit poſtquam *venit plenitudo temporis*, quia tunc aperuit Dominus cataractas cœli; & copioſam miſericordię pluviam effudit in univerſam terram. Verè apud crucifixum *miſericordia, & copioſa apud eum redemptio:* Gal. 4.

Et ipſe redimet Iſraël, ex omnibus iniquitatibus ejus; ut principis hujus mundi calumnias liber evadere mereatur. Sciat tamen ſciat quicumque eſt ille beatus & verus *Iſraël*, non eſſe hoc ſuæ meritum perfectionis, ſed divinę gratiam redemptionis, non ſcilicet *quia peccatum non fecerit, nec inventus ſit dolus in ore ejus*, ſed quia ille cujus hæc laus propria eſt, Chriſtus ſcilicet, purgavit peccata illius, qui per ſanguinem crucis ſuæ *purgationem peccatorum* vers. 8. 1. Pet. 2. Heb. 1.

Col. 2. *catorum faciens*, ibi maximè triumphavit *principatus & poteſtates, ubi abſcondita erat fortitudo ejus.* Hab 3.

CANTICVM GRADVVM.

PSALMVS CXXX.

verſ. 1. DOmine non eſt exaltatum cor meum: neque elati ſunt oculi mei.

Neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus ſuper me. Duodecimus gradus ſpiritualis aſcenſus, eſt humilitas, quæ omnium virtutum eſt maxima, cum tamen virtutem ſe eſſe neſciat: ab ipſa incipiunt, per ipſam proficiunt, in ipſa conſummuntur, per ipſam conſervantur. Vera autem humilitas (teſte Auguſtino,) eſt ſenſus proprię vacuitatis: unde
Gen. 18. Abraham, *loquar* (inquit) *ad Dominum meum cum ſum pulvis*
1. Cor. 15. *& cinis*; & Paulus, *ego ſum minimus Apoſtolorum, &c.* & Chri-
Pſal. 21. ſtus, *ego ſum vermis & non homo.* Sunt vero econtra qui ſibi nimis placentes, animam ſuam exaltant, propter dona naturæ aut fortunæ ſeipſos deificant, in geſtis & motibus, cunctiſque extrinſecis rebus, ſuperbè cum proximis ſeſe habent, libenterque omnem accipiunt contrarietatem, ut videantur ſapientes: & magnanimitas ſe ſupra modum extollens, eos minaces, inflatos, & inquietos, ac turbidos reddit; & in quaſcumque excellentias dictorum factorumque (neglecta honeſtate) feſtinos. Sed neque interiorem neque exteriorem teſtatus eſt vir ſanctus (qui hunc aſcendit gradum,) ſe habere elationem, qui ait, *Domine non eſt exaltatum, &c.*

Si non humiliter ſentiebam: ſed verſ. 2.
exaltavi animam meam: Duplex hìc notatur humilitas, una quę dicitur

Digitized by Google

dicitur cognitionis, quâ cognoſcimus quod nihil ſumus, & hanc diſcimus à nobis ipſis, & à propria infirmitate: quid enim eſt caro niſi eſca vermium, & ſaccus cinerum? ſi hanc diſcere voluerimus humilitatem, noſtrę conditionis ingreſſum lachrymabilē, converſationis progreſſum culpabilem, diſſolutionis egreſſum horribilem, attendamus, & eorum intuitu apud nos humiliabimur. Cum enim Deus omnia poſſit, ut quid non fecit nos æquales Angelis in gloria? niſi ut ipſa depreſſio noſtra, humiliet nos, ne elevemur ſicut ſeducti & ſeductores Angeli, & corruamus & pereamus. Inde eſt quod cum Deus in Baptiſmo tollat penitus reatum peccati originalis, pœnam tamen corruptionis non tollit in hac vita, ut ſemper maneat nobis memoriale humiliationis; quo cauti ſimus ne ſuperbiamus ſicut primi parentes noſtri, ex quorum ſuperbia & tranſgreſſione omnes corruimus in culpam & pœnam quam portamus, & adhuc deteriora niſi Deus avertat, exſpectamus. Altera humilitas eſt affectionis ſeu cordis, qua calcamus gloriam mundi, & non ſolum nos cognoſcentes, pro vilitate noſtra nos ſpernimus, ſed etiam ab alijs ſperni nos patienter accipimus: imò quia veritatem amamus, & nos privato amore non diligimus contra veritatem, etiam deſideramus ab alijs reputari, quales ipſi nos reputamus; & quales in veritate nos cognoſcimus. Eſt & alia ſublimis humilitas quæ honori cedere noſcit, inſoleſcere gloria oblata non novit; talis fuit humilitas beatę Mariæ virginis, quæ honorata primò ab Angelo, eam officioſiſſimè ſalutante, alias à Patre cœleſti, eam ab æterno in ſpōſam eligente, tertiò à Spiritu ſancto, in ea ſuperveniente, à filio quoque Dei de illa car-

 nem

nem ſumente; denique ab univerſo mundo beatam eam dicente: de ſe tamen humilia Luc. ſentiens, *ancillam* ſe recognovit & appellavit. Hæc etiam eſt humilitas perfectorum, quia quantò majores ſunt, tantò magis ſe humiliant in omnibus; in ſenſu, in affectu, in verbo, in actione, in habitu, ſicut dicit Pſalmus, *Domine non eſt exaltatum, &c.* Si enim humiliatur & ſe deſpicit, qui non habet unde glorietur, ſed multa habet unde confundatur; licet bona ſit iſta humilitas, tamen non eſt miranda, & ſi filius ruſtici, non vult filius regis putari, laudanda eſt in eo ſimpliciter puritas, ſed non prædicanda nec ex hoc miranda humilitas. Si verò dives ſe pauperibus conformat, & altus nihil altum ſapit, & glorioſus nihil de gloria ſibi attribuit, totum illi refundens & integrum reſtituens à quo fluit omne bonum, hic eſt humilis, non cogente neceſſitate, ſed veritatis caritate: humilis quidem eſt corde, ſed excelſus eſt ſenſu; humiliter ſentit in ſæculo, ſed animam exaltat in cœlo. Pergit conſequēter Pſalmiſta, & ſicut ſolemus quando de cauſa benè confidimus, maledicto ſe obſtringit, ſi à ſuperbia ſe non cohibuit.

Sicut ablactatus eſt ſuper matre ſua, ita retributio in anima mea. Talis inquit fuit mea humilitas, qualis infantis qui pendet ab ubere matris. Quēadmodum enim ille adhæret matri, eſt continens, eſt omnis arrogantiç purus, vivit in innocentia ſumma & ſimplicitate; ita ego etiam in Deū me gerebam, ei perpetuò adhærens. Ablactati autem non abs re meminit, ſed volens oſtendere afflictionem, anguſtiam, dolorem & malorū magnitudinem. Quemadmodum ergò puellus, qui nuper ab ubere avulſus eſt, ne ſic quidem à matre recedit, ſed flens, gemens, lugens, ęgrè ferens, & ſe

afflictans,

Digitized by Google

affligans, parenti ſemper adhæret, nec ab ea recedit: ita ego quoque, inquit, cum eſſem in afflictione, anguſtijs, & multis calamitatibus, Deo ſemper adhæſi. Si autem ita non fui, retribuatur (inquit,) ſuper animam meam, ut ſcilicet à Deo ſubtrahatur mihi omnis conſolatio & gratia, & peream. Quæ optatio eſt forma jurandi apud hebræos, & eundem penè modum habet, qui in
1. Scripturis antiquis tam creber
Reg. 14. eſt: *hoc faciat mihi Deus, & hoc addat*. Alij tamen interpretantur hunc verſum, quod Propheta nihil in ſe puerile ſentiens, quia cibum lactis excedens, ad perfectum pervenit virum, illo nunc pane qui de cœlis advenit, ut alatur, exorat.

Speret Iſraël in Domino, ex hoc verſ. 3.
nunc & uſque in ſæculum. Docet ut nullo fine temporum, ſpes noſtra claudatur, ut per ſpem præſentis ævi, bona futuri ſæculi capiamus, Amen.

CANTICVM GRADVVM.

PSALMVS CXXXI.

verſ. 1. *Memento Domine David, & omnis manſuetudinis ejus*. Tertius-decimus gradus aſcenſionum, eſt ędificatio domus interioris, quæ eſt anima ſancta, quæ dum virtutibus adornatur, domus Chriſti efficitur: quæ qualiter ædificari & conſtrui debeat, patuit ſupra ex gradu octavo. Hunc auté Pſalmum Propheta ex populi perſona conſcripſit, ſupplicantis templi conſtructionem exurgere, ſi non propter ſe, ſaltem propter illud ſtudium, quod illorum progenitor, David habuiſſe conſpicitur: qui olim Zelo

Digitized by Google

quodam correptus, cum ar-
cam videret errantis in mo-
rem per campos ſylvaſq; cir-
cumferri,& tandem in Ephra-
tæ locum, id eſt, tribum Iuda,
poſt longam circuitionem de-
ductam; juramento pollicitus
eſt, ne ea quidem quę erant
naturalis neceſſitatis ſecurè de-
ſumpturum,donec *inveniret lo-
cum Domino, tabernaculum Deo
Iacob.*

Optantis ergò populi vox
verſ. 8. illa eſt, *Surge Domine in requiem
tuam, tu & arca ſanctificationis
tuæ:* Alius vertit fortitudinis,
alius potentiæ tuæ, & meritò
arcam ſanctificationis dicit, tam-
quam ſanctificatione plenam;
magnam quoque Deus per eā
potentiam oſtendit ſemel &
bis,& ſępenumero,ut quando
1. Reg. 5. capta eſt ab Azotijs, quando
ſimulachra dejecit, &c. Ideo
autem hujus domus reſtaura-
tionem tam ardenter petit, tū
quia Dominus ſtabilem & ve-
ram promiſſionem fecit Da-
vid,tum quia non homo hunc
locum,ſed Deus ſua ſententia
elegit, tum quia ex eo omni-
bus benedictionibus reple-
bantur.

Myſticè autem hic Pſalmus
de adventu filij voce Prophe-
tica nos edocet; *Memento Do-* verſ. 1.
mine David: Filius omnipoten-
tis Dei aſſumpturus carnem
pro redemptione populi, Da-
vid ſe voluit nuncupari; ejus
ſcilicet nomine, de cujus ge-
nere aſſumpturus erat carnem:
& omnis manſuetudinis ejus; non
contendit neque clamavit,ſed
tamquam agnus manſuetus eſt de- Ier. 11.
ductus ad victimam.

Sicut juravit Domino, votum verſ. 2.
vovit Deo Jacob: Iuramentum
ac votum propter firmitatem
dictionis poſuit,ne nos dubi-
taremus in aliquo. Sed quid
interim voverit, dignum eſt
contueri, pro eo quod eſt *ſicut;*
in hebræo habet *qui*,ut ſit ſen-
ſus, *memento Domino David, &
omnis manſuetudinis ejus: qui ju-
ravit Domino, & votum vovit
Deo Jacob.*

Digitized by Google

vers. 3. *Si introïero in tabernaculum*
domus meę; ſi aſcendero in lectum
ſtrati mei.

vers. 4. *Si dedero ſomnum oculis meis,*
& palpebris meis dormitationem.

vers. 5. *Et requiem temporibus meis, do-*
nec inveniam locum Domino, ta-
bernaculum Deo Jacob. Taber-
naculo domus, cœleſtem ſe-
dem intelligit; in ſtratu verò
lecti, in oculorum ſomno, in
dormitatione palpebrarum,
vel in temporum requie, æter-
nam quietem quæ numquam
abrumpitur, demonſtravit: in
quam ſe non rediturum polli-
cetur, niſi prius in homine di-
gnum Deo Patri locum, vel
Eccleſię congregationem con-
ſtrueret.

vers. 6. *Ecce audivimus eam in Ephra-*
ta: Regio Bethlëem, uſque
hodiè appellatur Ephrata, hu-
jus rei & aliæ ſcripturæ teſtes
ſunt. Ephrata ipſa eſt Bethlëem,
ubi primum Eccleſia eſt audi-
ta, id eſt, in qua Chriſtus Do-
minus carnem aſſumpſit, in
Gen. 35. hac & Rachel Iſräel dilecta,
quieſcit, quæ typum geſſit Ec-
cleſiæ. *Invenimus eam in campis*
ſylvæ, in gentibus, quæ prius
diaboli erant cubilia, nunc
autem campi Dominum inco-
lentes fructiferi.

Introïbimus in tabernaculum vers. 7.
ejus: nos qui de una domo
Eccleſiæ per Dominum ag-
gregamur; *adorabimus in loco u-*
bi ſteterunt pedes ejus: in quo
prędicationes audiuntur, quę
ſuſtentant totum corpus Ec-
cleſiæ.

Surge Domine in requiem tuam, vers. 8.
jam expleſti juramentum, red-
didiſti votum, jam inveniſti
locum Deo, jam produxiſti ex
latere tuo Eccleſiam, *Surge*
nunc ab inferis, revertere in
tabernaculum, non ſolum au-
tem *tu,* ſed *& arca ſanctificatio-*
nis tuæ, corpus ſcilicet aſſum-
ptum, quo divinitas tegeba-
tur, à quo verba vitæ, à quo
panis cœleſtis, à quo via, veri- Ioã. 14.
tas, & vita nobis oſtenſa eſt.

Sacerdotes tui induantur juſti- vers. 9.
tiam: ut à juſtitiæ lorica mu-

niti,

Digitized by Google

niti, non ſaucientur à jaculis inimici: *& ſancti tui exultent* in cœleſtibus bonis.

verſ. 10. *Propter David ſervum tuum; non avertas faciem Chriſti tui.* Propter illum qui ex ſemine David formam ſervilem accepit, non avertatur claritas imaginis tuæ à ſanctis, in quibus Chriſtus inhabitat, ſed illuminet eos.

verſ. 11. *Juravit Dominus David veritatem, & non fruſtrabitur eam:* Deo homini Pater jurat veritatem, quam non evacuat ſed adimplet, dicens, *de fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam.* Nos ſumus fructus ventris ejus, quos ſpiritualiter tamquã ex utero generavit, qui ſi ſequentia cuſtodiamus, ſedebimus ſuper ſedem ejus, & non ſolum nos, ſed etiam filij noſtri: ait enim.

verſ. 12. *Si cuſtodierint filij tui Teſtamentum meum, & teſtimonia mea hæc, quę docebo eos:*

Et filij eorum uſque in ſæculum, ſedebunt ſuper ſedem tuam. Si Teſtamentum ejus cuſtodiamus, *conſedere nos faciet in cœleſtibus,* Eph. 2. ſicut ait Apoſtolus; ſed & ipſi *ſedebunt ſuper ſedem* ejus, quibus dictum eſt, *ſedebitis ſuper ſedes* Mat. 19. *duodecim, judicantes duodecim tribus Iſraël.* Sedebunt & filij noſtri, hoc eſt, rememorabuntur opera bona, quę ob amorem ipſius operati ſumus, in conſpectu ejus.

Quoniam elegit Dominus Syon: verſ. 13. *elegit eam in habitationẽ ſibi*; concordantem ſibi catervam Eccleſiaſticam, vel ſanctificatis Sacramentis Eccleſiaſticis ſibi animas.

Hæc requies mea in ſæculum verſ. 14. *ſęculi: hìc habitabo quoniam elegi eam* animam, quæ ei per reſurrectionis gloriam, & emendationem peccati, domus & requies facta eſt.

Viduam ejus benedicens benedicam: pauperes ejus ſaturabo panibus. verſ. 15. Pro *vidua*, id eſt, χήρα, & hebræa volumina, & ipſi ſeptuaginta θήραν habent, ſed propter novitatem verbi, & unius

nius literę mutationem, paulatim obtinuit ut pro verbo θήρα, legeret χήρα, maximè quia in ſequenti verſiculo *pauperes* ſequebantur, θήρα Symmachus & Aquila interpretati ſunt cibaria.

verſ. 16. *Sacerdotes ejus induam ſalutari: & Sancti ejus exultatione exultabunt. Ipſe* nos vel juſtitiam, vel ſalutare induit, cum nos conformes corpori ſuo effecit, quæ eſt juſtitia ſaluſque noſtra, præparans nobis habitacula ſempiterna.

verſ. 17. *Illuc producam cornu David,* regnum Chriſti quod in illis extenditur, quibus dictum eſt,
Mat 5. *Beati pauperes Spiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum: paravi lucernam Chriſto meo:* Ioannes Baptiſta ſive Præcurſor Domini & Salvatoris noſtri, à Deo Patre dicitur parata lucerna, qui eum in hujus mundi tenebris venturum nuntiavit, ſic enim ipſe Dominus eum vocavit dicens, *ille erat lucerna* Ioã. 5.
lucens, &c.

Inimicos ejus induam confuſione; verſ. 18. Iudæos non credentes, cũ viderint Dominum in majeſtate ſua: *Super ipſum autem efflorebit ſanctificatio mea,* ſancta nimirum Eccleſia, quæ omnes accedentes ſanctificat, quæque ipſum Chriſtum tamquã floſrentiſſimam coronam atque in ornamentum eſt habitura.

CANTICUM GRADUUM.

PSALMUS CXXXII.

verſ. 1. *ECce quam bonum & quam jucundum habitare fratres in unũ.* Quartus-decimus aſcenſionis gradus, eſt charitas fraterna. Habent Chriſtiani quatuor fraternitates, unam ſpecialem, quæ manifeſta eſt & ſenſibilis, quã nemo igno-

Digitized by Google

rat, aliæ generales ſunt; quia primò ſunt fratres eo quod habent unum Patrem ex parte carnis generalem, ſcilicet primum hominem, in quo omnes homines radicaliter fuerunt, quando ipſe ſolus erat: ſecundò habent alium patrem ex parte animę, ſcilicet Deum, à quo immediatè animam rationalem receperunt: & tertiò habent alium patrem ex parte ipſius benè eſſe, ſcilicet Chriſtum Deum & hominem; & quia ex paternitate, filiatione, & fraternitate oritur jus & obligatio, quod in paternitate, filiatione & fraternitate carnali ſolvi videmus, ideo propter omnes iſtas fraternitates, Chriſtiani ſe diligunt, & alios qui Chriſtiani non ſunt, propter tres primas. Tantò autem fraternitas quæ eſt ex parte & ratione animæ, excedit fraternitatem quę eſt ex parte corporis, quantò anima excedit corpus, quod in comparatione ad ipſam, nihil eſt. Quarta tamen fraternitas maximæ excellentiæ, amoris, & unitatis eſt, quia oritur à paternitate, qua major & intimior dari non poteſt, quia infiniti pretij eſt, quia Chriſtus Deus & homo eam emit ſanguine ſuo, dando vitam ſuam infinitam.

Bonum autem *& jucundum* eſt *habitare fratres in unum*, charitatis affectu, ſicut vita increata ſuis diſcipulis injunxit; *hoc eſt præceptum meum ut diligatis invicem, ſicut ego dilexi vos:* nulla enim vita deterior, quàm ſimul degere corpore, & non mente. Non autem carnalis ſed ſpiritualis illa debet eſſe dilectio, inter quas non minimam eſſe differentiam facilè perpendi poteſt, ex diverſitate fundamentorum, uſuum ac finium earundẽ. Carnalis namque dilectionis fundamentum multifarium eſt, quia nonnumquam ſimilitudo complexionum, nonnumquam largitio beneficiorum, aliquando aſſidua

Ioã. 15.

dua familiaritas, interdũ conditionis æqualitas, ſeu parilitas ſtudiorum: uſus verò eſt carnalis aliqua delectatio ſecundum aliquem corporis ſenſum; finis ejus intrinſecus eſt, intentio delectandi; extrinſecus, ſupplicium ſempiternum. Spiritualis autem dilectionis fundamentum Chriſtus eſt, uſus, laus & honoratio Dei, mutuaque fraternę ſalutis procuratio; finis, vita æterna. Illa igitur quia corruptibilibus innititur fundamẽtis, ruibilis eſt ac deſtructibilis; hæc verò, quia perpetua firmę petrę ſoliditate ſuſtentatur, inconcuſſa & ſtabilis permanet in ęternum. Illa ſaltem morte diſſipatur, hæc autẽ amplius morte confirmatur. Illa cum unius amore, alterius compatitur odium; hęc verò odium abhorrens, tam amicos quam inimicos brachijs complectitur charitatis.

Sed notandum proinde eſt ſpiritualem dilectionem; & puram eſſe & impuram: Pura quidem, puro innititur fundamento, nec carnale ſeu naturale aliquod compatitur, ſed divinæ perfectionis eſt imitatrix, quę ſimplici bonitatis intuitu, *ſolem* (dilectionis ſuæ) *oriri facit ſuper bonos & malos*; diſtinctivo verò ac diſcretivo reſpectu; ſecundum hoc dumtaxat ſingulos ſingulariter diligens, quo vicinius quiſque divinam participat bonitatem. Hæc ſicut perfectorum eſt, & in ſpiritu totaliter abſorptorum, ita eſt & paucorum. Impura verò, apud modernos communior videtur & uſitatior; quam ideo impuram non appello quod ſit peccati fuligine maculata, ſed quia eſt naturalis affectus, & non omninò in puritate mentis, cui nec ſcriptura, nec ratio contradicit: quis enim eſt tam abſtractæ puritatis, qui non ex aliqua parte, vel naturalis ſimilitudinis impulſu, ſeu beneficentiæ gratitudine, aut ultro

Matt. 5.

Digitized by Google

exhibitę amicitię viciſſitudine, non moveatur? Verum quamquam in hac paſſione partim veniam mereatur humana fragilitas, laborandum nihilominus eſt, ut ad illam pertingere valeamus puritatem, quę excluſa omni naturalis affectus aſpergine, divinæ perfectioni ſe nititur quantũ poſſibile eſt in omnibus conformare. Porrò ſpiritualis quęlibet affectio ad unum tendit finem, ad vitam ſcilicet æternam, ad quam fideles ſervuli ſperant divina prædeſtinatione pervenire, atque inchöatam in hac miſeria veram dilectionem, in ęterna beatitudine conſummare. Proſequitur autem Vates hujuſmodi dilectionis bonum, aliqua ſimilitudine & exemplo declarare, dicens.

Verſ. 2. *Sicut unguentum in capite, quod deſcendit in barbam, barbã Aaron:* Tam bonum & tam jucundum eſt fratres eodem habitare in loco, atque eiſdem cum animis, ſumma cum concordia & conſenſu, *ſicut* legale illud *unguentum*, quo Sacerdotes unguebantur, quodque ſuper eorum capita effundi ſolebat. Nam quemadmodum hujuſmodi unguentum bonũ eſt, utpote ſanctum, & etiam jucundum, veluti odoriferum: ita & illa communis fratrum habitatio, ſummum quoddã bonum eſt, veluti quod & natura ipſa, & Lege divina commendatur, & jucundum bonum eſt, quia utile & commodum. Myſticè autem defluxit unguentum Spiritus ſancti à capite, id eſt, à Christo, *in barbam Aaron*, id eſt, in Apoſtolos & Apoſtolicos viros, in eos qui viriliter egerunt & confortati ſunt, ut ſperarent in Domino. Et non ſolum *in barbam Aáron*, id eſt, Apoſtolis & Apoſtolicis viris non ſolum datum eſt hoc unguentum, ſed & *deſcendit in oram veſtimenti ejus*: id eſt, in infima membra Eccleſię, quæ ſunt tamquam veſtimen-

Exod. 29. 7.

veſtimentum Chriſti, quod & quotidiè impletur, ut & in ſæculares & mundanos homines Spiritus ſancti gratia diffundatur, & etiam ſentiant ipſi odorem ſpiritualis unguenti, de ſummo capite Ieſu defluentis : unde tam delectabili odore inebriati, non ſolum viri natura fortiores, ſed & virgunculæ tenerrimæ, currūt toto cordis affectu, omnibus viribus animi, ad delitias crucis, hauriuntque delitias quantum licet in præſenti vita, unguentorum defluentium largiter à piiſſimo Ieſu crucifixo, tam valido incendio charitatis immenſæ ardentes, guſtantes per
1. Cor. 13. *Speculum in ænigmate*, quoniam ſuaviſſimus eſt Do-
Ecc. 24. minus, cujus *Spiritus ſuper mel dulcis*.

Non autem abſque ratione
verſ. 3. addit: *Sicut ros Hermon, qui deſcendit in montem Syon.* Tres hujus nominis *Hermon* montes ſunt, quorum is unus eſt, qui inter Libani montes partem obtinet, & cum monte Galaad ferè jungitur : ob quod Hieremias, inquit, *Galaad tu mihi caput Libani:* Ier. 22. alius monticulus quidam eſt, inter montem Tabor, & lacum Genezareth, ad cujus latus Naim urbs jacet. Tertius verò qui Cyſon ſecat, de quo eſt ſermo : & de his omnibus teſtimonia Scripturæ habes ; de primo, *qui habitant ad radices Hermon in terra* Ioſ. 11. *Maſpha:* de ſecundo verò, *memor ero tui de terra Iordanis, & Hermoniim à monte modico:* Pſal. 41. de tertio habetur in præſenti Pſalmo, *ſicut ros Hermon*, cum enim inter duo flumina jaceat, roribus affluit. Alij per *Hermon* intelligunt montem iſtum qui Libano adjacet, ubi multa nivium copia conſervatur, unde vapores generantur, qui äerem montium Syon craſſiorem atque hebetiorem reddunt, ac rorem æſtatis tempore non modicum efficiunt. Quia igitur *ros* iſte cauſam atque originem habet ex monte *Her-*

mon, ideo rorem *Hermon* eum
Brun appellavit. Hermon in lingua
noſtra interpretatur *ἀνάθημα*,
hoc eſt, condemnatio. Ros ergò
Domini ante fuit in populo
Iudæorum, qui poſtea anathematizatus
eſt, & benedictio
quæ ante deſcendebat in populum
anathematizatum, poſtea
deſcendit in montem Syon,
hoc eſt, in Eccleſiam, & ut
Pſal. 74. alibi dicitur, *inclinavit ex hoc in hoc*, id eſt, calicem Legis quæ
eſt in manu mediatoris, ex hoc
Iudęo, in hunc Chriſtianum
inclinavit; & omne quod in
ea merum ac verum fuit, eliquatum
nobis transfudit: *fex*
ſola quę *non eſt exinanita*, apud
Iudęos remanſit, ipſam bibunt,
Pſal. 10. ipſa *pars calicis eorum*. Si ergò
ſumus in Eccleſia, ſi habemus
fidem Apoſtolorum, fidem
Chriſti, dogmata veritatis;
montes Syon ſumus: Nolumus
eſſe de Syon valle, ſed de
monte Syon, habet enim Syon
valles ſuas, habet & campum;
quicumq; peccator eſt,
vallis eſt Syon, mons non eſt.
Dicat aliquis de tuo ſenſu loqueris,
vocemus teſtem Iſaiam
eo tempore quo peccaverat
Syon; poſt multas viſiones ubi
dicitur, viſio contra Idu- Iſaiæ 21.
mæam, viſio contra Möab, viſio
contra Edom & filios Am- Cap. 22.
mon in ultimo ponitur viſio
vallis Syon. Nos ergò primũ
fugiamus valles Syon, ut veniamus
ad campos, de campis
veniamus ad colles, de collibus
veniamus ad montes, Chriſtum
ſequamur in montibus:
Siquidẽ fratruelis noſter quaſi Cant. 2.
caprea & hinnulus cervorum,
trãſilit colles, & ſalit per montes;
unde & ſecundum aſcenſus
veritatem, non aſcendit
ad cœlos poſt reſurrectionem
de valle, ſed de monte: nos
niſi in virtutibus montes fuerimus,
ad cœlum non poſſumus
aſcendere. *Illic enim*, hoc
eſt, in montibus Syon, in virtutibus,
& fidei confeſſione, &
dogmatum veritate; *eſt benedictio, & vita uſque in ſæculum*:
Chriſtus

Digitized by Google

Chriſtus vita eſt, qui confitetur Chriſtum, vitam accipit in ſæcula ſæculorum, Amen.

CANTICVM GRADVVM.

PSALMVS CXXXIII.

Verſ. 1. *Ecce nunc benedicite Dominum, omnes ſervi Domini.* Cantica aſcenſionum in hoc Pſalmo finem accipiunt, quem Propheta in gratiarum actionem deſinere voluit; ſola enim gratitudine Deo placere poſſumus, debita omnia noſtra perſolvere, regnumque cœlorum comparare. Eſt autem gratia ſeu gratitudo, debita recompenſatio beneficij accepti: Ratio verò, quâ ad hanc recompenſationem tenemur, eſt quia Deus fons eſt, & radix à quo bona omnia oriuntur;

Iac. 1. unde Iacobus, *omne datum optimum, & omne donum perfectum de ſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum.* Ideo ipſe eſt radix omnis debiti, quo cuiquam tenemur: unde quicquid parentibus, Dominis, aut alijs benefactoribus debemus, Deo principaliter tenemur: & præter hæc, ſupremam quoque beneficiorum omnium recompenſationem, (quę originale eorum principium reſpicit) Deo ſoli covenientem, quam religionem appellant, Deo debemus. Ait ergò, *benedicite ſervi Domini Dominum.* Ideo dicunt naturales quod in homine tot membra ſint, quot dies in anno, ad deſignandum quod omni tempore omnibus membris Deo ſervire, eique gratias agere tenetur. Ad gratiarum autem actionem pertinet, beneficia quæ accepimus diligenter recolere, ſubtiliter intelligere, fideliter confiteri, ſtudioſè ſervare, benefactorem diligere,

Digitized by Google

diligere, & ejus offenſam cavere, & gratiam acceptam non ociosè negligere, ſicut ille piger ſervus, qui *abſcondit pecuniã Domini ſui*.

Mat 25.

Ad gratiarum actionem accendit ſeptuplex conſideratio, triplex circa ipſum beneficium, duplex circa ipſum benefactorem, duplex circa eum cui pręſtatur beneficiũ. Beneficium commendatur ſi eſt nobile & pretioſum in ſe, ſi eſt utile accipienti, ſi eſt multiplex & ſæpius iteratum. In benefactore duo, ſi ſit magnę dignitatis, ſi magno affectu det beneficium. In illo cui præſtatur, ſi vilis eſt & contemptibilis, ſi indignus, immeritus, & demeritus. Hęc omnia in divinis beneficijs reperimus. Ipſe dator, eſt ſummus omnium, & immenſæ dignitatis, à quo magnum, ſi dignetur etiam de nobis cogitare: tanta quoque benevolentia & affectu dat Dominus ſua beneficia, ut ſi etiã modica daret, gratanter eſſent recipienda. Ipſa beneficia Dei quibus in nobis operatur ſalutem, tam pretioſa ſunt, quod nullo pretio ſint condigna: quid enim poteſt condignum gratiæ Spiritus ſancti excogitari, quam dat fidelibus ſuis? vel corpori Chriſti & ſanguini, & gloriæ, præter alia abſque æſtimatione & numero, quę ab ipſo accepimus? quanta utilitas nobis ex his donis proveniat, penſet qui valet. In beneficijs Dei, omnis fælicitas conſiſtit corporis & animæ. Quam ſæpè nobis Dominus ſua dona conferat attende; quotiens perdidimus per peccatum gratiam, toties reddit offerendo nobis ſi voluerimus recipere. Item quoties abutimur donis ejus, vel negligentes ſumus in ejus ſervitio, vel ingrati vel elati, toties meremur ea amittere, ſive ſint ſpiritualia, ſive temporalia, vel corporalia dona: & quotiens non aufert ea cum demeremur, toties dat. Quibus autem

tanta

tanta beneficia præſtet tantus Dominus, in promptu patet: Gen. 3. quid enim ſumus niſi pulvis & fimus, miſeri & inopes, *repleti multis miſerijs*, Iob. 14. expoſiti omnibus periculis, & penè nihil à nobis habētes, niſi labi continuè; & tamen cum iſta vilitate & miſeria Deo rebelles ſumus, & pro dilectione & beneficijs reddimus ei contumelias. Piiſſimum ergò, & non niſi divini cordis eſt, benefacere contemnenti, & adverſario, & vili ſervo, & proprio figmento. Sed licet omnes ſimus ſervi Dei, tamen Ecc. 15. quia *non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris*, addit *Domini*; quibus ira non imperat, quibus libido non regnat, quibus vitia non dominantur: ſed videte augmentum, non ſufficit ſolum ſervum eſſe Domini, niſi & ipſi ſervi ſtent.

Qui ſtatis in domo domo Domini, in atrijs domus Dei noſtri. Id eſt, qui perſeveratis *in domo Domini*, id eſt, in Eccleſia, & *in atrijs domus Dei*, id eſt, in latitudine charitatis, deducentis nos in æternam domum Dei noſtri. Benè autem dicit, *qui ſtatis*, quia tunc Deo placet noſtra converſatio, quando bonum quod inchöavimus, perſeveranti fine complemus, à fine enim omnia denominari juſtum eſt, (ait Philoſophus,) & cujus finis malus eſt, ipſum quoque malum eſt. Quapropter Propheta ad perſeverantiam admonet, dicens;

In noctibus extollite manus veſtras in ſancta, & benedicite Dominum. verſ. 2. Hoc ſæculum nox eſt, ſæculum verò futurum, dies eſt: velimus, nolimus, in noctibus ſumus, quamdiu in hoc ſæculo ſumus; nox tenebras habet, noctes autem iſtarum tenebrarum, peccata ſunt hominum: videte ergò quid dicat, *in noctibus extollite manus veſtras in ſancta*; dum, inquit, eſtis in hoc ſęculo, & in noctis noctibus, levate manus veſtras, nolite dimittere: ſi levaveri-

tis manus veſtras, vincitur A-
Exod. 17. malech, ſi dimiſeritis, ſupera-
tur Iſräel. Dæmones enim præcipuè illos tentant, quos non vident firmos & conſtantes in bono quod inceperunt. *Manus* autem interpretantur in operibus, unde ſcribitur *factus eſt ſermo Domini in manu Aggæi:*
Aggæi 1. *Sermo qui factus eſt in manu Jeremię Prophetę*; utiq; ſermo Domini non in manu, ſed in ore fit, ſed videte Scripturæ miſteria, Deus non venit ad ſermonem, ſed ad opera bona. Cæterum addere voluit *in ſancta*, quia opera pro qualitate facientis diverſa ſunt. Iudæi, gentiles, & hæretici, cum elemoſinas faciunt, levant quidem manus, ſed non levant *in ſancta*, quia non confitentur Chriſtum. Vos autem qui eſtis in domo Domini, & ſervi altiſſimi, ſic levate *manus*, ut *in ſancta* levetis, hoc eſt, ut confiteamini, & quidquid facitis, pro Chriſto faciatis. Et quia gratitudo meretur per bona accepta conſervari & augeri, & ad majorem profectum converti, rectè Pſalmum concludit.

Benedicat te Dominus ex Syon, qui fecit cœlum & terram. Se- v. 3
cundum literam hoc dixit ad diſtinctionem idolorum: cęterum ſecundum intelligentiam ſpiritualem, quomodo dicitur peccatori *terra es & in terram ibis*, ſic & ſancto dicitur, Gen. 3.
cœlum es & in cœlum ibis; nec qui cœlum eſt, debet eſſe ſecurus, nec qui terra eſt, debet deſperare de vita, multi de terra cœli ſunt, & multi de cœlo terra. Infœlix Iudas cœlum fuit, & terra factus eſt; Paulus Apoſtolus eo tempore Act. 9.
quo perſequebatur Eccleſiam, terra erat, confeſſus eſt, & cœlum factus eſt.

Hîc finit Supplementum R. P. MARCI MASTELINI, in Viridi-Valle Canonici Regularis.

PSAL.

Digitized by Google

Psalmvs CXXXIV.

Invitatio fidelium ad Dei laudem, propter magna ipſius beneficia,

verſ. 1. L*Audate nomen Domini, lau-*
date ſervi Dominum.
verſ. 2. *Qui ſtatis in domo Do-*
mini; in atrijs domus Dei noſtri.
De his in pręcedenti Pſamo e-
gimus.
verſ. 3. *Laudate Dominum, quia bonus*
Dominus; pſallite nomini ejus
quoniam ſuave. Laudatio Dei,
digniſſimus eſt affectus, & naſ-
citur ex conſideratione divinę
bonitatis, ex admiratione pro-
funditatis ſapientiæ Dei, ex
ſtupore altitudinis divinæ po-
tentiæ, & ex immenſitate ma-
jeſtatis, quæ de ipſo per do-
ctrinam fidei intelligimus, vel
per operum ejus veſtigia col-
ligimus, vel per illuminatio-
nem inſpirationis internę, puro
mentis intuitu contempla-
mur. Omnia quæ de Deo co-
gitari vel dici ſecundum veri-
tatem poſſunt vel ſentiri, non
niſi laus ipſius ſunt, & quantò
perfectius cognoſcitur, tantò
verius laudatur, & ardentius
amatur.
Quoniam Jacob elegit ſibi Do- verſ. 4.
minus; eum ſcilicet qui ſup-
plantato populo, arripuit be-
nedictionem ejus: *Iſraël in poſ-*
ſeſſionem ſibi, qui poſt multas
luctas, Deum mente meruit
contueri.
Quia ego cognovi quod magnus verſ. 5.
eſt Dominus. Revelante filio
cognoſcimus patrem, ipſo di-
cente, *nemo novit Patrem, niſi* Mat. 11.
cui voluerit Filius revelare: &
Deus noſter præ omnibus dijs, ſu-
per omnes Sanctos Angeloſ-
que qui dij digni ſunt vocari.
Omnia quæcumque voluit Do- verſ. 6.
minus fecit in cælo & in terra, in
mari & in omnibus abyſſis. Pro

Digitized by Google

Voluntate bonitatis placuit Deo, in excelſis animabus, in aridis mentibus, in ſæculi fluctibus, in profunditate malitię, facere mirabilia, ſicut ſequitur.

verſ. 7. *Educens nubes ab extremo terræ:* ab humilitate terrena elevans Apoſtolos & Prophetas. *fulgura in pluviam fecit*, ut primum lumen cognitionis Dei, deinde imbrem doctrinarum infunderet.

Qui producit ventos de theſauris ſuis, Angelos ſanctos de arcanis cœleſtibus dirigens, qui his nubibus imbribuſque, robur atque incrementum inferrent.

verſ. 8. *Qui percuſſit primogenita Ægypti ab homine uſque ad pecus.* Principalia vitia atque crimina mundi.

verſ. 9. *Et miſit ſigna & prodigia in medio tui Ægypte;* terrens mundũ in paſſione, vel in tenebris, vel in commotione terræ: *in Pharaōnē, & in omnes ſervos ejus*, affigens diabolum vel principatus ejus cruci.

v. 1 *Qui percuſſit gentes multas: & occidit reges fortes*, innumera vitia quæ mundum oppreſſerant.

ve 11 *Seon regem Amorrhæorum*, arborem infructuoſam, habentem ſecum execrationes Dei, qui ſimul percuſſi in ignem projiciuntur æternum: *& Og regem Baſan*, materiam confuſionis, quæ nobis ne Deum cognoſceremus, obſtabat; *& omnia regna Chanäam*, occidit regna commotionis, quæ nos commovebant à Deo, & dominabantur nobis.

verſ. 12. *Et dedit terram eorum hæreditatem, hęreditatem Iſraël populo ſuo.* Hæc omnia delevit Deus atque ſubvertit, noſque per cognitionem ſuam in hæreditatem adſcivit, & ut ipſis qui nos afflixerant dominaremur, indulſit.

verſ. 13. *Domine nomen tuum in æternum:* Illo perpetuo permanente, hęc nobis ſit hęreditas ſempiterna: *Domine memoriale tuum*

in

in generationem & generationem; ut quod Legis umbra declaravit, in Euangelijs agnoſcatur.

vers. 14. *Quia judicabit Dominus populum ſuum.* Iudęos non credentes, qui nunc jam judicati ſunt,
Ioã. 3. cum non crediderint: *Et in ſervis ſuis deprecabitur*, ſeu (ut alij vertunt,) conſolabitur, utique in credentibus.

vers. 15. *Simulacra gentium argentum & aurum, opera manuum hominum.*

vers. 16. *Os habent, & non loquentur: oculos habent, & non videbunt.*

vers. 17. *Aures habent, & non audient: neque enim eſt Spiritus in ore ipſorum.* Gentiliũ execranda commemorat, irridens, quia cum nullius membri vegetationem habeant, auri argentique metallo nobilitare voluerint.

Ideoque adjicit, *Similes illis fiant qui faciunt ea: & omnes qui confidunt in eis.* vers. 18. Illi confundantur in his quæ credunt, nos verò conſolemur, qui ad imaginem Dei facti, ipſum adoramus.

Domus Iſraël benedicite Domino, vers. 19. congregatio ſanctorum Deum oculis mentis aſpiciens: *Domus Aaron benedicite Domino*, miniſtrorum ordo perfectus.

Domus Levi benedicite Domino: qui timetis Dominum, benedicite Domino: vers. 20. ut majeſtatem metuitis, ita cum charitate laudetis.

Benedictus Dominus ex Syon, qui habitat in Hieruſalem, vers. 21. ipſe Dominus noſter Ieſus Chriſtus, cui eſt cum æterno Patre honor & gloria, in ſęcula ſæculorum Amen.

Digitized by Google

PSALMVS XXXV.

Hic Pſalmus Domini miſericordias in diverſis neceſſitatibus humano generi præſtitas, pandit.

verſ. 1. CONfitemini Domino quoni-
*am bonus: quoniam in æter-
nũ miſericordia ejus*. Con-
fitemini peccata veſtra, & lau-
date eum, qui per manentem
in ſe miſericordiam, indulget.
verſ. 2. *Confitemini Deo Deorum: quo-
niam in æternum miſericordia ejus:*
Ioã. 1. Illi qui credentibus in ſe, *dedit
poteſtatem filios Dei fieri.*
verſ. 3. *Confitemini Domino Domino-
rum:* hoc refertur ad filium,
& *Deo Deorum*, ad Patrem, Pa-
tri igitur & Filio confitemur,
Ioã. 14. Pater enim in Filio, & Filius in
Patre.
verſ. 4. *Qui facit mirabilia magna ſo-
lus*. Prius dixit *confitemini Deo
Deorum*, & iterum, *Domino Do-
minorum*; & quoniam dixit du-
as perſonas, nunc dicit, *qui fa-
cit mirabilia magna ſolus*, ut non
dicat duos Deos, ſcriptum eſt
enim, *unus Deus*, ex quo & unus Ephe. 4.
Dominus Ieſus per omnia, &
nos per ipſum.
Qui fecit cœlos in intellectu. Iſti verſ. 5.
ſunt *cœli* qui *enarrant gloriam* Pſal. 18.
Dei, qui veſtiti ſunt imagine
cœleſtis, & non terreni.
Qui firmavit terram ſuper a- verſ. 6.
quas. Licet dicatur terra ſuper
aquas pendere, hoc eſt, inani
pondere; tamen terram no-
ſtram fundavit & firmavit in
baptiſmate: non dixit ſuſtu-
lit, aut exaltavit, aut in cœlos
fecit aſcendere, baptiſma enim
peccata dimittit, & quaſi de
carcere liberat, regna autem
cœlorum non poteſt donare;
ſi non enim aliquis per opera
& fidem

Digitized by Google

& fidem intraverit, non poteſt ſecurus eſſe.

verſ. 7. *Qui fecit luminaria magna.* Secundum literam de ſtellis dicit, licet enim eas parvas conſpiciamus, tamen magnæ ſunt: ſicut enim nos ſi aſcendamus in montem excelſum, & videamus in ſubjecta valle hominem, videtur nobis quaſi parvum quiddam; ita & ſtellæ magnæ ſunt, ex altitudine autem parvę nobis videntur. Hoc autem dixit ad eos qui-

Mat 5. bus dixerat, *vos eſtis lux mundi.*

verſ. 8. *Solem in poteſtatem diei.*

verſ. 9. *Lunam & ſtellas in poteſtatem noctis.* Eccleſiam & Doctores ejus, ſub nocte veteris Legis poſuit, ſcilicet, ut quod illa nunciavit in litera, ſpiritualiter adimpleant & obſervent.

verſ. 10. *Qui percuſſit Ægyptum cum primogenitis eorum.*

verſ. 11. *Et eduxit Iſraël de medio eorũ.*

verſ. 12. *In manu potenti, & brachio excelſo.* In virtute potentiæ ſuæ, verberato mundo, eduxit nos ab operibus ejus.

Qui diviſit Mare rubrum in verſ. 13.
diviſiones.

Et eduxit Iſraël per medium e- verſ. 14.
jus. In multis enim gradibus ſcanditur per hujus ſæculi fluctus, ut ad eum quis poſſit quem mente tuetur, accedere.

Et excuſſit Pharaönem, & vir- verſ. 15.
tutem ejus in Mari rubro. Si Iſraël ſumus, Deus pugnat pro nobis, & nos tacebimus, & proſternit diabolum cum ſatellitibus ſuis, ne nobis nocere valeant.

Qui traduxit populum ſuum per verſ. 16.
deſertum. Semper populus Dei per deſerta hujus mundi tranſducitur, quöaduſque in terram promiſſionis introducatur, *qui eduxit aquam de petra* à Chriſto Domino, qui eſt ſtabilis petra: vel à quo baptiſmus proceſſit, vel poculum ęternę vitę manavit.

Qui percuſſit Reges magnos. verſ. 17.
Et occidit Reges fortes. verſ. 18.
Sehon Regem Amorrhęorum. verſ. 19.
Et Og Regem Baſan. Omnia verſ. 20.
regna.

Digitized by Google

regna peccati à Chriſto percuſſa dicit, *qui percuſſit Reges magnos*; primum percuſſit Pharaonem, qui dicitur diabolus, & ſic exercitum ejus, ut alibi expoſuimus.

verſ. 21. *Et dedit terram eorum hæreditatem.*

verſ. 22. *Hæreditatem Iſraël ſervo ſuo.*

verſ. 23. *Quia in humilitate noſtra memor fuit noſtri*: ut nos viſitaret adventu ſuo.

verſ. 24. *Et redemit nos ab inimicis noſtris*, fundens in præcium noſtrum ſanguinem ſuum.

verſ. 25. *Qui dat eſcam omni carni*: præbens ſe panem vivum, & vitã dantem huic mundo.

1o2. 6. *Confitemini Deo cæli*: laudem ei debitam reddite, qui vos à terrenis in æterna commutat.

verſ. 26. *Confitemini Domino Dominorum: quoniam in ęternum miſericordia ejus.* Qui vos vel judices, vel Dominos mundi conſtituit, ipſe eſt Dominus noſter Ieſus Chriſtus, cui eſt cum æterno Patre, & Spiritu ſancto, honor & gloria, in ſæcula ſæculorum, Amen.

PSALMVS CXXXVI.

Pſalmus hic ex voce Prophetica prolatus, docet mentes hominum à peccatis capi, in exemplum illius terrenæ Hieruſalem, quę à gentibus abductam captivitatem deflebat. Dicant ergò animæ quæ poſt multos errores convertuntur ad Deum.

verſ. 1. *SVper flumina Babylonis, illic ſedimus & flevimus: cum recordaremur Sion.* Si nõ aliquis ęgrotat, neſcit quantum valet ſanitas: & claudus, neſcit quantum valet qui ſanus eſt pedibus:

pedibus: ſimiliter & cæcus miratur videntem. Hoc totum dictum eſt, quoniam Propheta dicit, *Super flumina Babilonis, illic ſedimus & flevimus cum recordaremur Sion*. Babilon confuſio interpretatur; ergò Babilon hic mundus eſt: peccator ergò qui cecidit de paradiſo, & venit in vallem lachrymarum, hoc eſt, in Babiloné, Babilonem iſtum mundum dicit. Magis autem Propheta ex perſona ejus qui cecidit, dicit, *Super flumina Babilonis, &c.* Flumina auté Babilonis ſunt, quando videris aliquem pulchrum ad horam, & ęgrotans perdit pulchritudiné, & marceſſit flos ipſius; hoc ſicut flumen tranſit, & aquę ſuccedentes ſibi, venientes & recedentes pereunt, & rurſum aliæ oriuntur, & ipſæ pereunt. Ita & in hoc mundo: quod ad momentum aut ad aliquod tempus, ditamur, aut fortes ſumus, aut pulchri, poſtmodũ tranſit ſicut aqua, & perit. Ibi ergò *ſedimus & flevimus, cum recordemur Sion.* Licet quidem vitio noſtro cecidimus de paradiſo, tamen reminiſcimur temporis fœlicitatis, & non obliviſcimur, ſicut ille qui de *Jeruſalem* Luc. 10.
deſcendit in Iberico (quę interpretur luna quę ſemper mutatur,) hoc eſt, in hunc mundum, *in latrones incidit*, & Samaritanus tollit eum, & oleo & vino curat, miſcens auſteritatem cum miſericordia.

In ſacilibus in medio ejus, ſuſpendimus organa noſtra. verſ. 2.
Salix talem naturam habere dicitur, quamvis lignum ſit infructuoſum, quod ſi quis ex illa accipiat potionem, aut manducet, ſterilis fiat: ibi *ſuſpendimus organa noſtra.* Organum autem hominis, corpus eſt: ſicut enim organum ex multis fiſtulis compoſitum eſt, una autem mõdulatione melos mittit; ita organum noſtrum: habemus tactum, per ipſum, hoc eſt, per opera, melos & canticum, & hymnum referimus Deo; ſimiliter

Digitized by Google

militer autem per auditum, per odoratum, per guſtum, per viſum; & per has omnes virtutes quaſi de uno organo, hymnum & canticum referimus Deo. Dicitur iterum ſalix ſine radice creſcere; ramus enim abſcinditur & plantatur ſecus aquam, & ſtatim vireſcit: ita autem & peccator, licet peccaverit, licet ceciderit, tamen ſi ſit ſecus aquas, hoc eſt, ſi legit Sanctas Scripturas, & audit verbum divinũ à ſancto viro, viret ejus anima, & ad pœnitentiam convertitur.

vers. 3. *Quia illic interrogaverunt nos, qui captivos duxerunt nos, verba cantionum.*

Et qui abduxerunt nos: hymnum cantate nobis de canticis Sion. Demones qui deceperũt nos, & *captivos duxerunt nos*, nunc quaſi deridentes nos, & gloriantes, dicunt; reddite nobis verbum de fide veſtra, quemadmodum quando eratis in Ieruſalem, hymnum dicebatis Deo.

Quomodo cantabimus canti- vers. 4.
cum Domini in terra aliena? Reſpondent qui peccaverunt & decepti ſunt, & dicunt: *quomodo vobis cantabimus canticum Domini in terra aliena*, id eſt, in peccatis conſtituti? qui cecidimus de Ieruſalem in Babilonem? Ergò non poteſt aliquis ſi non ſit ſanctus, laudare Dominum; peccator enim non debet cãtare Domino, ſed lugere peccata ſua.

Si oblitus fuero tui Jeruſalem, vers. 5.
oblivioni detur dextera mea. Ergò qui peccavit & cecidit, reminiſcitur prioris converſationis in Ieruſalem, & proponit ſibi, qui niſi memor ſemper ero, & ſpem in mente habeam, *oblivioni detur dextera mea*, hoc eſt, opera mea: non dixit ſiniſtra mea, ſed *dextera*; ſiniſtra enim ſemper in oblivione eſt: Vis ergò ſemper in memoria Domini eſſe, dexteræ opera fac.

Adhæreat lingua mea faucibus vers. 6.
meis, ſi non meminero tui:

Si non

Si non propoſuero Jeruſalem, in principio lętitię meæ. Hoc eſt, non debeam tibi Domine placere neque opere neq; ſermone, ſi non jugiter tui memoria verſetur in corde meo.

vers. 7. *Memor eſto Domine filiorum Edom, in die Jeruſalem.*

Qui dicunt: exinanite, exinanite uſque ad fundamentum in ea. Edom interpretatur terrena & ſanguinea; quis ergò eſt niſi diabolus? vide ergò quid dicat ex perſona Adam: Domine memento quoniam me decepit ſerpens diabolus, (qui intelligitur Nabuchodonoſor,) & ejecit me de paradiſo; memento & retribue ei, & ſentiat pœnam, quam ipſe ſua malitia ſuper me induxit, trahens me & adducens in Babilonem & in Aſſirios.

vers. 8. *Filia Babilonis miſera: Filia Babilonis*, anima eſt quæ ſemper in motione eſt & in confuſione, & non habet firmum ſtatum, ſed eſt in vitijs & peccatis, quę verè miſera eſt. *Beatus, qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuiſti nobis. Beatus eſt* qui retribuit ei quod ipſa fecit, verbi gratia, ejecit me de paradiſo, ego illam reducam per abſtinentiam; ibidem decepit me per fornicationem, ego per caſtitatem reduco illam in Ieruſalem, & ex vitijs in virtutem: ergò non ut inimicus, ſed facio ut amicus.

Beatus, qui tenebit, & allidet vers. 9.
parvulos tuos ad petram. Parvuli dicuntur cogitationes; ac ſi dicat, vidi mulierem, concupivi eam, ſtatim ſi non abſcidero concupiſcentiam illam, & niſi pedem tenuero, & alliſero ad petram, donec parva eſt concupiſcentia; non poteſt poſtea abſcindi, quando creverit. *Beatus* ergò eſt qui ſtatim abſcindit, *& allidit eam ad petram: petra autem eſt Chriſtus.* 1. Cor. 10.

Digitized by Google

Psalmvs CXXXVII.

vers. 1. Confitebor tibi Domine in toto corde meo: Qualia ſunt vulnera, tale & emplaſtrum: quemadmodum enim corpus habet diverſa vulnera, ita & anima ſuas habet paſſiones & ſua vulnera; & adverſus peccatum dignam pœnitentiam debemus agere: ſi quis de omnibus peccatis ſuis confitetur, iſte *in toto corde* ſuo confitetur Domino, verbi gratia, fornicatus eſt aliquis, confitetur fornicationem, ſed ſi ſimul eſt aut avarus, aut iracundus, aut detractor, aut blaſphemus, & plurima vitia habet, & iſta ſimul non confitetur, ex *toto corde* non confitetur; ſi quis autem pro omnibus vitijs & paſſionibus animæ ſuæ agit pœnitentiam, iſte poteſt dicere, *Confitebor tibi Domine in toto corde meo: quoniam audiſti verba oris mei.* Iſte verſiculus in hebræo non habetur; cæterum quod dicit hoc eſt, propterea *confitebor tibi Domine in toto corde meo*, hoc eſt, pro omnibus vitijs meis & peccatis; quoniam non pro uno vitio confeſſus ſum tibi, & exaudiſti me.

In conſpectu Angelorum pſallam tibi. Vide perfectionem pœnitentis, qui cum Angelis poſt confeſſionem & pœnitentiam meretur pſallere: qui autem pſallit, jam non agit pœnitentiam, ſed gratias agit & benedicit Dominum: * *Adorabo ad Templum ſanctum tuum, & confitebor nomini tuo.* vers. 2. Si hoc eſt templum quod nunc videtur deſertum, in quo oportet adorare, ergò non debent adorare Iudæi; quoniam everſum eſt templum; templum autem dicit ſanctam Ieruſalem & cœleſtem.

Super miſericordia tua, & veritate tua: quoniam magnificaſti

ſuper omne, nomen ſanctum tuum. Peccator autem dicit miſericordiam; juſtus autem & ſuperbus, audiat veritatem.

verſ. 3. *In quacumque die invocavero te, exaudi me: Multiplicabis in anima mea virtutem. Multiplicabis virtutem,* hoc eſt, nullis ſollicitudinibus ſubjacere animam meam permittes.

verſ. 4. *Confiteantur tibi Domine omnes reges terræ.* Reges terræ ſunt, qui regnant ſuper peccatum; nec enim de regibus dicit hujus mundi, nam ſcriptum eſt;
Prov 21. *Cor regis in manu Domini.* Putas cor Iuliani principis impiiſſimi, in manu Dei fuiſſe? abſit; aut Neronis, aut Maximiani, aut Decij perſecutoris? abſit; ſed de illis dicit, qui regnant ſuper peccatum, quia iſti qui vincunt vitia, & paſſiones animæ, & regnant ſuper peccatum, cor eorum in manu Dei eſt. *Quia audierunt omnia verba oris tui:* quia cuſtodierunt mandata tua.

Et cantent in vijs Domini: verſ. 5.
quoniam magna eſt gloria Domini. Philoſophi hujus ſæculi, non cantaverunt in vijs Domini; ſed nos cantamus in vijs Domini, hoc eſt, in Moyſe, in Iſaia, & in Ieremia; & de vijs iſtis venimus ad illam viam quæ dicit, *Ego ſum via, veritas, & vita.* Ioã. 14.

Quoniam excelſus Dominus, & verſ. 6.
humilia reſpicit: & alta à longè cognoſcit.

Si ambulavero in medio tribulationis, vivificabis me: & ſuper verſ. 7.
iram inimicorum meorum extendiſti manum tuam, & ſalvum me fecit dextera tua.

Dominus retribuet pro me: Domine miſericordia tua in ſæculum: verſ. 8.
opera manuum tuarum ne deſpicias.

Digitized by Google

Psalmus XXXVIII.

verſ. 1. DOmine probaſti me, & co-
verſ. 2. gnoviſti me: * tu cognoviſti
ſeſſionem meam, & reſur-
rectionem meam.
verſ. 3. Intellexiſti cogitationes meas de
longè: ſemitam meam, & funicu-
lum meum inveſtigaſti.
verſ. 4. Et omnes vias meas prævidiſti:
quia non eſt ſermo in lingua mea.
verſ. 5. Ecce Domine tu cognoviſti om-
nia, noviſſima & antiqua: tu for-
maſti me, & poſuiſti ſuper me ma-
num tuam.
verſ. 6. Mirabilis facta eſt ſcientia tua
ex me: confortata eſt, & non pote-
ro ad eã. Manifeſtius hoc Sym-
machus interpretatus eſt, præ-
tergreditur me ſcientia tua, id
eſt, non poſſum tua ſcire ſe-
creta, & in profundum ſapi-
entię tuę, mens mea non poteſt
introire.
verſ. 7. Quò ibo à Spiritu tuo? & quò
à facie tua fugiam? Quoniam
autem tuam non poſſim com-
prehendere notitiam cum in
te ſint omnia, nihilq́; ſit quod
te fugiat, & ubique ſit Spiritus
tuus, ex hoc intelligimus te
Deum eſſe, qui totus ubique
ſis.
Si aſcendero in cælum, tu illic verſ. 8.
es: ſi deſcendero ad infernum, ades.
Si ſumpſero pennas meas dilu- verſ. 9.
culo, & habitavero in extremis
maris:
Etenim illùc manus tua deducet verſ. 10.
me: & tenebit me dextera tua.
Nulla altitudo altior te eſt,
nullum profundum te pro-
fundius, Oriens & Occidens
in tua continetur manu.
Et dixi: forſitan tenebrę con- verſ. 11.
culcabunt me: & nox illuminatio
mea in delicijs meis. In hebraico
ſenſus iſte eſt: & dixi, forſitan
conculcabunt me tenebræ; econ-
trariò autem, nox ipſa apud te
lumen eſt: quæ nihil te celare
poteſt; quod & Symmachus
melius interpretatus eſt, dicens.
Et nox lux circum me ſedet:
ſed

Digitized by Google

ſed & ſequentes verſiculi hoc idem ſignificant.

verſ. 12. *Quia tenebrę non obſcurabuntur à te, & nox ſicut dies illuminabitur: ſicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus*. Id eſt, tam clara ſunt omnia quæ à te putantur occulta, ut manifeſtiora ſint luce.

verſ. 13. *Quia tu poſſediſti renes meos. Suſcepiſti me de utero matris meæ.* Quinta editio ita tranſtulit; conflaſti me de ventre matris meę.

verſ. 14. *Confitebor tibi, quia terribiliter magnificatus es: mirabilia opera tua, & anima mea cognoſcit nimis.*

verſ. 15. *Non eſt occultatum os meum à te quod feciſti in occulto: & ſubſtantia mea in inferioribus terræ.*

verſ. 16. *Imperfectum meum viderunt oculi tui. Imperfectum* hìc pro incompoſito poſuit, quod etiam elementa hominis antequam formetur in utero, cognoſcat Deus. *Et in libro tuo omnes ſcribentur*: eò quod nullus abſque voluntate naſcitur Dei, nec quiſquam notitiam ejus ſubterfugiat: *dies formabuntur & nemo in eis*. Hunc locũ Symmachus ita tranſtulit. Dies quibus formati ſunt, nec una quidem deeſt de ijs: & eſt ſenſus, omne tempus ætatis cui jam ab exordio vitę iſtius ſunt curricula deputata, certo fine decurrit, nec una dies aut plus aut minus eſt, quam tu conditor eſſe voluiſti. Secundum ſeptuaginta autem interpretes, ſenſus eſt, tu omnes in die formas; tu cunctos vis eſſe filios Dei, ſed nullus eſt in hominibus qui non peccato obnoxius fiat, & per hoc homo, noctis eſſe incipiat filius, nec quiſquam eorum luce ipſius diei, toto vitæ ſuæ tempore, digna perficiat. Vnde & Apoſtolus ad eos qui filij noctis eſſe ceſſaverunt, loquitur: *Omnes enim vos filij lucis eſtis, & filij diei.*

Mihi autem nimis honorificati ſunt amici tui, Deus: nimis confortatus eſt principatus eorum. verſ. 17.

Dinumerabo eos, & ſuper arenam multiplicabuntur: exurrexi, & adhuc ſum tecum. verſ. 18.

vers. 19. *Si occideris Deus peccatores: viri ſanguinum declinate à me:*

vers. 20. *Quia dicitis in cogitatione: Accipient in vanitate civitates tuas.*

vers. 21. *Nonne qui oderunt te Domine oderam: & ſuper inimicos tuos tabeſcebam?*

Perfecto Odio oderam illos: & inimici facti ſunt mihi. vers. 22.

Proba me Deus, & ſcito cor meum: interroga me, & cognoſce ſemitas meas. vers. 23.

Et vide, ſi via iniquitatis in me eſt: & deduc me in via ęterna. vers. 24.

PSALMVS CXXXIX.

vers. 1. *In finem Pſalmus David.*

vers. 2. *ERipe me Domine ab homine malo: à viro iniquo eripe me.* Non in tantum poteſt nos decipere diabolus, quantum per organum hominis; ab hoc deprecatur Propheta liberari.

vers. 3. *Qui cogitaverunt iniquitates in corde: tota die conſtituebant prælia.* De hæreticis dicit.

vers. 4. *Acuerunt linguas ſuas ſicut ſerpentis: venenum aſpidum ſub labijs eorum.* Quoniam videntur amicitiæ verba habere, & plena ſunt veneno mortifero.

vers. 5. *Cuſtodi me Domine de manu peccatoris: & ab hominibus iniquis eripe me.*

Qui cogitaverunt ſupplantare greſſus meos: * *abſconderunt ſuperbi laqueum mihi:* vers. 6.

Et funes extenderunt in laqueum: juxta iter ſcandalum poſuerunt mihi. Hoc eſt, de Scripturis proferentes teſtimonia, quę quaſi videbantur rationem aliquam habere, tentabant me decipere.

Dixi Domino: Deus meus es vers. 7.
tu: exaudi Domine vocem deprecationis meę. Si non es ſanctus, non potes hunc verſiculum dicere; ſed qui regnat ſuper peccatum, qui dicit, *Pars mea* Pſal. 72.
Deus:

Domine, Domine virtus ſalutis meę: obumbraſti ſuper caput vers. 8.
meum

Digitized by Google

meum in die belli.

verſ. 9. *Ne tradas me Domine à deſiderio meo peccatori: cogitaverunt contra me, ne derelinquas me, ne fortè exaltentur.* Dicit Scriptu-
Mat 5. ra quod *omnis qui viderit mulierem ad concupiſcendam eam, jam mœchatus eſt in corde ſuo:* Ergò hoc dicit Propheta, non propter concupiſcentiam meam tradas me diabolo, nam benè me habet in opere judicare, ſed non in cogitatione.

verſ. 10. *Caput circuitus eorum: labor labiorum ipſorũ operiet eos.* Quẽadmodum ſerpens, quando viderit aliquem venientem ad percutiendum, circulum facit corporis ſui,& in medio celat caput,ubi ſcit ſe habere vitam: ita & iſti hæretici per ſermonem Philoſophorum,(ut Ariſtotelis & cæterorum,) videntur ſe abſcondere,& quaſi protegere & defendere,ſed Eccleſiaſticus vir, quaſi in virga, hoc eſt, in cruce, ſolvit circulum, & invenit caput latens, & ibi eum percutit, hoc eſt, teſtimonium profert de Scripturis.

Cadent ſuper eos carbones, in ignem dejicies eos: & in miſeriis non ſubſiſtent. verſ. 11.

Vir linguoſus non dirigetur in terra: virum injuſtum mala capient in interitu. verſ. 12.

Cognovi quia faciet Dominus judicium inopis, & vindictam pauperum. verſ. 13.

Verumtamen juſti confitebuntur nomini tuo: & habitabunt recti cum vultu tuo. Vultus Dei verſ. 14.
quid eſt niſi Chriſtus? *qui non rapinam arbitratus eſt,eſſe ſe æqualem Deo.* Phil. 2.

PSALMUS CXL.

verſ. 1. D*Omine clamavi ad te,exaudi me:* Moyſes ſtabat cũ populo, & Pharao perſequebatur poſt tergum ejus,& undiq; anguſtia illi erat: in illo tẽpore lachrymatus eſt ad Do-

 minum,

Digitized by Google

minum, & cōtinuò Dominus
Exod. 14. ad eum; *quid clamas ad me?* dum
cum ſilentio orabat, exauditus
[illegible] [illegible] eſt; Scriptura autem non me-
& pro populo lachrymabiliter ingemiſcēs, Scriptura clamorem vocat. S. Ier. in c. 4. ad Gal. lib. 2. minit quis locutus ſit, ſed tan-
tum quis lachrymatus ſit. Et
ſanguis martyrū ſemper cla-
mat ad Dominum, & exaudi-
tur, & Dominus locutus eſt ad
Cain: *Vox ſanguinis fratris tui*
Gen 4. *clamat ad me de terra.* Et in A-
pocalypſi Iohannis, animæ ju-
ſtorum ſubtus altare dicebant
Apoc. 6. ad Dominum: *uſquequo Domi-
ne (ſanctus & verus) non judicas
& non vindicas ſanguinem no-
ſtrum. Intende voci meæ cum cla-
mavero ad te.* Hoc eſt, vide &
conſidera Domine quid à te
peto; quoniam non peto cor-
poreum deſiderium, aurum,
aut tale aliquid hujus mundi,
ſed ut tuam miſericordiam
conſequar: propterea dicit *in-
tende*, hoc eſt, diligenter audi,
quoniam nihil alienum peto.

verſ. 2. *Dirigatur oratio mea ſicut in-
cenſum in conſpectu tuo*; hoc eſt,
recta veniat ad te oratio mea,
non habens aliquas ſordes aut
vitia, aut cogitationes diabo-
licas: incenſum autem oratio-
nes Sanctorum ſunt, hoc co-
gnoſcimus ex Apocal. quan-
do viginti quatuor Seniores
tenebant *phialas aureas plenas o-* Apoc. 5.
*doramentorum, quę ſunt orationes
Sanctorum. Elevatio manuum me-
arum ſacrificium veſpertinum.* E-
levatio manuum ad Dominū
demonſtrat, quod cognoſci-
mus ipſum creatorem: vide
autem quia non dixit extenſio
manuum mearum; extenſio
enim non eſt elevatio, ſed ex-
tendit aliquis & poſt tergum,
& in latus, hoc eſt, in vitia:
quemadmodum dicit Domi-
nus: *Et cum extenderitis manus* Iſaiæ 1.
*veſtras, avertam oculos meos à vo-
bis: & cum multiplicaveritis ora-
tionem, non exaudiam. Sacrificium
veſpertinum* undecimæ horæ,
id eſt, in Euangelio levo ma-
nus meas: unde Apoſtolus,
Levantes puras manus ad orati- 1. Tim. 2.
ones; & *Moyſes cum levaret ma-* Exod. 17.
nus, vincebat Iſraël, quando au-
tem

Digitized by Google

tem deponebat, vincebatur. Si intelligo Scripturas ſecundum hiſtoriam & ſecundum literam. Moyſes deorſum habet manus; ſi autem ſpiritualiter, elevat manus ſuas in altum.

verſ. 3. *Pone Domine cuſtodiam ori*
Prov 18. *meo: Mors & vita in manibus linguę*: & iterum, *dico autem vo-*
Mat 12. *bis quoniam omne verbum ocioſum quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicij*. Hoc ergò poſtulat Propheta, ut omne quod loquitur, nõ ſit ocioſum, ſed ſanctum, & dignum Deo: *Et oſtium circumſtantiæ labijs meis. Oſtium circumſtantię* quaſi murum in circuitu totius domus poſtulat, ut in nullo vincatur; dicit enim Ie-
Ier. 9. remias, *mors aſcendit per feneſtras noſtras*: feneſtras autem habemus quinque; hæ ſunt, viſus, auditus, guſtus, odora-
Mat 5. tus, & tactus. Si ergò *videro mulierem ad concupiſcendum eam, jam męchatus ſum in corde meo:* & intravit mors per feneſtram meam, hoc eſt, per viſum. Si lira, aut organum, aut calamus, quaſi diſſolvat me, mors intravit per auditum meum: ſi autem aliquid molle tangam, & ſolvam corporis mollia, mors intravit per tactum meum; & cætera ſimiliter. Ergò deprecatur Propheta *oſtium circumſtantiæ*, hoc eſt, ut muniatur tota ejus domus, ut non habeat adverſarius unde ingrediatur & dominetur hominibus: dicitur enim in epiſtola ſancti
Petri, *Adverſarius veſter diabo-* 1. Pet. 5.
lus tamquam leo rugiens, circuit quęrens quem devoret. Diabolus non pugnat citò adverſus aliquem per grandia vitia, ſed per parva; ut poſſit quacumque intrare, & dominari homini, & poſtea eum in majora vitia compellat; non per fornicationem, non per avaritiam, ſed per minora vitia ingreditur.

Non declines cor meum in ver- verſ. 4.
ba malitię, ad excuſandas excuſationes in peccatis. O infęliciſſimum

humanum genus, qui peccata excuſamus, dicentes, victus ſum à natura; cum in poteſtate noſtra ſit peccare, & non peccare; ſemper excuſamus noſmetipſos, & dicimus, ego nolebam peccare, caro me vicit, illa mulier venit ad me, ipſa miſit, ipſa me tetigit, ipſa mihi illud dixit, ipſa me vocavit; & pro quo debueramus pœnitentiam agere, & dicere, Domine peccavi, excuſamus, & conjungimus peccata peccatis. Æquale corpus habemus omnes, diverſos autem labores; non eſt perſonarum acceptor Deus: vis ergò ſcire quod ęquale habemus & nos, & Sancti corpus? Paulus

Romani. 7. Apoſtolus dicet: *video autem aliam Legem in membris meis, repugnantem Legi mentis meæ, & captivantem me in Lege peccati:*

1. Cor. 9. & in alio loco; propterea *caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo, ne fortè cum alijs prædicaverim, ipſe reprobus efficiar:*

Romani. 7. *infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Diverſos labores habemus, & quantum quis laborat, tantum & præmium accipit.

Cum hominibus operantibus iniquitatem, ex communi ſubauditur, *non declines cor meum cum hominibus operantibus iniquitatē, & non communicabo cum electis eorum.* Sicut Dominus habet electos ſanctos; ita & diabolus habet electos ſuos, intelli ge principes hæreticorum, & non dubitabis de *electis eorum*, ſi enim dixiſſet *electos*, & non cum ſubdiſtinctione *eorum*, includeret ſimul electos Dei. *Communicabo*, dupliciter intelligitur, aut conſentiam, aut ſecundus fiam, hoc eſt, immundus.

Corripiet me juſtus in miſericordia, & increpabit me: oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. verſ. 5.

Quem diligit Dominus caſtigat, flagellat autem omnem filium quem recipit. Hæb. 12. Beatus eſt qui hic corripitur, non retribuit Dominus bis in idipſum; magna

gna eſt ira Domini, quando non nobis iraſcitur, reſervat enim nos, ſicut vitulum in occiſionem: ad Ieruſalem enim dicit; *magna ſunt peccata tua, & multę iniquitates, propterea non iraſcor tibi:* hoc eſt, quando adultera eras, tamen zelabam te, quaſi diligens te, quando autem habuiſti multos amatores, contempſi te, & non iraſcor tibi: quemadmodum vir zelat uxorem ſuam quando eã diligit, ſi autem non zelat, odit eam, & non conſequitur illius
Pſal 88. ſermones qui dicit, *viſitabo in virga iniquitates eorum:* & non viſitabo filias earum quando fornicatę fuerint. *Corripiet me juſtus in miſericordia ſua, & increpabit me.* Pone hic magiſtrum aliquem, aut patré, aut medicum; ſi viderit medicus in corpore carnes putridas, & dicat quid ad me pertinet? ſcias quia crudelis eſt: ſi autem pręcidat, & cauterium imponat, miſericors eſt, quia ſanat hominem. Similiter & magiſter ſi dimittit puerum, & non ab eo exigat diſciplinam, odit eum, ſi autem exigat, ut medicus curus, & quæ putatur aſperitas eſſe, clementia eſt. Achab arguitur à Domino quando occidit Naboth, & accepit vineã ejus, & effudit ſanguinem ejus: Elias Propheta miſſus eſt ad eũ: qui dixit, *occidiſti inſuper* 3. Reg. 21.
& poſſediſti: ſtatim conſcientia percuſſus, ſubmiſit cervicem & oculos: & poſtea dicit Scriptura; *ſcidit veſtimenta ſua, & operuit cilicio carnem ſuam, jejunavitque, & dormivit in ſacco, & ambulavit dimiſſo capite,* hoc videns Deus, dixit: *quia humiliatus eſt Achab mei cauſa, non inducam malum in diebus ejus.* Vide ergò quantum valuit cilicium ſubtus purpuram, & jejunium, & modica lachryma, quantum ſanguiné lavit. Ita ergò oportet veſtire cilicium & jejunare, ut nemo videat. *Corripiet* dupliciter intelligitur, aut arguet, aut docebit: *Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum:*

Digitized by Google

à laqueo quem ſtatuerunt mihi de multis: nunc autem de uno, *cadent in retiaculo ejus peccatores:* quẽadmodum Dominus mittit rete, & comprehendit multitudinem piſcium, & habet Apoſtolos piſcatores, colligentes & adferentes ad eum, hoc eſt, eos qui per ipſos credunt; ita & diabolus habet dęmones qui ei ſubjecti ſunt, qui & decipiunt homines, & adferunt illi. *Singulariter ſum ego donec tranſeam.* Dicit Ieremias, *ſolus ſedebam: quoniam comminatione repleſti me*, hoc eſt, minaci prophetia, & ideo amaritudine repletus ſolus hos dolos Ier. 15.

caveo: & Moyſes dicit, *vadam & videbo viſionem hanc magnam*, ſi non tranſierit, videlicet omnia vitia, non poteſt videre *viſionem magnam:* magna autem viſio, quia rubus ardebat, & non incendebatur, ſic ardeant ſpinæ, hoc eſt, peccata noſtra. Hoc igne mundatur & Iſaias; iſte enim eſt carbo qui tetigit labia ejus, qui erat ſuper altare; hujus carbonis meminit & Propheta David, *ſagittæ potentis acutæ cum carbonibus deſolatoriis.* Iſte carbo deſolator eſt, ſolitudinem facit, & purgatorem purgat. Exod. 3. Iſaię 6. Pſal. 119.

PSALMVS CXLI.

Oratio. Præſcribitur iſte titulus ſecundum hiſtoriam quidem cum fugiebat David à facie Saul in deſerto Engaddi, in ſpelunca abſconſus; & ingreſſus eſt ignorans Saul, alvum purgaturus: ſed quoniam habet in præſcriptione, *intellectus David*, debemus ſpiritualiter intelligere Pſalmum; accipiamus 1. Reg. 24.

Digitized by Google

piamus igitur Dominum noſtrum pro vero David, & intelligamus Saul eſſe diabolum, ſpeluncam autem, hunc mundũ, eò quod diabolus non immittit in hunc mundum aliquid boni, ſed ſi quid putridum; ſpelunca autem intelligitur iſte mundus, qui præſertim lumen non habet quantũ
Ioã. 1. ad comparationem futuri ſæculi, ſed quaſi lumen illuxit Dominus, veniens in hunc mundum, pro-
Heb. 1. pterea dicit & Apoſtolus, *qui cum ſit ſplendor gloriæ ejus*. Ergò ſicut David introïvit in ſpeluncam, abſcondens ſe à Saul; ita & Dominus ingreſſus eſt in hunc mundum, & perſecutionem paſſus eſt.

verſ. 1. *Intellectus David.*
Cum eſſet in ſpelunca, oratio.

verſ. 2. *VOce mea ad Dominum clamavi: voce mea ad Dominum deprecatus ſum.*

verſ. 3. *Effundo in conſpectu ejus orationem meam.* Omnia hæc in humilitate corporea loquitur, ut ſe verum hominem ſicut ſępè diximus, manifeſtet, *et tribulationem meam ante ipſum pronuntio.*

verſ. 4. *In deficiendo ex me ſpiritum meum:* neque tribulatio præſens, neque defectio ſpiritus, ei impedimento eſt, ſed jugiter ſpiritualis vocis orationem clamare non deſinit: *& tu cognoviſti ſemitas meas*, doctrinas quas doceo.

In via hac, quâ ambulabam, abſconderunt laqueum mihi. Sępius ei à Iudæis abſconditur temptationum laqueus in via præſentis vitæ, ut in alijs declaravimus Pſalmis.

Conſiderabam ad dexteram, ut verſ. 5.
de ſiniſtra ad dexteram ad-

Digitized by Google

militer autem per auditum, per odoratum, per guſtum, per viſum; & per has omnes virtutes quaſi de uno organo, hymnum & canticum referimus Deo. Dicitur iterum ſalix ſine radice creſcere; ramus enim abſcinditur & plantatur ſecus aquam, & ſtatim vireſcit: ita autem & peccator, licet peccaverit, licet ceciderit, tamen ſi ſit ſecus aquas, hoc eſt, ſi legit Sanctas Scripturas, & audit verbum divinũ à ſancto viro, viret ejus anima, & ad pœnitentiam convertitur.

verſ. 3. *Quia illic interrogaverunt nos, qui captivos duxerunt nos, verba cantionum.*

Et qui abduxerunt nos: hymnum cantate nobis de canticis Sion. Demones qui deceperũt nos, & *captivos duxerunt nos*, nunc quaſi deridentes nos, & gloriantes, dicunt; reddite nobis verbum de fide veſtra, quemadmodum quando eratis in Ieruſalem, hymnum dicebatis Deo.

Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena? verſ. 4. Reſpondent qui peccaverunt & decepti ſunt, & dicunt: *quomodo vobis cantabimus canticum Domini in terra aliena*, id eſt, in peccatis conſtituti? qui cecidimus de Ieruſalem in Babilonem? Ergò non poteſt aliquis ſi non ſit ſanctus, laudare Dominum; peccator enim non debet cãtare Domino, ſed lugere peccata ſua.

Si oblitus fuero tui Jeruſalem, verſ. 5. *oblivioni detur dextera mea.* Ergò qui peccavit & cecidit, reminiſcitur prioris converſationis in Ieruſalem, & proponit ſibi, qui niſi memor ſemper ero, & ſpem in mente habeam, *oblivioni detur dextera mea*, hoc eſt, opera mea: non dixit ſiniſtra mea, ſed *dextera*; ſiniſtra enim ſemper in oblivione eſt: Vis ergò ſemper in memoria Domini eſſe, dexteræ opera fac.

Adhæreat lingua mea faucibus verſ. 6. *meis, ſi non meminero tui:*

Si non

Digitized by Google

Si non propoſuero Jeruſalem, in principio lętitiæ meæ. Hoc eſt, non debeam tibi Domine placere neque opere neq; ſermone, ſi non jugiter tui memoria verſetur in corde meo.

verſ. 7. *Memor eſto Domine filiorum Edom, in die Jeruſalem.*

Qui dicunt: exinanite, exinanite uſque ad fundamentum in ea. Edom interpretatur terrena & ſanguinea; quis ergò eſt niſi diabolus? vide ergò quid dicat ex perſona Adam: Domine memento quoniam me decepit ſerpens diabolus, (qui intelligitur Nabuchodonoſor,) & ejecit me de paradiſo; memento & retribue ei, & ſentiat pœnam, quam ipſe ſua malitia ſuper me induxit, trahens me & adducens in Babilonem & in Aſſirios.

verſ. 8. *Filia Babilonis miſera: Filia Babilonis*, anima eſt quæ ſemper in motione eſt & in confuſione, & non habet firmum ſtatum, ſed eſt in vitijs & peccatis, quę verè miſera eſt. *Beatus, qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuiſti nobis. Beatus eſt* qui retribuit ei quod ipſa fecit, verbi gratia, ejecit me de paradiſo, ego illam reducam per abſtinentiam; ibidem decepit me per fornicationem, ego per caſtitatem reduco illam in Ieruſalem, & ex vitijs in virtutem: ergò non ut inimicus, ſed facio ut amicus.

Beatus, qui tenebit, & allidet verſ. 9.
parvulos tuos ad petram. Parvuli dicuntur cogitationes; ac ſi dicat, vidi mulierem, concupivi eam, ſtatim ſi non abſcidero concupiſcentiam illam, & niſi pedem tenuero, & alliſero ad petram, donec parva eſt concupiſcentia; non poteſt poſtea abſcindi, quando creverit. *Beatus* ergò eſt qui ſtatim abſcindit, *& allidit eam ad petram: petra autem eſt Chriſtus.* 1. Cor. 10.

Psalmvs CXXXVII.

vers. 1. *Confitebor tibi Domine in toto corde meo:* Qualia ſunt vulnera, tale & emplaſtrum: quemadmodum enim corpus habet diverſa vulnera, ita & anima ſuas habet paſſiones & ſua vulnera; & adverſus peccatum dignam pœnitentiam debemus agere: ſi quis de omnibus peccatis ſuis confitetur, iſte *in toto corde* ſuo confitetur Domino, verbi gratia, fornicatus eſt aliquis, confitetur fornicationem, ſed ſi ſimul eſt aut avarus, aut iracundus, aut detractor, aut blaſphemus, & plurima vitia habet, & iſta ſimul non confitetur, ex *toto corde* non confitetur; ſi quis autem pro omnibus vitijs & paſſionibus animæ ſuæ agit pœnitentiam, iſte poteſt dicere, *Confitebor tibi Domine in toto corde meo: quoniam audiſti verba oris mei.* Iſte verſiculus in hebræo non habetur; cæterum quod dicit hoc eſt, propterea *confitebor tibi Domine in toto corde meo*, hoc eſt, pro omnibus vitijs meis & peccatis; quoniam non pro uno vitio confeſſus ſum tibi, & exaudiſti me.

In conſpectu Angelorum pſallam tibi. Vide perfectionem pœnitentis, qui cum Angelis poſt confeſſionem & pœnitentiam meretur pſallere: qui autem pſallit, jam non agit pœnitentiam, ſed gratias agit & benedicit Dominum: * *Adorabo ad Templum ſanctum tuum, & confitebor nomini tuo.* vers. 2. Si hoc eſt templum quod nunc videtur deſertum, in quo oportet adorare, ergò non debent adorare Iudęi, quoniam everſum eſt templum; templum autem dicit ſanctam Ieruſalem & cœleſtem.

Super miſericordia tua, & veritate tua: quoniam magnificaſti

ſuper

ſuper omne, nomen ſanctum tuum. Peccator autem dicit miſericordiam; juſtus autem & ſuperbus, audiat veritatem.

verſ. 3. *In quacumque die invocavero te, exaudi me: Multiplicabis in anima mea virtutem. Multiplicabis virtutem*, hoc eſt, nullis ſollicitudinibus ſubjacere animam meam permittes.

verſ. 4. *Confiteantur tibi Domine omnes reges terræ.* Reges terrę ſunt, qui regnant ſuper peccatum; nec enim de regibus dicit hujus mundi, nam ſcriptum eſt;

Prov 21. *Cor regis in manu Domini.* Putas cor Iuliani principis impijſſimi, in manu Dei fuiſſe? abſit; aut Neronis, aut Maximiani, aut Decij perſecutoris? abſit; ſed de illis dicit, qui regnant ſuper peccatum, quia iſti qui vincunt vitia, & paſſiones animæ, & regnant ſuper peccatum, cor eorum in manu Dei eſt. *Quia audierunt omnia verba oris tui:* quia cuſtodierunt mandata tua.

Et cantent in vijs Domini: quoniam magna eſt gloria Domini. Philoſophi hujus ſæculi, non cantaverunt in vijs Domini; ſed nos cantamus in vijs Domini, hoc eſt, in Moyſe, in Iſaia, & in Ieremia; & de vijs iſtis venimus ad illam viam quę dicit, *Ego ſum via, veritas, & vita.* verſ. 5.

Ioã. 14.

Quoniam excelſus Dominus, & humilia reſpicit: & alta à longè cognoſcit. verſ. 6.

Si ambulavero in medio tribulationis, vivificabis me: & ſuper iram inimicorum meorum extendiſti manum tuam, & ſalvum me fecit dextera tua. verſ. 7.

Dominus retribuet pro me: Domine miſericordia tua in ſæculum: opera manuum tuarum ne deſpicias. verſ. 8.

PSALMVS XXXVIII.

vers. 1. *DOmine probaſti me, & co-*
vers. 2. *gnoviſti me: * tu cognoviſti*
ſeſſionem meam, & reſur-
rectionem meam.

vers. 3. *Intellexiſti cogitationes meas de*
longè: ſemitam meam, & funicu-
lum meum inveſtigaſti.

vers. 4. *Et omnes vias meas prævidiſti:*
quia non eſt ſermo in lingua mea.

vers. 5. *Ecce Domine tu cognoviſti om-*
nia, noviſſima & antiqua: tu for-
maſti me, & poſuiſti ſuper me ma-
num tuam.

vers. 6. *Mirabilis facta eſt ſcientia tua*
ex me: confortata eſt, & non pote-
ro ad eā. Manifeſtius hoc Sym-
machus interpretatus eſt, præ-
tergreditur me ſcientia tua, id
eſt, non poſſum tua ſcire ſe-
creta, & in profundum ſapi-
entię tuę, mens mea non poteſt
introire.

vers. 7. *Quò ibo à Spiritu tuo? & quò*
à facie tua fugiam? Quoniam
autem tuam non poſſim com-
prehendere notitiam cum in
te ſint omnia, nihilq; ſit quod
te fugiat, & ubique ſit Spiritus
tuus, ex hoc intelligimus te
Deum eſſe, qui totus ubique
ſis.

Si aſcendero in cælum, tu illic vers. 8.
es: ſi deſcendero ad infernum, ades.

Si ſumpſero pennas meas dilu- vers. 9.
culo, & habitavero in extremis
maris:

Etenim illùc manus tua deducet vers. 10.
me: & tenebit me dextera tua.
Nulla altitudo altior te eſt,
nullum profundum te pro-
fundius, Oriens & Occidens
in tua continetur manu.

Et dixi: forſitan tenebrę con- vers. 11.
culcabunt me: & nox illuminatio
mea in delicijs meis. In hebraico
ſenſus iſte eſt: *& dixi, forſitan*
conculcabunt me tenebræ; econ-
trariò autem, *nox* ipſa apud te
lumen eſt: quæ nihil te celare
poteſt; quod & Symmachus
melius interpretatus eſt, dicens.
Et nox lux circum me ſedet:
ſed

Digitized by Google

ſed & ſequentes verſiculi hoc idem ſignificant.

verſ. 12. *Quia tenebræ non obſcurabuntur à te, & nox ſicut dies illuminabitur: ſicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus.* Id eſt, tam clara ſunt omnia quæ à te putantur occulta, ut manifeſtiora ſint luce.

verſ. 13. *Quia tu poſſediſti renes meos. Suſcepiſti me de utero matris meæ.* Quinta editio ita tranſtulit; conflaſti me de ventre matris meę.

verſ. 14. *Confitebor tibi, quia terribiliter magnificatus es: mirabilia opera tua, & anima mea cognoſcit nimis.*

verſ. 15. *Non eſt occultatum os meum à te quod feciſti in occulto: & ſubſtantia mea in inferioribus terræ.*

verſ. 16. *Imperfectum meum viderunt oculi tui. Imperfectum* hìc pro incompoſito poſuit, quod etiam elementa hominis antequam formetur in utero, cognoſcat Deus. *Et in libro tuo omnes ſcribentur*: eò quod nullus abſque voluntate naſcitur Dei, nec quiſquam notitiam ejus ſubterfugiat: *dies formabuntur & nemo in eis.* Hunc locũ Symmachus ita tranſtulit. Dies quibus formati ſunt, nec una quidem deeſt de ijs: & eſt ſenſus, omne tempus ætatis cui jam ab exordio vitę iſtius ſunt curricula deputata, certo fine decurrit, nec una dies aut plus aut minus eſt, quam tu conditor eſſe voluiſti. Secundum ſeptuaginta autem interpretes, ſenſus eſt, tu omnes in die formas; tu cunctos vis eſſe filios Dei, ſed nullus eſt in hominibus qui non peccato obnoxius fiat, & per hoc homo, noctis eſſe incipiat filius, nec quiſquam eorum luce ipſius diei, toto vitæ ſuæ tempore, digna perficiat. Vnde & Apoſtolus ad eos qui filij noctis eſſe ceſſaverunt, loquitur: *Omnes enim vos filij lucis eſtis, & filij diei.*

Mihi autem nimis honorificati verſ. 17.
ſunt amici tui, Deus: nimis confortatus eſt principatus eorum.

Dinumerabo eos, & ſuper are- verſ. 18.
nam multiplicabuntur: exurrexi, & adhuc ſum tecum.

Si

meum in die belli.
verſ. 9. *Ne tradas me Domine à deſi-*
derio meo peccatori: cogitaverunt
contra me, ne derelinquas me, ne
fortè exaltentur. Dicit Scriptu-
Mat 5. ra quod *omnis qui viderit muli-*
erem ad concupiſcendam eam, jam
mæchatus eſt in corde ſuo: Ergò
hoc dicit Propheta, non pro-
pter concupiſcentiam meam
tradas me diabolo, nam benè
me habet in opere judicare,
ſed non in cogitatione.
verſ. 10. *Caput circuitus eorum: labor*
labiorum ipſorũ operiet eos. Quẽ-
admodum ſerpens, quando
viderit aliquem venientem ad
percutiendum, circulum facit
corporis ſui, & in medio celat
caput, ubi ſcit ſe habere vitam:
ita & iſti hæretici per ſermo-
nem Philoſophorum, (ut Ari-
ſtotelis & cæterorum,) viden-
tur ſe abſcondere; & quaſi pro-
tegere & defendere, ſed Eccle-
ſiaſticus vir, quaſi in virga,
hoc eſt, in cruce, ſolvit circu-
lum, & invenit caput latens, &
ibi eum percutit, hoc eſt, teſti-
monium profert de Scriptu-
ris.
Cadent ſuper eos carbones, in verſ. 11.
ignem dejicies eos: & in miſerijs
non ſubſiſtent.
Vir linguoſus non dirigetur in verſ. 12.
terra: virum injuſtum mala ca-
pient in interitu.
Cognovi quia faciet Dominus verſ. 13.
judicium inopis, & vindictam
pauperum.
Verumtamen juſti confitebun- verſ. 14.
tur nomini tuo: & habitabunt re-
cti cum vultu tuo. Vultus Dei
quid eſt niſi Chriſtus? *qui non* Phil. 2.
rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqua-
lem Deo.

PSALMUS CXL.

verſ. 1. D*Omine clamavi ad te, exau-*
di me: Moyſes ſtabat cũ
populo, & Pharao per-
ſequebatur poſt tergum ejus, &
undiq; anguſtia illi erat: in illo
tẽpore lachrymatus eſt ad Do-

minum, & cōtinuò Dominus ad eum; *quid clamas ad me?* dum cum ſilentio orabat, exauditus eſt; Scriptura autem non meminit quis locutus ſit, ſed tantum quis lachrymatus ſit. Et ſanguis martyrū ſemper clamat ad Dominum, & exauditur, & Dominus locutus eſt ad Cain: *Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Et in Apocalypſi Iohannis, animæ juſtorum ſubtus altare dicebant ad Dominum: *uſquequo Domine (ſanctus & verus) non judicas & non vindicas ſanguinem noſtrum. Intende voci meæ cum clamavero ad te.* Hoc eſt, vide & conſidera Domine quid à te peto; quoniam non peto corporeum deſiderium, aurum, aut tale aliquid hujus mundi, ſed ut tuam miſericordiam conſequar: propterea dicit *intende,* hoc eſt, diligenter audi, quoniam nihil alienum peto.

[Exod. 14.] [[illegible] dum cor, & pro populo lachrymabiliter ingemiſcēs, Scriptura clamorem vocat. S. Ier. in c. 4. ad Gal. lib. 2.] [Gen 4.] [Apoc. 6.]

verſ. 2. *Dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo;* hoc eſt, recta veniat ad te oratio mea, non habens aliquas ſordes aut vitia, aut cogitationes diabolicas: incenſum autem orationes Sanctorum ſunt, hoc cognoſcimus ex Apocal. quando viginti quatuor Seniores tenebant *phialas aureas plenas odoramentorum, quæ ſunt orationes Sanctorum. Elevatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum.* Elevatio manuum ad Dominū demonſtrat, quod cognoſcimus ipſum creatorem: vide autem quia non dixit extenſio manuum mearum; extenſio enim non eſt elevatio, ſed extendit aliquis & poſt tergum, & in latus, hoc eſt, in vitia: quemadmodum dicit Dominus: *Et cum extenderitis manus veſtras, avertam oculos meos à vobis: & cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam. Sacrificium veſpertinum* undecimæ horæ, id eſt, in Euangelio levo manus meas: unde Apoſtolus, *Levantes puras manus* ad orationes; & *Moyſes cum levaret manus, vincebat Iſraël,* quando autem

[Apoc. 5.] [Iſai. 1.] [1. Tim. 2.] [Exod. 17.]

tem deponebat, vincebatur. Si intelligo Scripturas ſecundum hiſtoriam & ſecundum literam. Moyſes deorſum habet manus; ſi autem ſpiritualiter, elevat manus ſuas in altum.

verſ. 3. *Pone Domine cuſtodiam ori* Prov 18. *meo: Mors & vita in manibus linguę*: & iterum, *dico autem vo-* Mat 12. *bis quoniam omne verbum ocioſum quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicij*. Hoc ergò poſtulat Propheta, ut omne quod loquitur, nõ ſit ocioſum, ſed ſanctum, & dignum Deo: *Et oſtium circumſtantiæ labijs meis. Oſtium circumſtantię* quaſi murum in circuitu totius domus poſtulat, ut in nullo vincatur; dicit enim Ie- Iere. 9. remias, *mors aſcendit per feneſtras noſtras*: feneſtras autem habemus quinque; hæ ſunt, viſus, auditus, guſtus, odoratus, & tactus. Si ergò *videro* Mat 5. *mulierem ad concupiſcendum eam, jam mechatus ſum in corde meo*: & intravit mors per feneſtram meam, hoc eſt, per viſum. Si lira, aut organum, aut calamus, quaſi diſſolvat me, mors intravit per auditum meum: ſi autem aliquid molle tangam, & ſolvam corporis mollia, mors intravit per tactum meum; & cætera ſimiliter. Ergò deprecatur Propheta *oſtium circumſtantiæ*, hoc eſt, ut muniatur tota ejus domus, ut non habeat adverſarius unde ingrediatur & dominetur hominibus: dicitur enim in epiſtola ſancti Petri, *Adverſarius veſter diabo-* 1. Pet. 5. *lus tamquam leo rugiens, circuit quęrens quem devoret*. Diabolus non pugnat citò adverſus aliquem per grandia vitia, ſed per parva; ut poſſit quacumque intrare, & dominari homini, & poſtea eum in majora vitia compellat; non per fornicationem, non per avaritiam, ſed per minora vitia ingreditur.

Non declines cor meum in ver- verſ. 4. *ba malitię, ad excuſandas excuſationes in peccatis*. O infęliciſſimum

 huma-

Digitized by Google

humanum genus, qui peccata excuſamus, dicentes, victus ſum à natura; cum in poteſtate noſtra ſit peccare, & non peccare; ſemper excuſamus noſmetipſos, & dicimus, ego nolebam peccare, caro me vicit, illa mulier venit ad me, ipſa miſit, ipſa me tetigit, ipſa mihi illud dixit, ipſa me vocavit; & pro quo debueramus pœnitentiam agere, & dicere, Domine peccavi, excuſamus, & conjungimus peccata peccatis. Æquale corpus habemus omnes, diverſos autem labores; non eſt perſonarum acceptor Deus: vis ergò ſcire quod ęquale habemus & nos, & Sancti corpus? Paulus
Romā. 7. Apoſtolus dicet: *video autem aliam Legem in membris meis, repugnantem Legi mentis meæ, & captivantem me in Lege peccati:*
1. Cor. 9. & in alio loco; propterea *caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo, ne fortè cum alijs prædicaverim, ipſe reprobus efficiar:*
Romā. 7. *infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Diverſos labores habemus, & quantum quis laborat, tantum & præmium accipit.

Cum hominibus operantibus iniquitatem, ex communi ſubauditur, *non declines cor meum cum hominibus operantibus iniquitatē, & non communicabo cum electis eorum.* Sicut Dominus habet electos ſanctos; ita & diabolus habet electos ſuós, intelige principes hæreticorum, & non dubitabis de *electis eorum*, ſi enim dixiſſet *electos*, & non cum ſubdiſtinctione *eorum*, includeret ſimul electos Dei. *Communicabo*, dupliciter intelligitur, aut conſentiam, aut ſecundus fiam, hoc eſt, immundus.

Corripiet me juſtus in miſericordia, & increpabit me: oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. vers. 5. *Quem diligit Dominus caſtigat, flagellat autem omnem filium quem recipit.* Hæb. 12. Beatus eſt qui hìc corripitur, non retribuit Dominus bis in idipſum; ma-

gna

Digitized by Google

gna eſt ira Domini, quando non nobis iraſcitur, reſervat enim nos, ſicut vitulum in occiſionem: ad Ieruſalem enim dicit; *magna ſunt peccata tua, & multę iniquitates, propterea non iraſcor tibi*: hoc eſt, quando adultera eras, tamen zelabam te, quaſi diligens te, quando autem habuiſti multos amatores, contempſi te, & non iraſcor tibi: quemadmodum vir zelat uxorem ſuam quando eã diligit, ſi autem non zelat, odit eam, & non conſequitur illius
Pſal 88. ſermones qui dicit, *viſitabo in virga iniquitates eorum*: & non viſitabo filias earum quando fornicatę fuerint. *Corripiet me juſtus in miſericordia ſua, & increpabit me.* Pone hic magiſtrum aliquem, aut patrẽ, aut medicum; ſi viderit medicus in corpore carnes putridas, & dicat quid ad me pertinet? ſcias quia crudelis eſt: ſi autem pręcidat, & cauterium imponat, miſericors eſt, quia ſanat hominem. Similiter & magiſter ſi dimittit puerum, & non ab eo exigat diſciplinam, odit eum, ſi autem exigat, ut medicus curus, & quæ putatur aſperitas eſſe, clementia eſt. Achab arguitur à Domino quando occidit Naboth, & accepit vineã ejus, & effudit ſanguinem ejus: Elias Propheta miſſus eſt ad eũ: qui dixit, *occidiſti inſuper & poſſediſti*: ſtatim conſcien- 3. Reg. 21.
tia percuſſus, ſubmiſit cervicem & oculos: & poſtea dicit Scriptura; *ſcidit veſtimenta ſua, & operuit cilicio carnem ſuam, jejunavitque, & dormivit in ſacco, & ambulavit dimiſſo capite*, hoc videns Deus, dixit: *quia humiliatus eſt Achab mei cauſa, non inducam malum in diebus ejus.* Vide ergò quantum valuit cilicium ſubtus purpuram, & jejunium, & modica lachryma, quantum ſanguinẽ lavit. Ita ergò oportet veſtire cilicium & jejunare, ut nemo videat. *Corripiet* dupliciter intelligitur, aut arguet, aut docebit: *Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum:*

Digitized by Google

Isaie 3. *Populæ meus: qui te beatum dicunt, ipſi te decipiunt.* Laus hæreticorum, & *oleum* ipſorum quo ungunt capita hominum, & promittunt eis regna cœlorum, impinguat caput; omne autẽ pingue reprehendit Scri-
Deut 32. ptura, ſicut dicitur; *incraſſatus eſt dilectus, & recalcitravit: incraſſatus, impinguatus, & dilatatus*. Manna autem Angelorum tenue eſt.

Quoniam adhuc & oratio mea in beneplacitis eorum: Ipſi quidem ſapiebant, ego autem pro ipſis orabam, ut convertantur.
verſ. 6. * *Abſorpti ſunt juncti petræ judi-*
Pſal. 136. *ces eorum*; ſicut alibi dicit, *Beatus qui tenebit, & allidet parvulos*
1. Cor. 10. *ſuos ad petram: petra autem erat Chriſtus*, parvuli autem, minores & parvæ cogitationes antequam creſcant; & nunc ipſi hæretici per Ariſtotelem & Platonem videntur ſimplicitatem Eccleſiæ contemnere, tamen cum venerint ad Scripturas, ſtatim abſorbentur à petra, hoc eſt, à Chriſto; & convertuntur ad eum. Abſorbitio enim pro victoria dicitur, ſicut Apoſtolus dicit; *abſor-* 1. Cor. 15.
pta eſt mors in victoria, ubi eſt mors victoria tua? ubi eſt mors ſtimulus tuus? victoriam autem dicit ipſam abſorbitionem; quã victoriam habebat in abſorbendo.

Audient verba mea quoniam potuerunt: Ipſe Dominus dicit, cum ad te venerunt, victi ſunt. Et delectati ſunt verbis meis, & converſi ſunt ad me in Eccleſia mea * *ſicut craſſitudo terræ:* verſ. 7.
omne craſſum vicinum eſt terræ, & animæ quæ peccant, terræ hærent; Dominus enim excepto vitio omnia tenuia fecit, ſuo ergò vitio unuſquiſque incraſſatur, & deducitur in terram; ſicut vulnus in corpore tumens, craſſum eſt & plenum, ſed quando venerit medicus ſecat ipſum, & ſanat, & tenue facit; & tunc redigitur in ſuam naturam, ſicut creatũ eſt; ideo dicit, *ſicut craſſitudo terrę erupta eſt ſuper terrã.*

Diſſipata

Digitized by Google

Diſſipata ſunt oſſa noſtra ſecus
verſ. 8. *infernum:* * *Quia ad te Domine,*
Domine oculi mei: in te ſperavi,
non auferas animam meam. Sal-
vator noſter apud Pſalmiſtam
Pſal. 21. dicit, *diſperſa ſunt omnia oſſa mea:*
Si hoc ſecundum literam in-
telligimus, non ſtat, ſiquidem
crucifixus eſt: tamen cum vi-
deris Arium, vel Eunomium
extra Eccleſiam, intellige *diſſi-*
pata eſſe *oſſa Domini ſecus infer-*
num. Os quod fortè eſt, ipſi
majores ſunt, qui videntur a-
liquid eſſe per multiloquium
ipſorum, ſed per Philoſophiã,
& per contentionem ſeducun-
tur ab hæreticis.

verſ. 9. *Cuſtodi me à laqueo quem ſta-*
tuerunt mihi: Semper nobis la-
queos oſtendunt, aut hæretici,
aut dęmones, vitia enim vici-
na ſunt virtutibus; laqueum
mihi ponunt in elemoſina, ſi
extendero manum meam ut
videant homines, & quaſi bo-
num faciens venio in vitium
& in peccatum: ſicut ſi dedero
tunicam fratri, ut alter videat,
laqueum mihi ponunt. Sem-
per cervis tenduntur retia &
laquei, & ponuntur ubi veſti-
gia eorum comprehenderit ve-
nator: Cervus autem accipi-
tur pro Sancto, qui altus eſt, &
cornua grandia habet, & inter-
ficit ſerpentes; propterea dicit
alibi, *qui perfecit pedes meos tam-* Pſal.
quam cervorum: talis enim dici- 17.
tur eſſe virtutis, ut ſpiritu nari-
um ſuorum extrahat ſerpentes
de cavernis, & ſic diſcerpat. Ip-
ſi ergò ſerpentes, (hoc eſt, dæ-
mones,) ponunt nobis ſcan-
dala in ipſis veſtigijs noſtris,
ubi gradimur in virtutibus; in
elemoſina, ut coram homini-
bus faciamus propter vanam
gloriam; in jejunio, in oratio-
ne, veſtiendo ciliciũ, & oſten-
dendo hominibus: qui enim
veſtitur cilicio, debet lugere
peccata ſua, & non gloriari, &
oſtendere hominibus. *Et à*
ſcandalis operantium iniquitatem,
hoc eſt, ut non offendam.

Cadent in retiaculo ejus pecca- verſ.
tores: ſuperius dixit, *cuſtodi me* 10.
à laqueo

Digitized by Google

à laqueo quem ſtatuerunt mihi de multis: nunc autem de uno, *cadent in retiaculo ejus peccatores:* quęadmodum Dominus mittit rete, & comprehendit multitudinem piſcium, & habet Apoſtolos piſcatores, colligentes & adferentes ad eum, hoc eſt, eos qui per ipſos credunt, ita & diabolus habet dęmones qui ei ſubjecti ſunt, qui & decipiunt homines, & adferunt illi. *Singulariter ſum ego donec tranſeam.* Dicit Ieremias, *ſolus ſedebam: quoniam cominatione repleſti me*, hoc eſt, minaci prophetia, & ideo amaritudine repletus ſolus hos dolos caveo: & Moyſes dicit, *vadam & videbo viſionem hanc magnam*, ſi non tranſierit, videlicet omnia vitia, non poteſt videre *viſionem magnam:* magna autem viſio, quia rubus ardebat, & non incendebatur, ſic ardeant ſpinæ, hoc eſt, peccata noſtra. Hoc igne mundatur & Iſaias; iſte enim eſt carbo qui tetigit labia ejus, qui erat ſuper altare; hujus carbonis meminit & Propheta David, *ſagittæ potentis acutæ cum carbonibus deſolatoriis.* Iſte carbo deſolator eſt, ſolitudinem facit, & purgatorem purgat.

Ier. 15. Exod. 3. Iſaie 6. Pſal. 119.

PSALMUS CXLI.

Oratio. Præſcribitur iſte titulus ſecundum hiſtoriam quidem cum fugiebat David à facie Saul
1 Reg. 24. in deſerto Engaddi, in ſpelunca abſconſus; & ingreſſus eſt ignorans Saul, alvum purgaturus: ſed quoniam habet in præſcriptione, *intellectus David*, debemus ſpiritualiter intelligere Pſalmum; accipiamus

Digitized by Google

piamus igitur Dominum noſtrum pro vero David, & intelligamus Saul eſſe diabolum, ſpeluncam autem, hunc mundũ, eò quod diabolus non immittit in hunc mundum aliquid boni, ſed ſi quid putridum; ſpelunca autem intelligitur iſte mundus, qui præſertim lumen non habet quantũ
Ioã. 1. ad comparationem futuri ſæculi, ſed quaſi lumen illuxit Dominus, veniens in hunc mundum, pro-
Heb 1. pterea dicit & Apoſtolus, *qui cum ſit ſplendor gloriæ ejus*. Ergò ſicut David introïvit in ſpeluncam, abſcondens ſe à Saul; ita & Dominus ingreſſus eſt in hunc mundum, & perſecutionem paſſus eſt.

verſ. 1. *Intellectus David.*
Cum eſſet in ſpelunca, oratio.

verſ. 2. *VOce mea ad Dominum clamavi: voce mea ad Dominum deprecatus ſum.*

verſ. 3. *Effundo in conſpectu ejus orationem meam.* Omnia hæc in humilitate corporea loquitur, ut ſe verum hominem ſicut ſępè diximus, manifeſtet, *& tribulationem meam ante ipſum pronuntio.*

verſ. 4. *In deficiendo ex me ſpiritum meum:* neque tribulatio præſens, neque defectio ſpiritus, ei impedimento eſt, ſed jugiter ſpiritualis vocis orationem clamare non deſinit: *& tu cognoviſti ſemitas meas*, doctrinas quas doceo.

In via hac, quâ ambulabam, abſconderant laqueum mihi. Sępius ei à Iudæis abſconditur temptationum laqueus in via præſentis vitæ, ut in alijs declaravimus Pſalmis.

Conſiderabam ad dexteram, ut verſ. 5.
de ſiniſtra ad dexteram ad-

Digitized by Google

ducerentur, *& videbam: & non erat qui cognoſceret me*, Deum carne contectum.

Periit fuga à me: perijt fuga ejus, cum quęſitus à Iudæis, ſępius ultro ſe ipſum obtulit, nec eſt agnitus ab eis; *& non eſt qui requirat animam meam*; corpus accipiunt ad crucifigédum, animam autem non requirunt, id eſt, non attingunt.

verſ. 6. *Clamavi ad te Domine*, de cruce, *dixi: tu es ſpes mea*; commendans in manibus tuis ſpiritum meum: *portio mea in terra viventium*, in ſanctis qui in eam transferuntur; ſicut & latroni

Luc. 23. ait. *Amen dico tibi: quia hodiè mecum eris in paradiſo.*

verſ. 7. *Intende ad deprecationem meam: quia humiliatus ſum nimis.*

Libera me à perſequentibus me: quoniam confortati ſunt ſuper me.

Educ de cuſtodia animam meam ad confitendum nomini tuo: verſ. 8.
Apprehendite, ſe educi ex inferni carcere poſtulat, ut reſurrectio ejus paterni nominis honor ſit, atque confeſſio: ſed à quibus ſit confitendum, oſtendit dicens; *me exſpectant juſti* Apoſtoli, vel reliqui ſancti, quorum expectationi cum reſurrexero ſatisfacio; *donec retribuas mihi* claritatem illam, *quam habui priuſquam mundus fieret apud te.* Ioã. 17.
Et nos humiliter deprecamur ac petimus, ut ſuſcepta voce clamoris noſtri, eductos ex inferni carcere, illuc jubeas transferri de morte, ubi pendenti latroni pręparaſti locum lucidum ac quietum; quia tibi eſt honor & gloria, cum Patre & Spiritu ſancto, in ſęcula ſęculorum, Amen.

PSAL-

Digitized by Google

PSALMVS CXLII.

Pſalmus vocem continet illius, qui pro humana redemptione ſeipſum exinanivit, accipiens formam ſervi: ut nos erueret à ſervitute.

Pſalmus David.

2. Reg. 17. Quando perſequebatur eum Abſolom filius ejus.

vers. 1. *DOmine exaudi orationem meam:* Humilia verba, plena humilitatis & miſericordię; *Auribus percipe obſecrationem meam in veritate tua:* Confidentis verba ſunt, *in veritate tua*, hoc eſt, in Chriſto
Ioā. 14. tuo, qui eſt *via, veritas, & vita. Exaudi me in tua juſtitia*, id eſt, in Chriſto, hoc eſt, non confido de me, ſed veritatem & juſtitiam tuam peto, ut ipſa mei miſereatur.

vers. 2. *Et non intres in judicium cum ſervo tuo.* Ecce manifeſtiſſimè demonſtravit, quoniam miſericordiam Chriſti præſtolatur dicens, *& non intres in judicium cum ſervo tuo:* hic loquitur quaſi aliquis judicet inter Deum & Prophetam, ſicut & in alio Pſalmo ſcriptum eſt, *ut juſtifi-* Pſal. 50.
ceris in ſermonibus tuis, & vincas cum judicaris: nam propterea in judicium intrat Deus, ut miſereatur, aut juſtè puniat. Tale Xenophon de pædia Cyri l. 3.
judicium fecit Cyrus rex Perſarum & Medorum, Armenio, cum ipſum, uxorem, & filios judicavit. *Quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens: Deus Abraham, Deus Iſaac, &* Mat 22.
Deus Iacob, Deus viventium & non mortuorum, ergò nec ipſi Patriarchæ juſtificabuntur in conſpectu Dei, *ſtellæ enim non* Iob. 25.
ſunt mundæ in conſpectu ejus.

Quia perſecutus eſt inimicus a- vers. 3.
nimam meam. Hoc interpreta-

Digitized by Google

tione non indiget, nulli enim dubium, quin ſit diabolus; *humiliavit in terra vitam meam*, hoc eſt, antea alas habebam & volabam, nunc autem perſecutus eſt me inimicus, & comprehendit, & ligavit mihi manus & pedes: quemadmodum & volatile ab homine comprehenditur, & quaſi videtur mortuum eſſe, quia non habet licentiam alarum ſuarum ut volet, ita & me (inquit) inimicus ligavit conſcientia peccatorum meorum.

Collocavit me in obſcuris ſicut mortuos ſęculi. Sicut mortuos ſæculi, adhuc nondum mortuos, ſi quis autem peccans non agit pœnitentiam, hic mortuus eſt ſęculi, & non ſicut mortuus, ſed perfectus mortuus. Hoc ergò putavit de me inimicus, quia non ago pœnitentiam pro peccatis meis, quæ ipſe mi-
verſ. 4. hi ſuggeſſit ut faciam. * *Et an-*
xiatus eſt ſuper me ſpiritus meus, tu prior dic peccata tua ut juſtificeris. Et iterum, *In quacumque hora peccator ingemuerit, &c. In me turbatum eſt cor meum*, propter conſcientiam meam, quia peccavi.

Memor fui dierum antiquorum, verſ. 5.
meditatus ſum in omnibus operibus tuis: & in factis manuum tuarum meditabar: dierum meorum memor fui, quoniam habebã confidentiam, nunc autem mihi nox eſt.

Expandi manus meas ad te: li- verſ. 6.
gatus ab inimico, nihil aliud poſſum facere, niſi pœnitentiam agere, & manus meas ad te levare: *Anima mea ſicut terra ſine aqua tibi.* Sicut terra ſine aqua ſitit, & quærit imbrem, ita anima mea deſiderat & ſitit te Deum ſuum.

Velociter exaudi me Domine: verſ. 7.
defecit ſpiritus meus.

Non avertas faciem tuam à me: & ſimilis ero deſcendentibus in lacum. Anima mea defecit, caro mea defecit, ſpiritus tantum remanſit in me, & ipſe defecit: *ſed velociter exaudi me, & miſerere mei.*

Auditam

verſ. 8. *Auditam fac mihi manè miſericordiam tuam: quia in te ſperavi.*

Notam fac mihi viam in qua ambulem, quia ad te levavi animã meam. Chriſtum tuum notum
Ioã. 14. fac mihi, qui dixit *ego ſum via, &c.*

verſ. 9. *Eripe me de inimicis meis Domi-*
verſ. 10. *ne, ad te confugi,* * *doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.*

Spiritus tuus bonus deducet me
verſ. 11. *in terram rectam,* * *propter nomen tuum Domine vivificabis me, in æquitate tua.* Hic impiiſſimi Ariani proponunt nobis & di-
Mat 19. cunt; *Magiſter bone, quid boni faciam ut habeam vitam æternam? qui dixit ei, quid me interrogas de bono? nemo bonus niſi unus Deus:* ergò ſi filius non eſt bonus, ſed pater, major eſt pater filio, ergò ſecundum tuum ſenſum impiiſſime Ariane, quis major eſt Filius aut Spiritus ſanctus? utique dicis filius; hic Propheta dicit: *Spiritus tuus bonus deducet me in terrã rectam;* ergò ſi Spiritus bonus eſt qui minor eſt, ſicut tu dicis, multo magis Filius bonus eſt, qui major eſt Chriſtus. In Euangelio autem ita habes, *& ecce unus accedens de Scribis tentans eum, ait illi, Magiſter bone, &c. &* Mat 19.
ait, quid me dicis bonum, &c. ſi me non confiteris? Sicut ſi aliquis diceret Epiſcopo ſuo quem contemnit, Epiſcope, & ille reſpondet tibi, non ſum Epiſcopus; recede à me. Alibi autem non legiſtis, *bonus paſtor* Ioã. 10.
animam ſuam ponit pro ovibus ſuis; quid autem melius Filio, qui carnẽ induit propter nos, & manſit novem menſes in utero virginis, & deſcendens de ſua majeſtate, in cunabilis hic fuit, & paſſus eſt per ſingula momenta, ac permiſit ſe verberari, & alapis cedi, & crucifigi? quid illo melius?

Educes de tribulatione animam meam, * *& in miſericordia tua di-* verſ. 12.
ſperdes inimicos meos.

Et perdes omnes qui tribulant animam meam: quoniam ego ſervus tuus ſum.

Digitized by Google

Psalmvs CXLIII.

Propter eos qui ignorant latinam linguam, licet multa de Euangelio dixerimus; debemus tamen de Pſalterio quędam dicere, ut alijs ſaturatis, alij jejuni non recedant: quoniam autem longus eſt Pſalmus; & ſi voluerimus in ſingulis verſiculis immorari, dies præteribit, debemus breviter ad ſingula quæque ſenſus magis quam verba replicare.

Pſalmus David.
Adverſus Goliath.

verſ. 1. *Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium.* Qui breviter hæc interpretatur, hoc conſequitur, ut ipſe laudē non habeat, & tamen quodcumque interpretatum eſt, retineant illi qui audierunt. *Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum.* Levemus manus in ſancta ſine cogitationibus & diſceptationibus, & levemus in omni loco; & cū levaverimus manus noſtras, orationes noſtræ ad Deum, arma ſunt contra diabolum; *Qui docet manus meas ad prelium, & digitos meos ad bellum*: hæc eſt lira noſtra, hæc eſt cythara, in hac cantemus Domino.

Miſericordia mea, & refugium meum: ſuſceptor meus, & liberator meus. verſ. 2.

Protector meus, & in ipſo ſperavi: tantis nominibus appellatur Deus; quot beneficia, tot nomina. *Qui ſubdis populum meum*

meum ſub me. Hoc poteſt ex perſona Chriſti dici, hoc eſt, ex aſſumpto homine: poteſt autem ex perſona Apoſtolorum dici, ſi legatur, *qui ſubdis populum meum ſub me:* dicat hoc & Sanctus Pater in monaſterio, & gratias referat Deo, dicens, *Benedictus Dominus Deus meus, qui ſubdis populum meum ſub me:* non enim mihi ſubjicitur, ſed tibi, ideo mihi ſervit, ut tibi ſerviat:

verſ. 3. *Domine quid eſt homo, quia innotuiſti ei? aut filius hominis quia reputas eum?* hoc ipſum & in

Pſal. 8. octavo Pſalmo legitur, *quid eſt homo quod memor es ejus, aut filius hominis quoniam viſitas eum? Domine quid eſt homo quia innotuiſti ei?* de fragilitate corporis, & humana conditione loquitur; & quid dicit? ſi carnem aſpicias, quid eſt homo, ſi ſpiritum, grande eſt homo: non deſpicimus carnem, ſed carnis opera condemnamus, non deſpiciamns carnẽ quæ cum Chriſto regnat in cœlo: ſed *caro & ſanguis Regnum Dei non poſſidebunt:* non caro & ſanguis, 1. Cor. 15. ſed carnis opera, regnum Dei non poſſidebunt; ſed quæ in Chriſto regnat, & cum qua conſidebimus cum Chriſto in cœleſtibus, illa regnum Dei poſſidebit. *Domine quid eſt homo quia innotuiſti ei, aut filius hominis quia reputas eum?* Gratias agit Deo, & quod dicit hoc eſt, quantum ad humanã conditionem homo nihil eſt, *vanitas vanitatum (dixit Eccleſiaſtes) & omnia vanitas:* Eccl. 12. ſi omnia vanitas, ergò & cœlum, ergò & Angeli, ſi cœlum & Angeli vanitas, homo quanta vanitas? & ſi Angeli vanitas, ſi cœlum vanitas: Deus ergò vanitatem quare operatus eſt? vanitas hæc omnia ad comparationem Dei, cęterum per ſe, non vanitas. *Domine quid eſt homo quia innotuiſti ei?* Grandis hominis fœlicitas, ſcire creatorem ſuum: in hoc à beluis diſtamus & à beſtijs, quia nos intelligimus creatorẽ noſtrum, illa

Digitized by Google

illa non intelligunt. Sed & ipſe ſtatus corporis, ſuum quærit artificem, cæterum animalia terram reſpiciunt; & ibi venter, ubi oculi: ſed oculi noſtri ad cœlum erecti ſunt, ut etſi mens fuerit obcæcata, tamen invictis oculis cœlum videamus.

verſ. 4. *Homo vanitati ſimilis factus eſt: dies ejus ſicut umbra pretereunt.* Verè dies noſtri quaſi umbra; fui infantulus, fui puer, fui adoleſcentulus, fui juvenis, fui vir, hoc eſt, ætatis perfectæ: fui mediç, dum neſcio; ſenex ſum, ſenectuti mors ſubrepit. Mutor quotidiè, & nihil me eſſe non ſentio: ne uno quidem momento horæ ſtamus in ſtatu noſtro, ſed ſemper aut creſcimus, aut decreſcimus. Ergò homo per momenta mutatur; & dum neſcit, interit. Ergò ſenex recordor, quid infantulus fuerim, quid fecerim, quoniam luſerim, quoniam huc illucq; diſcurrerim; nunc me video nimio pondere prægravatum. *Dies ejus ſicut umbra prætereunt.* Vita noſtra umbra eſt, videtur, & ſubſtantiã non habet, quod autem ſubſtantiam non habet, citò pręterit: quia ergò tam miſerabilis eſt homo, quia tam infirmus, quid deprecamur? quid rogamus? quid dicit Propheta? quid deprecatur?

Domine inclina cœlos tuos, & deſcende: verſ. 5. non poteris ſervare iſtam hominis vilitatem, niſi ipſe eam indueris: *Domine inclina cœlos tuos & deſcende.* Quis ovis erronea ſanari poterit, niſi tuis humeris reportetur? *tange montes & fumigabunt: Amen, amen dico vobis, ſi habueritis* Matt. 17. *fidem ſicut granum ſinapis: dicetis huic monti tranſi hinc, & tranſibit.* Hoc de lunatico dicebatur, quem Diſcipuli curare non poterant. Scriptum eſt in Ieremia; *date Domino Deo veſtro* Iere. 13. *gloriam antequam contenebreſcat, & antequam offendant pedes veſtri ad montes caliginoſos:* Hoc totum

totum quare diximus? quia ſequitur, *tange montes & fumigabunt*: Montes qui regnant, Montes qui erecti ſunt per ſuperbiam, qui dicunt *meus eſt fluvius & ego feci memetipſum.* *Tange montes & fumigabunt*, non dixit inflammabuntur, ſed fumigabunt; habebunt enim judicium non fulgoris, aut ſplédoris.

Eze. 29.

vers. 6. *Fulgura coruſcationem & diſſipabis eos.* Vide quid dicat, non dixit delebis eos, ſed *diſſipabis eos*: legimus in Geneſi eo tempore quo fabricabant turrim, dicit dominus. *Venite deſcendamus & confundamus linguã eorum*, nam ne in ſe conſenſum habeant, diſpergantur, & proderit illis.

Gen. 11.

vers. 7. *Emitte manum tuam de alto.*

Iſa. 53. *Domine quis credidit auditui noſtro, & brachium Domini cui revelatum eſt? Emitte manum tuam de alto, Domine inclina cælos tuos & deſcende.* Hoc ad filium dicitur *Inclina cælos tuos & deſcende*, ſed quoniam dixit *emitte manum tuam de alto*, ſi deſcendit, quomodo mittit manum de alto? ſed licet in terra ſit, tamen de cælo mittit manum, nõ enim recedit de cælo. *Eripe me: & libera me de aquis multis.* Quoniam deſcendiſti, quoniam inclinaſti cælos, & miſiſti *manum tuam de alto*, & humanam carnem dignatus es aſſumere, & multi crediderunt in te, pro una aqua, multæ aquæ eſſe cęperunt, nam vides diſperſas in toto orbe eſſe hæreſes diverſas: *Eripe me Domine & libera me de aquis multis*, & preſta mihi fontem viventem, *unus enim Deus eſt: una fides, unum batiſma.* Libera me de aquis multis, illę enim aquę multę, non generant filios tuos, ſed filios alienos, unde ſequitur. *Libera me de aquis multis, & de manu filiorum alienorum.* Non ſunt enim tui filij, qui naſcuntur in multis aquis, ſed alieni filij ſunt.

Eph. 4.

Quorum os locutum eſt vanitatem, ſcientiam ſibi promit- vers. 8.

tunt, & erigunt os contra crea-
Pſal. 72. toré ſuum, *nã poſuerunt in cęlum*
os ſuum: quorum os locutum eſt va-
nitatem, ſcientia eorum, ſcien-
tia vanitatis eſt: *& dextera eo-*
rum dextera iniquitatis. Vtrum-
que cõdemnatur, & os, & ma-
nus, & ſcientia, & opera, *quo-*
rum os locutum eſt vanitatem, hoc
ſpectat ad ſcientiam, *& dextera*
eorum dextera iniquitatis, ſpectat
ad opera: dexteram ſe habere
dicunt, ſed toti ſiniſtri ſunt.
Dextera iniquitatis eſt, & non
æquitatis, unde & tali ſiniſtro
Pſal. 108. dicitur. *Stet diabolus à dexteris*
ejus: qui talem habet dexteram
iniquitatis, ſtat diabolus à
dexteris ejus.

verſ. 9. *Deus canticum novum cantabo*
Pſal. 97. *tibi: cantate Domino canticum no-*
vum. Quam pulchrè non dixit
canto, ſed *cantabo*, in futuro re-
promiſit, in pręſenti enim ſcit
certamen eſſe, non canticum:
nunquam cantat exercitus, niſi
quando vicerit. Ergò cum in
pręſenti pugno, non mihi va-
cat cantare, cum vicero, tunc
cantabo. *In pſalterio, decachordo*
pſallam tibi. Tunc extendam u-
tramque manum, & in tabulis
tibi cordis canam: oratio mea
pſalterium tuum eſt.

Qui das ſalutem regibus: qui re- verſ. 10.
demiſti David ſervum tuum de verſ. 11.
gladio maligno: * *eripe me.* Qui-
bus regibus dat ſalutem? (*cor* Prov. 21.
regis in manu Dei); qui regnant
ſuper corpus ſuum, qui ca-
ſtigant *corpus ſuum, & in ſervi-* 1. Cor. 9.
tutem redigunt, ne alijs predican-
tes, ipſi reprobi inveniantur, iſti
ſunt reges de quibus dicit Sa-
pientia in proverbijs, *dat re-*
gnum regibus.

Et erue me de manu filiorum a-
lienorum, quorum os locutum eſt
vanitatem: & dextera eorum dex-
tera iniquitatis. Verſiculi qui ſu-
pra dicti ſunt iterum repetun-
tur, *quorum os locutum eſt vanita-*
tem, & dextera eorum, dextera
iniquitatis.

Quorum filij, ſicut novellę plan- verſ. 12.
tationes in juventute ſua. Hęreti-
corum filios videamus quales
ſint: *quorum filij* ſicut novellæ
plan-

Digitized by Google

plantationes in juventute ſua. Deligenter animadvertite, quid dicatur de hæreticis.

Filię eorum compoſitæ: circumornatę ut ſimilitudo templi.

verſ. 13. *Promptuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud.*

Oves eorum fætoſæ, abundan-
verſ. 14. *tes in egreſſibus ſuis: * boves eorum craſſę.*

Non eſt ruina maceriæ, neque tranſitus, neque clamor in plateis eorum.

verſ. 15. *Beatum dixerunt populum cui hæc ſunt*: illi hoc dixerunt, ego autem quid dico? *beatus populus cujus Dominus Deus ejus*, de ſingulis jam breviter diſſeremus.

verſ. 12. *Quorum filij, ſicut novellę plantationes in juventute ſua.* Plantatio eorum non eſt vetus, ſed novella; non eſt enim de veteri lege, non de Prophetis, non de Apoſtolis, ſed de novis magiſtris eſt. Filij eorum *ſicut novellæ plantiones, in juventute ſua*: ſemper juvenes ſunt, licet multæ ſint hæreſes veteres: nã quotidie mutantur, & nova magiſtri eorum quotidie inveniunt, novæ ſunt, nam quotidie doctrinas ſuas innovant, novę ſunt, non enim ſunt veterum magiſtrorum errore contenti, ſed quotidie ipſi nova reperiunt. *Quorum filij ſicut novellæ plantationes in juventute ſua.* De eccleſia quid dicitur? de timente Dominum? *Beati* Pſal. 127.
omnes qui timent Dominum, qui ambulant in vijs ejus: quid dicitur de illis? *Filij tui ſicut novellæ olivarum: in circuitu menſę tuæ*; circa menſam Chriſti illi filij; non longè ſunt à menſa Chriſti: Ibi non dicitur filiæ, ſed tantummodo filij, cæterum hæretici habent & filias, habent & fragiliorem ſexum, voluptatis delicias.

Filiæ eorum compoſitæ: Sermo compoſitus eſt, & ſenſus ſordidus: In ſcripturis ſanctis cogitationes ſemper filij dicuntur, verba, filiæ; vide ergò quid dicit. Cogitationes eorum, hoc eſt, filij, novi ſunt;

Digitized by Google

verba eorum, hoc eſt hæreticorum, qui habent ſapientiam ſęcularem, compoſita ſunt, habent enim verba compoſita, lautum ſermonem: *filię eorum compoſitæ*; videntur quidem eſſe compoſitæ, ſed quia filiæ ſunt, & non filij, vires non habent. *Circumornatæ ut ſimilitudo templi* pulchre dicitur: *ut ſimilitudo templi*, non enim habent veram eccleſiam, ſed ſimilitudinem eccleſiæ.

vers. 13. *Promptuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud.* Parati ſunt ad contendendum, ſi illos tenueris in uno teſtimonio, ad aliud tranſeunt, ſi in ſcripturis tenueris, ad Ariſtotilem fugiunt, ſi Ariſtotilem tenueris, ad Platonem tranſeunt. *Promptuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud.* Promptuarium propriè dicitur, quod divitias compoſitas habet: hęretici promptuaria habent, habent enim pręparata verba, quibus contendunt. Cęterum eccleſiaſtici ſimplices ſunt, nihil habent pręparatum, aperitur os, & impletur à Domino ſecundum quod dicitur, *dilata os tuum, & implebo illud*: &, *nolite cogitare quomodo aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini.* Videtis quoniam non habemus promptuaria pręparata, ſed divitiæ noſtræ ſubitæ ſunt: dicat aliquis da teſtimonium quomodo ſancti promptuaria non habent: reſpice aves cęli, quoniam non habent cellaria neque horrea, *ſed pater veſter cæleſtis paſcit illas.* Aves iſtę ſpecialiter monachi ſunt, non habent cellaria, non habent apothecas, ſed apothecarum & cellariorum ipſum Chriſtum: non habent horrea, ſed horreorum ipſum Dominum: nō habent divitias diaboli, ſed paupertatem habent Chriſti, diabolus quid dicit? *Hæc omnia tibi dabo, ſi procidens adoraveris me*, dabo tibi ea: Chriſtus quid dicit ad ſuos? *qui nō renunciat omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus:* ille regna

[Margin notes: Pſal. 80. Mat 10. — Mat 6. — Mat 4. — Luc. 14.]

regna & divitias pollicetur ut occidat, hic paupertatem pollicetur, ut ſalvet: nihil grande facimus, ſi noſtra derelinquimus, Chriſtus patrem reliquit & regna cælorũ propter nos, nemo dicat me blaſphemaſſe, quia dixi patrem reliquit, ſecundum diſpenſationem loquor; ſecundum quod mittitur, ſecundum qui dicit, *pater*
Ioã. 14. *meus qui me miſit major me eſt.* Deus non mittitur, Deus non ſubjicitur, Deus non ſervit, ſed diſpenſatio mittitur, ſi Deus ubique eſt & omnia in Deo ſunt, quomodo Deus ad aliquid mittitur, cum Dei ſunt omnia? Chriſtus igitur pro nobis pauper factus eſt, hoc totum quare diximus? quia nunc lectum eſt, *promptuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud:* pulchrè dixit *eructantia*, illi eructant de ſaturitate nimia, & pereunt; nos de jejunio, & ſalvamur.

Oves eorum fætoſæ, abundantes in egreſſibus ſuis: multos habent filios, multus enim numerus hæreticorum eſt: *oves eorum fætoſæ*, unde dicitur & in Ozee Propheta: *Domine da eis; quid dabis eis? vulvam ſine liberis & ubera arentia:* Oſee 9. hoc de quibus dicitur? de hæreticorum magiſtris, qui ſibi in numero diſcipulorum applaudunt; *oves eorum fætoſæ abundantes in egreſſibus ſuis*; non dixit in ingreſſibus ſuis, ſed in *egreſſibus:* non enim ingrediuntur in eccleſiam, ſed egrediuntur de eccleſia: *ex nobis prodierunt, ſed non erant ex nobis, nam ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent utique nobiſcum.* 1. Io. 20. 2 *Abundantes ergò in egreſſibus ſuis*, quotidie egrediuntur de eccleſia; de eccleſia autem quid dicitur? *omnis gloria ejus filiæ regis ab intus.* Pſal. 44. *Boves eorum craſſæ:* vidit Pharao in ſomnio boves craſſas Egyptias. Gen. 41. *Boves eorum craſſæ*, Iſraëlitici populi tenues ſunt, Egyptij craſſæ ſunt. Videas magiſtros hæreticorum, nihil aliud faciunt niſi ſtudere divitijs, divitijs

ſtudent, & pauperem Chriſtum contemnunt. *Boves eorum*
Phil. 3. *craſſæ*: pulchrè dicit *boves eorum craſſæ, quorum Deus venter eſt & gloria in confuſione ipſorum.*
verſ. 14. *Non eſt ruina maceriæ, neq; trãſitus*: nonne vobis videtur obſcurum eſſe quod dicitur, *nõ eſt ruina maceriæ, neq; tranſitus, neq; clamor in plateis eorum?* difficile hæreticos invenias inperitos, omnes enim magiſtri hęreticorũ inſtructi ſunt ſciẽtiâ ſeculari: nõ habent ritum Apoſtolicum, ſed catenulas dialecticas, *non eſt ruina maceriæ neque tranſitus*: ſi quando ſunt in diſputationibus, quando ceperint tecum diſputare, ſic verba eorum brevia ſunt, ſic artificioſo ſermone concluſa, ut evadere inde difficile ſit; cum enim te ligaverint ſillogiſmis ſuis, & te clauſerint, & quaſi maceriam ſillogiſmum tibi texuerint & ædificaverint, non potes te convertere, non potes tranſire, teneris incluſus, *non eſt ruina macerię neque tranſitus*: cumque te tenuerint quaſi giro incluſum, tunc non eris in *anguſta via quæ ducit ad vitam*, Mat 7.
ſed in lata, quę ducit ad mortem. *Neque clamor in plateis eorum.* Clamor Ieſu, & vocat ad ſe, & dicit, *ſi quis ſitit veniat ad* Ioã.
me & bibat; clamor Ieſu in via 7.
anguſta eſt, in plateis hæreticorum non eſt.

Beatum dixerunt populum cui verſ. 15.
hæc ſunt: multi neſcientes, beatos tales putant, cęterum nobis ſimplicitas Chriſtiana ſola beatum hominẽ efficere creditur: nolumus eloquentiam Platonicam, ſed volumus ſimplicitatem Apoſtolicam Piſcatoris: Iſte rete tenet: Iſte lucrum capit ex opere. *Beatus populus cujus Dominus Deus ejus.* Beatus populus, qui pro omnibus divitijs Chriſtũ habet: Illi habent filios & filias, & promptuaria plena, oves fœtoſas, boves craſſas & nitidas atque formoſas: Cæterum nos non habemus multitudinem, ſed ſcimus illud dictum in Euangelio.

Digitized by Google

Mat 18. gelio. *Vbi ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum: & nolite timere puſillus grex, quia complacuit patri veſtro, dare vobis regnum.* Luc. 12.

PSALMVS CXLIV.

Centeſimus quadrageſimus quartus Pſalmus ex voce Prophetica, Dei continet laudem, ſicut ipſe ad eum loquens ait.

verſ. 1. *EXaltabo te Deus meus rex: & benedicam nomini tuo in ſeculum, & in ſeculum ſeculi:* Exaltat Deum, quia ſcit equalem Patri, regem, quia novit judicem mundi.

verſ. 2. *Per ſingulis dies benedicam tibi: & laudabo nomen tuum in ſæculum, & in ſæculum ſæculi.* Ob hoc etiam maxime laudat, quia conformem ſe fieri ſperat nomini illi, id eſt, Chriſto Domino in futuro ſæculo.

verſ. 3. *Magnus Dominus, & laudabilis nimis: & magnitudinis ejus non eſt finis.* Cum ſine fine ſit magnus, ſine fine eſt laudabilis.

verſ. 4. *Generatio* quam fides protulit, *& generatio*, quam Chriſti paſſio procuravit, *laudabit opera tua: & potentiam tuam pronunciabunt.* Cum à te facta ſunt, vel à te proteguntur.

verſ. 5. *Magnificentiam gloriæ ſanctitatis tuæ loquentur:* tu nos ſanctos eſſe vis, dicens, *ſancti eſtote, quoniam ſanctus ego ſum:* hoc & nos ceteris loquimur: *& mirabilia tua narrabunt*, quæ quotidie in eccleſia operaris. Lev. 20.

verſ. 6. *Et virtutem terribilium tuorum dicent: & magnitudinem tuam narrabunt.* Virtus eſt terribilis, cum de impijs ulciſcitur, ut in Pharaone: magnitudo eſt, cũ juſti eruuntur, ut Iſrael.

Memo-

Digitized by Google

vers. 7. *Memoriam abundantię ſuavitatis tuæ eructabunt*, qua eos fovere dignaris: *& juſtitia tua exultabunt*, qua de impijs ulciſceris. *Miſerator & miſericors Dominus: patiens, & multùm miſericors.* Sanctus eſt in operibus

Ioã. 1. ſuis, quia *quod factum eſt in Chriſto, vita erat.*

vers. 9. *Suavis Dominus univerſis: & miſerationes ejus ſuper omnia opera ejus.* Miſeratione enim ſua, omne opus facit, & protegit.

vers. 10. *Confiteantur tibi Domine omnia opera tua: & ſancti tui benedicant tibi.* Vt per Sanctos qui te jugiter benedicunt, intelligaris omnium eſſe creator, & conditor.

vers. 11. *Gloriam regni tui dicent*: ut ab omnibus deſideretur: *& potentiam tuam loquentur*: ut ab omnibus timeatur.

vers. 12. *Vt notam faciant filijs hominum potentiam tuam: & gloriam magnificentiæ regni tui*, ne excuſatio per ignorantiam adhibeatur.

vers. 13. *Regnum tuum, regnum omnium ſæculorum:* Omnia enim ſæcula regni tui dominatione volvuntur: *& dominatio tua in omni generatione & generationem:* eccleſiaſtica generatione in generationem futuri ſęculi dilatata.

Fidelis Dominus in omnibus verbis ſuis: cum omnia quę per Prophetas locutus eſt, adimplevit: *& ſanctus in omnibus operibus ſuis*: ut ſicut ille ſanctus eſt, ita & nos, quia opera ejus ſumus, ſancti efficamur in eo.

Allevat Dominus omnes, qui vers. 14.
corruunt: ne in æternam ruinam concidant, *& erigit omnes eliſos*, quos corporeę voluptatis pręcipitavit ſtimulus, ſi pænitentiam agant.

Oculi omnium in te ſperant Do- vers. 15.
mine: & tu das eſcam illorum in tempore opportuno. Sanctorum interiora aſpiciens, in illo futuro retributionis ſufficit tempore.

Aperis tu manum tuam: & vers. 16.
imples omne animal benedictione. Qui maledictiones & impro-

peria

Digitized by Google

periamundi, pro nomine tuo ſuſtinent.

vers. 17. *Iuſtus Dominus in omnibus viis ſuis: & ſanctus in omnibus operibus ſuis.* Vt jam ſuprà dictum eſt.

vers. 18. *Propè eſt Dominus omnibus invocantibus eum: omnibus invocantibus eum in veritate.* De his
Eph. 2. Paulus ait. *Qui aliquando longè eratis, facti eſtis propè in ſanguine Chriſti.*

vers. 19. *Voluntatem timentium ſe faciet, & deprecationem eorum exaudiet: & ſalvos faciet eos.* Dum eos eruit vel ab inſtigatione diaboli, vel ab ardore peccati.

vers. 20. *Cuſtodit Dominus diligentes ſe: & omnes peccatores diſperdit.* Illos diligit, qui mundanis dilectionibus dilectiones ejus prętulerunt: illos verò diſperdit, qui amori ejus amorem præpoſuerunt ſęculi.

Laudationem Domini loquetur vers. 21.
os meum: nunc, & in futuro retributionis tempore: *& benedicat omnis caro nomini ſancto ejus in ſęculum, & in ſęculum ſęculi.* Quod ait *omnis caro*, non ad ſenſibilia referendum eſt, ſed ad omne corpus Eccleſię, quod nos ſumus, qui Chriſtũ benedicere, extollere, ac prædicare debemus, per quem vivimus, per quem alimur, ac ſumus: cui eſt cum æterno Patre & Spiritu ſancto honor & gloria, in ſæcula ſæculorum, Amen.

PSALMVS CXLV.

Centeſimus quadrageſimus quintus Pſalmus ex nomine duorum Prophetarum præſcriptus, ex unius voce loquitur, dicens.

Digitized by Google

verſ. 1. Alleluia, Aggęi, & Zacharię.

verſ. 2. LAuda anima mea Dominum. Pſalmus iſte titulum habet Alleluia. Aggęi, & Zachariæ, hoc primum ſcire debemus, quod in Hæbraico textu hoc non habetur: dicam autem ex editione vulgata, Alleluia, Aggæi, & Zachariæ, quia inſtauratæ hic dicitur Ieruſalem, *regnabit Dominus in ſæculum Deus, Deus tuus Syon, in generationem & generationem:* quæ verba Pſalmiſta dicere putatur de inſtauratione Ieruſalem quæ facta eſt ſub Aggæo & Zacharia Prophetis. *Lauda anima mea Dominum:* nõ dixit lauda corpus, ſed *lauda anima*, non quod corpus, ſed carnis opera condemnet. *Lauda anima mea Dominum:* anima ipſa ſe hortatur, quomodo ſi dicat, lauda David Dominum, ſic & ipſa dicit anima ad ſe: *lauda anima mea Dominum, laudabo Dominum in vita mea*: Vide quid dicat, ipſa ſe hortatur, & ipſa reſpondet: quid dicit? *lauda anima mea Dominum, laudabo Dominum in vita mea:* modò laudare non poſſum, peccatis premor; quotieſcumque labia in laudes Dei aperio, toties illa conglutinat conſcientia peccatorum. *Laudabo Dominum in vita mea:* pulchrè dixit *laudabo*, non laudo, quoniam quãdo cum Domino meo fuero, tunc *laudabo Dominum meum in vita mea*, nunc in morte ſum, laudare non poſſum. *Laudabo Dominum in vita mea*, vita noſtra Chriſtus eſt, Dominum laudemus in vita: *Pſallam Deo meo, quamdiu fuero.* Videte quid dicat, quando juſtè aliquid agimus, ſumus, quando verò peccamus, eſſe deſinimus. Multa ſunt quę dicantur: ſed ad finem feſtinat oratio.

Nolite confidere in principibus: * *in filijs hominum, in quibus non eſt ſalus.* Hoc generaliter ad omnes dicit, *nolite confidere in principibus*; qui ſunt principes: *filij hominum, in quibus non eſt ſalus.*

*Ex

vers. 4. *Exibit ſpiritus ejus, & revertetur in terram ſuam:* cum autem regreſſus fuerit in terram ſuam, quid fiet? *in illa die peribunt omnes cogitationes eorum*, omnis Principum confidentia. *Nolite confidere in principibus* qui hodie ſunt, cras non erunt, hodie illos præcedit exercitus, & ſerò in ſepulchro jacent, poſt tantam magnitudinem tanta calamitas: nulla intercedunt tempora, in eodem momento Chriſti eſt operatio. *In filiis hominum in quibus non eſt ſalus*, quid ſunt principes? filij hominum: ſi ipſi homines nihil ſunt, quid ſunt filij eorum? *exibit ſpiritus ejus:* cujus *hominis exibit ſpiritus ejus?* hic ſpiritum pro anima ponit; *Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum.* (Luc. 23.) *Exibit ſpiritus ejus, & revertetur in terram ſuam.* Non ſpiritus revertetur in terram ſuam; non enim eſt ſpiritus de terra, ſed egredietur ſpiritus, & corpus revertetur in terrã ſuam. *In illa die peribunt omnes cogitationes eorum.* Nos ipſi qui nunc ſumus principes, quanta quotidie cogitamus? dicimus, die craſtina illud faciam, deſtruam horrea mea, & rurſum die craſtina ędificabo illa, ſed dicitur mihi: *ſtulte hac nocte repetunt animam tuam à te, quę autem paraſti, cujus erunt?* (Luc. 12.) hoc de illis dicit, qui confidunt in principibus. Cæterum de ſancto quid dicitur?

vers. 5. *Beatus, cujus Deus Iacob adjutor ejus: Hi in curribus & hi in equis, nos autem in nomine Domini Dei noſtri invocabimus.* (Pſal. 19.) Illi plures habent adjutores, ſed principes ſunt, ſed homines ſunt, ſed corruunt: nos unum habemus qui ſalvare poteſt. *Spes ejus in Domino Deus ipſius.* Videamus quid tres pueri dicant mittendi in fornacẽ Babylonis, quãdo vocat eos Nabuchodonoſor Rex: *non oportet nos de hac re reſpondere tibi: ecce enim Deus noſter quem colimus, poteſt eripere nos de camino ignis ardentis, & de manibus tuis* (Dan. 3.)

juriam patientibus: etiamſi tardaverit, non deſperes, *veniens veniet & non tardabit*. Hoc habeamus in conſcientia cum non propter peccata noſtra patimur, neque conſcij ſumus delicti, de quo arguimur. *Dat eſcam eſurientibus*: hoc ſi ſecundum litteram ſimpliciter intelligatur, ædificat, & lętificat audientem: *Reſpicite volatilia cæli, quæ non ſerunt neque metunt,*
Mat 6. *neque congregant in horrea, & pater veſter cæleſtis paſcit illa. Dat eſcam eſurientibus*: Eſurientibus dat, non ructantibus: qui ergò non habet, eſuriat & accipiet; ſi autem habes & non eſuris, non debes cibum eſurienti tollere, & accipere ſaturatus: accipe quod in ventrem mittas, non quod in ſacculum: accipe tunicam, quæ corpus tegat, non quæ arcã impleat, *dat eſcam eſurientibus*, hoc ſecundũ litteram diximus: dicamus nunc aliter. Eſuriamus Chriſtum, & ipſe dabit nobis cæ-
Luc. 11. leſtem panẽ: *panem noſtrũ quotidianum da nobis hodie*. Hoc qui dicunt, eſuriunt, hoc qui deſiderant, eſuriunt. qui dicit, *panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*, utique eſuriens loquitur. *Dat eſcam eſurientibus*: Si quis velit per hunc panem intelligere cęleſtem, qui in altari offertur, & hunc quidem eſurientes accipimus, qui verè caro Chriſti eſt. Cæterùm dicamus & aliter: Panis Chriſti ſermo divinus eſt, & doctrina cæleſtis: quicumque panem iſtum acceperit, & ſaturatus fuerit, quid ipſi fiet?

Dominus ſolvit compeditos: Si animam noſtram iſte panis refecerit, hoc eſt, ſermo divinus, & doctrina cæleſtis, ſtatim pedes noſtri, id eſt affectus, qui colligati fuerant, ſolventur, ſicuti contigit Lazaro ligato, de quo dixit Dominus, *ſolvite* Ioã. 11.
eum: & filiæ Abrahæ, quæ decem & octo annis incurvata fuerat & vincta, uti teſtatur Euangeliũ: *Ecce mulier, quę ſpiritum infirmitatis habebat decem & octo* Luc. 13.

Digitized by Google

annis, & erat inclinata, nec omnino poterat ſurſum reſpicere. Dominus ſolvit compeditos: ipſę ſunt compedes, quæ & opera; ſiquidem eadem peccata, quæ cervices noſtræ excipiunt, etiam ligant pedes: quicunque compeditus eſt, currere non poteſt, prægravantur enim pedes cõpedibus, iiſque in terram deprimimur atque defigimur. *Dominus ſolvit compeditos:* Videte ordinem, *dat eſcam eſurientibus;* primùm eſurimus, deinde accipimus cibum, cum ſaturati fuerimus, ſolvuntur pedes noſtri, qui compediti fuerant: cum autem cæperimus ambulare liberè, quid ſequitur?

verſ. 8. * *Dominus illuminat cæcos.* Se-
cundum Hębraicam & Græcã veritatem habetur, *Dominus Sapientes facit cęcos*, unde Chri-
Ioã. 9. ſtus apud Ioannem: *ſi cæci inquit*
eſſetis, peccatum non haberetis. Inſipientia enim & ſtultitia, tenebræ non oculorum, ſed morum noſtrorũ ſunt, cum ergò eſurientes refecti fuerimus, & compedibus liberati, tunc incipiet oculus cordis noſtri videre, quod aliquando perdiderat, & deſtructa inſipientia ſapiemus. Sequitur

Dominus erigit eliſos. Etſi jaceas ne deſperes: *Dominus erigit eliſos*, Dominus porrigit manum, *Dominus diligit juſtos.* Res duas video, diligit & cuſtodit; qui diligit, quaſi ſuum diligit, qui autem cuſtodit, eum cuſtodit, qui eſt in periculo cõſtitutus. *Dominus diligit juſtos:* quicumque juſtus eſt & perfectus, ille diligitur, quicumque autem peregrinus eſt, & venit ad ſervitutem Domini, ille ſervatur.

Dominus cuſtodit advenas, pu- verſ. 9.
pillum & viduam ſuſcipiet. Triplex commemorat perſonarum genus quæ humanis deſtituuntur ſubſidiis, proptereaque ſub Dei peculiari cura dicuntur eſſe in divinis litteris. Dicamus & ſpiritualiter, *pupillum & viduam ſuſcipiet:* pupillum ſuſcipiet, qui patrẽ Deum perdi-

Digitized by Google

perdiderat per peccata, & viduam ſuſcipiet, hoc eſt, illam animam, quæ Chriſtum virum perdiderat. Sed videte quid dicat: *pupillum & viduam*, non dixit cuſtodiet, non dixit ſalvabit, ſed ſuſcipiet; ſi nimirum revertatur ad patrem, ſi redeat ad maritum, *& vias peccatorum diſperdet*: non dixit peccatores diſperdet, *ſed vias peccatorum diſperdet* uti dixerat in alio
Pſal. 1. Pſalmo, *& iter impiorum peribit*. Si juſtorum via Chriſtus eſt, peccatorum via diabolus eſt, quo auctore à Deo recedétes, peccata committunt. Illum perdet, cæterum pænitentes peccatores ſalvabit.

verſ. 10. *Regnabit Dominus in ſæcula.* Quando via peccatorũ perierit, tunc *regnabit Dominus in ſęcula:* non dixit in ſæculum, ſed *in ſęcula:* quamdiu pedes noſtri ambulãt in via diaboli, Chriſtus nõ regnat in nobis. Quoties detraho fratri meo? in via diaboli ambulo, Chriſtus non regnat in me: Quoties iraſcor ſine cauſa fratri meo, in via diaboli ambulo: Chriſtus non regnat in me: in quocumque peccato ambulo, in via diaboli ambulo, Chriſtus non regnat in me.

Deus tuus Syon in generationem & generationem, *Deus tuus Syon:* frequenter diximus per Syon ſpeculam aut eccleſiam denotari, aut animam contemplantem Deum: *Deus tuus Syon in generationem & generationem.* In prima generatione Iudęorum, in ſecunda, ex gentibus. In omnibus ſcripturis & Pſalmis generatio & generatio ſepius repetitur, ut duo populi ſignificentur. Dicere autem & aliter poſſumus: *regnabit Dominus in ſæcula*, *Deus tuus Syon in generatione* præſenti, *& in generatione* futura. Regnet Chriſtus in nobis, *non regnet peccatum in mortali corpore noſtro.* Ro. 6.
Cor regis in manu Dei: ſumus reges, imperemus corpori noſtro, & ſubjiciamus illud Deo, & cor noſtrũ ſit in manu Chriſti, cui gloria in ſęcula ſęculorũ. Amen. Prov. 21.

PSAL-

Digitized by Google

Psalmvs CXLVI.

Centeſimus quadrageſimus ſextus Pſalmus, nos monet, ut cæleſtis civitatis laudemus ædificatorem.

Alleluia.

verſ. 1. LAudate Dominum quoniam bonus Pſalmus: Centeſimus quadrageſimus ſextus Pſalmus Alleluia pro titulo habet: quæ vox eſt lętantis & exhortantis interjectio, quã Græci reddunt, ut inter cæteros Theodotion, *αἰνεῖτε τὸν κύριον*, id eſt, laudate Dominum. *Laudate Dominum quoniam bonus eſt Pſalmus.* In quibuſdam exemplaribus, tam Græcis, quã Latinis legitur, *quoniã bonum eſt Pſalmus*, hoc eſt, bona res eſt pſallere: pſallere autem non voce, ſed corde. Quam multi bonam vocem habent, & quoniam peccatores ſunt, malè pſallunt. Benè pſallit, qui cantat in corde, qui cantat Chriſto in bona conſcientia. *Deo noſtro jucunda ſit decoráque laudatio*, id eſt, nulla in re, nulla in ſtudio iucundius, libentius, honeſtius exercere nos debemus, nihil nobis optabilius & ſuavius debet eſſe, quã ut Deum laudemus. Sit iucunda laudatio, non voce, ſed conſcientia.

Ædificans *Ieruſalem Dominus: diſperſiones Iſraëlis congregabit.* verſ. 2. Pſal. 121.
Quomodo ædificetur Ieruſalem, quomodo congregetur, jam dictum eſt:

Qui ſanat contritos corde. verſ. 3. Pſal. 50.
Cor contritum & humiliatum Deus non ſpernit, *& alligat contriones eorum:* Tu cor tuum contere, & Dominus alligabit contritiones tuas. Samaritanus

nus ille qui deſcendebat de Ie-
Luc. 10. ruſalem in Ierico, quando vi-
dit vulneratum jacentem in i-
tinere, colligavit vulnera ejus;
ſic & Chriſtus *alligat contritiones
eorum*, qui per veram pęni-
tentiam ad ipſum revertun-
tur. Cæterum de his qui non
agunt pænitentiam, dicitur,
Iſa. 1 juxta verſ. 70. *non eſt malagma imponere neque
oleum neque alligaturam.*

In- terp. verſ. 4. *Qui numerat multitudinem ſtel-
larum.* Quę conſequentia juxta
litteram, *& alligat contritiones
eorum, & qui numerat multitudi-
nem ſtellarum?* Sed quoniam ſa-
navit contritos corde, & alli-
gavit contritiones eorum, illos
qui antè contriti fuerant, &
poſtea ſanati, vertit in ſtellas,
hoc eſt ex peccatoribus juſtos
facit qui alijs ſua virtute tan-
quam ſtellæ prælucent. Non
numerat vulneratos, ſed eos
numerat, qui jam in ſtellas
verſi ſunt. Non numerat Deus,
niſi eos qui numero ejus di-
gni ſunt. Scriptum eſt in Ge-
Gen 15. neſi quod Deus eduxerit Abra-
ham, & oſtenderit ei ſtellas, &
dixerit *ſic erit ſemen tuum. Et om-
nibus eis nomina vocat:* Abram
vocat Abraham eo tempore Gen 17.
quando factus eſt ſtella: id eſt
Dei juſſis obedivit in exequē-
do præcepto circumciſionis:
ſic qui antea erat Saulus, po-
ſtea vocatur Paulus: ſic Ioan- Mar 3.
nes & Iacobus, filij tonitrui.
Numerantur itaque ſtellę, nu-
merantur infiniti Sancti.

Magnus Dominus noſter, & verſ. 5.
*magna virtus ejus: & ſapientiæ
ejus non eſt numerus.* Magna vir-
tus Chriſtus, Dei virtus, & Dei
ſapientia, *& ſapientię ejus non
eſt numerus*, quia Chriſtus ſa-
pientia eſt infinita.

Suſcipiens manſuetos Dominus: verſ. 6.
qui ſunt iſtæ ſtellæ, *ſuſcipiens
mãſuetos Dominus*, manſueti ver-
tuntur in ſtellas, ſicut apud Da-
nielem dicitur, *juſti autem ful-* Dan 12.
*gebunt quaſi ſtellę in perpetuas æ-
ternitates. Humilians autem pec-
catores uſque ad terram.* Videte
differentias rerum: angeli è
cęlo turbati ſunt ad inferiora

Digitized by Google

terrę, homines ad cælum vocantur. *Suſcipiens manſuetos Dominus:* manſuetudo ad cęlũ vocat, ſuperbia ad terrã detrahit:

verſ. 7. *Præcinite Domino in confeſſione:* Hoc implevit David, qui nobis juſtitiæ exemplum præbuerat, prębuit & pænitentię: docuit enim nos, quomodo debemus agere pęnitentiam, ipſe agens. Videte quod non ſolùm juſtitia Sanctorum nobis proſit, ſed & peccatum. *Pſallite Deo noſtro in Cithara.* Nulla virtutum chorda rupta ſit, univerſę virtutum conſonent chordæ. *Pſallite Deo noſtro in Cithara:* Cithara multas chordas habet, ſi una rupta fuerit, aptus ſonus reddi non poteſt: Sic & ſanctus vir, quãvis ſanctus ſit, ſi una ei virtus defuerit, gratam Deo ſymphoniam reddere non poteſt.

verſ. 8. *Qui operit cęlum nubibus.* Cęlũ hoc quod cernimus nubibus totum operiri non poteſt, ſed aliud eſt cælũ, aliæ ſunt nubes hìc intelligẽdę: Cælũ myſteria ſunt divina, & quicunq; ijs dignus fuerit, iſtum nubes protegunt, id eſt, Prophetarum & Apoſtolorũ doctrina. *Qui parat terrę pluviã.* Terra pluvia indiget, terra noſtra niſi pluviã acceperit ex doctrinarum fonte, fructum non afferet. Terra cum humectata fuerit iſtiuſmodi doctrinis, quid ſequitur?

Qui producit in montibus fænum, & herbam ſervituti hominum. Si de ſolò fæno quæritur: utique fænum magis in convallibus naſcitur quam in montibus: ubicumque enim pluvia amplior fuerit, ibi magis fęnum abundat. Per montes myſticè intelliguntur ſancti viri, per fænum (teſte Caſſiodoro) prædicationes robuſtæ, ſolidiores & perfectiores, nempè conſiliorum, quod fænũ ſit durius, herba mollior.

Qui dat jumentis eſcam ipſorum, id eſt idiotis & rudioribus, qui quaſi irrationabiles videntur, literalem ſenſum capacitati eorum accomodatũ: verſ. 9.

qui

Digitized by Google

qui jumenta vocantur ad comparationem myſticè intelligentium, unde dicitur in Pſalmo : *Homines & jumenta ſalvos*
Pſal. 35. *facies Domine. Et pullis corvorū invocantibus eum.* Nulla alia avis nuncupatur niſi pulli corvorum : & non ipſi corvi, ſed pulli corvorum. Non ſalvatur corvus : ſed pullus qui de eo natus eſt. Nos pulli corvorum ſumus, de majoribus idololatris nati.

verſ. 10. *Non in fortitudine equi voluntatem habebit: nec in tibijs viri beneplacitum erit ei.* Commendat inde providentiam Dei, quam exemplis demonſtraverat eorum quibus illa ſubvenit rebus, quæ magis deſtitutæ videntur, quod è contrario deprimere ſoleat præſidentes, atque de humanis præſidijs nimis pręſumentes. Non placet, inquit, Deo is qui proprijs nititur viribus corporis, quæ in tibijs cruribuſque apparent, vel ad fugiendum, vel ad luctandum, & reſiſtendum, vel ad equum expeditè aſcendendum, & agitandum: præterea qui confidit in equi fortis & agilis impetu, curſuque: Diſplicet enim Deo quā prę ſe fert equus ſuperbia, cupiditas laudis, ferocia, ſalacitas. Videte quid dicat: non dixit in capite viri, nō dixit in manibus viri, ſed in tibijs, quæ deorſum ſunt. tibię hìc, ſicut & femora ſemper, pro libidine accipiuntur: denique & Ezechieli Deus videtur Ezechiel 1.
à lumbis, uſque ſurſum electreus : à lumbis deorſum, igneus. Si quid ſurſum eſt, aurum eſt, ſi quid deorſum, hoc gehennæ præparatur. *Nec in tibijs viri beneplacitum erit ei* : dicamus ſecundum litterā. quoniam dixerat *non in fortitudine equi voluntatem habebit*, & quaſi bellatorem virum deſcripſerat; videtur mihi hìc ubi dixit non in tibijs, non vocare tibias, ſed περικνημίδας, id eſt, tibialia ſive ocreas. videtur ergo quodcunque tibijs tegitur non placere Deo : non enim

Vv 2 bene-

Digitized by Google

beneplacitũ eſt ei in tibijs viri: beneplacitum eſt autẽ ei in timore ſancto. Fortitudo non placet, timor placet: bellantẽ deſtruit, id eſt confidentem in viribus ſuis, rogantem, id eſt ſibi ipſi diffidentem, & à Deo opem implorantem, extollit.

vers. 11. *Beneplacitum eſt Domino ſuper timentes eum.* Vnus timor plures timores producit, nonne melius eſt unum timere, ne plures timeas, quam plures timere, ut unum non timeas? *Et in eis qui ſperant ſuper miſericordia ejus.* Sperant non in propriis operibus, ſed in miſericordia Iudicis, quia hiſce ſola ſalvatio eſt, qui ſperant ſuper miſericordia ejus, cui gloria eſt & honor in ſęcula ſæculorum. Amen.

PSALMVS CXLVII.

Alleluia.

vers. 12. L*Auda Ieruſalem Dominum, lauda Deum tuum Sion.* Modo audivimus ſanctum Prophetam prædicantem, propter pręvaricationem legis populum Iudaicum eſſe deſertum, & quomodo nunc dicitur: *lauda Ieruſalẽ Dominum, lauda Deum tuum Sion?* denique quod ſequitur, *Quoniam confortavit ſeras portarum tuarum?* Nõ de Ieruſalem loquitur nec de Sion terreſtri, ſed ſpiritualiter hæc accipienda ſunt, Ieruſalem enim viſionem pacis, & Sion ſpeculam ſignificat. Vbicumque ergò viſio pacis, ubicumque contemplatio Dei, ibi laus Dei. Lauda ergò Eccleſia Dominum, quæ jam in Deum credidiſti, & veram pacem jam habes, quia idololatriæ renunciaſti: Tu ſcientia Dei ornata es, & Sion ſpiritualis facta, ſpeculãdo myſteria Dei. Non laudet Synagóga, non laudent hæretici, ſed tu lauda. Quare?

Quoniam confortavit ſeras portarum tuarum; benedixit filijs tuis in te. Diligit enim Dominus portas Sion,

Sion, ſuper omnia tabernacula Iacob. Non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris hęretici ſcilicet & Iudęi. Eccl 15. Portas Sion Prophetas intelligimus. Verè enim Eccleſiæ portæ Prophetæ ſunt, non enim niſi per Prophetas Eccleſiam ingredi poſſumus. Manichæus intrare voluit ſine portis, & non intravit. Marcion non recepit vetus Teſtamentum, & ſine portis veteris Teſtamenti in Euangelium intrare non potuit. Nos verò recipimus portas Prophetas, & per portas ingredimur.

Sed videamus quę ſint ſeræ portarũ, nam multi latrones, multi fures, qui cupiunt intrare per portas. Seræ ſunt Eccleſiaſtici viri ſcripturis cæleſtibus eruditi, qui obſiſtunt hæreticis ne quid tollant de Prophetis contra nos. O ſi & mihi concederet Deus ut ſera eſſem in portis Sion.

Quoniã confortavit ſeras portarũ tuarum. Confortavit, id eſt, ſpiritũ ſcientiæ infudit, ad cõfutandum quoſcunque hæreticos. Quando ergò vides virũ Eccleſiaſticum diſputantem, nõ putes illum eſſe qui diſputat, ſed illum qui Eccleſiaſticum confortat, juxta verbum Chriſti. *Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis.* Matt. 10.

Qui poſuit fines tuos pacem. In alio Pſalmo legimus, *Et factus eſt in pace locus ejus:* & in Euangelio. *Pacem meam relinquo vobis, pacem meam do vobis: non ſicut mundus dat, ego do vobis.* Siquidem mundi pax, noſtrum bellum eſt, bellum habetote cum mundo, & meam pacem habebitis. *Qui poſuit fines tuos pacem.* Qui ergò non eſt in pace cum fratre, iſte non eſt in finibus Ieruſalem. Sed dicet aliquis, quid faciam? non vult mihi reconſiliari frater meus, ergo in finibus non ero Ieruſalem? *Si fieri poteſt* (inquit Apoſtolus) *quod ex vobis eſt, cum omnibus hominibus pacem habentes,* &, *Cum his qui oderunt pacem e-* verſ. 14. Pſal. 75. Ioan. 14. Rom. 12. Pſal. 119.

eſt quaſi nix. Dicit Propheta:
Iſaiæ 1. *Si fuerint peccata veſtra ut coccinum, quaſi nix dealbabuntur.* Et
Pſal. 50. alius. *Aſperges me Domine hyſſopo & mundabor, lavabis me & ſuper nivem dealbabor.* Tolle Domine ſordes meas, tolle quodcunque vitij eſt, nivem tuam & puritatem tuam tribue mentibus Chriſtianis. Niſi tu nobis nivem dederis mundiciarum tuarum, veſtimentum tuum habere non poſſumus. Chriſtus veſtimentũ noſtrum eſt, ſi volumus Chriſti habere veſtimentũ, mundi ſimus quaſi nix.

Nebulã ſicut cinerẽ ſpargit. Aliqui pro nebula hic ſubſtituunt
v. 16 pruinam. Chriſtus dat nobis ſuum veſtimentum ſicut nivẽ, & cum nos veſtierit veſtimento ſuo, tribuit nobis alimentum ſpirituale, de quo Propheta dicebat,
Pſal. 110. *Quia cinerem tanquam panem manducabam: & potum meum cum fletu miſcebam.* Vis eſſe mundus, age pænitentiam, panem tuum ſicut cinerem manduca, (nam cinis pænitentiæ Symbolum eſt,) & mundus efficieris.

Mittit cryſtallum ſuam ſicut buccellas: ante faciem frigoris ejus quis ſuſtinebit? verſ. 17.

Cryſtallus vox eſt græca, & hoc loco glaciem ſignificare apertè colligitur ex voce hebraica. Aliqui per cryſtallum hoc loco grandinem ſignificari volunt, quæ eſt aqua in aëre congelata; ſed grando non habet ſimilitudinem buccellæ, & potiſſimum etiam in æſtate deſcendere ſolet, proinde non efficit in aëre frigus, de quo hìc dicitur, *Ante faciem frigoris ejus quis ſuſtinebit?*

Illud, *qui mittit cryſtallum*, non ſignificat qui de cælo deſcendere facit; ſed qui juſſu ſuo cauſa eſt ut glacies frigidiſſima in terra exiſtat: quomodo dicebatur Deus mittere Prophetas, & Ioannes dicitur *homo miſſus à Deo*, qui tamen Ioa. 1.
non de cælo cadebant. Illud, *ſicut buccellas*, ſignificat fragmenta glaciei, quæ tempore

fri-

Digitized by Google

doniani, qui dicunt Spiritum ſanctum non numerari cum Patre & Filio? Deus Pater mittit, verbum mittitur, & tamen plena ſanitas non eſt, niſi Spiritus ſanctus flaverit. *Flabit ſpiritus ejus & fluent aquæ.* Aquæ quę antè durę erant, molles fient. Qui antè juſtitiam audire vel dare non poterat, iſte nunc diſcipulus eſt.

verſ. 19. *Qui annunciat verbum ſuum Iacob: juſtitias & judicia ſua Iſrael.*

verſ. 20. *Non fecit taliter omni nationi: & judicia ſua non manifeſtavit eis.* Alleluia.

Concludit, oſtendens quantum interſit inter providentiam Dei erga populum ſuum, & alias nationes. Alias enim nationes docuit Deus per effecta naturalia, ut ex rebus creatis agnoſcerent Creatorem: ſed populum ſuum ipſe docuit per Prophetas ſuos. *Qui annunciat verbum ſuum Iacob,* id eſt, *lauda Ieruſalem Dominum, qui annunciat verbum ſuum* populo ſuo *Iacob,* loquens illi per Moſem & Prophetas, & qui demonſtravit *juſtitias & judicia ſua Iſrael* per Moſem, cui Deus ipſe legem dedit, ut eam traderet populo ſuo Iſrael: & ex hoc intelliges, quia *non fecit taliter omni nationi,* quia tibi ſoli, non alijs, *judicia ſua,* leges videlicet ſuas, *manifeſtavit.*

Porrò iſta concluſio convenit quidem terrenę Ieruſalem, cui Deus miſit Prophetas, qui annunciarent verba ejus, & docerent leges ejus; ſed multo magis conveniunt ſpirituali Ieruſalem, quę eſt Eccleſia, quę recepit ipſum verbum Dei incarnatum per Apoſtolorum prædicationem, & multo ſublimiorem legem, juſtitias & judicia didicit: ſed perfectiſſimè conveniunt cæleſti Ieruſalem; cui Deus ipſe coram annunciat Verbum ſuum, & in ipſo Verbo vident omnes habitatores Ieruſalem judicia Dei, ordinem, ac diſpoſitionem, & rationes providen-

tiæ divinæ, quæ nobis ſunt abyſſus multa. Verè igitur *non fecit* Deus *taliter omni nationi*, ſed cæleſtis patriæ habitatores, præ omnibus alijs hominibus dilexit, & diligendo fæliciſſimos fecit.

PSALMVS CXLVIII.

Iſte Pſalmus in titulo duo habet Alleluia, & hoc multi putant quoniam in titulo ſint Pſalmi poſita. Scire autem debemus, quoniam unum Alleluia de fine ſuperioris Pſalmi eſt: aliud Alleluia initium ſequentis Pſalmi eſt. Et hanc regulam debemus reſpicere & ſcire: quoniam omnes Pſalmi, qui in principio habent Alleluia, & in fine habeant. Multi autem putant, quod alterius Pſalmi principium ſit. Non eſt ita, ſed ille Pſalmus qui in principio habet Alleluia, ipſe & in fine habet. Hoc totum quare dixi? ut ſciatis quare in iſto Pſalmo duo Alleluia præpoſita ſint.

Alleluia.

verſ. 1. L*Audate Dominum de cælis, laudate eum in excelſis*. Ad laudem Dei ſola hominum natura non ſufficit, junguntur & cæli. *Laudate Dominum de cælis*. Non dixit laudate cæli, ſed vos laudate qui eſtis in cęlis, hoc eſt, qui habitatis in cælis: Throni, Dominationes, Principatus, Poteſtates, Seraphim, Cherubim, & omne nomen quod nominatur, non ſolùm in pręſenti ſęculo, ſed

ſed etiam in futuro. *Laudate Dominum de cęlis*. Qui eſtis in cęlis, qui eſtis in excelſis, *laudate eum in excelſis*. Excelſi laudate excelſum. Non dixit humilibus & deorſum poſitis *laudate*, ſed vos qui ſublimes eſtis.

verſ. 2. *Laudate eum omnes angeli ejus*. Vides in quo gradu ſint Angeli? Primùm Throni dicuntur, id eſt, ſedes. Non putemus cathedras eſſe, in quibus Deus ſedeat, ſed virtutes aliquas in cæleſtibus, in quibus Deus ſemper ſedeat, quaſi in quadriga ſua. *Laudate eum omnes Angeli ejus*. Qui Angelus eſt, laudat: qui dæmon eſt, laudare non poteſt. *Laudate eum omnes virtutes ejus*. Quia ad laudes Dei Angelos provocavimus, & homo cunctarum virtutum nomen ſcire non poteſt generaliter dico, *Laudate eum omnes virtutes ejus*. Huc uſque de inviſibilibus: Laudate eum qui eſtis inviſibiles. Inviſibilia humanus oculus non poteſt intueri. Nunc venit ad creaturas, quas oculis cernimus.

Laudate eum ſol & luna: Laudate eum ſtellæ, & lumen. Videte gentiles, videte Manichęi: Sol laudat, non laudatur. *Laudate eum ſol & luna*. Vos ſolem Deum dicitis: ecce poſt quanta laudat. *Laudate Dominum de cęlis: laudate eum in excelſis. Laudate eum omnes Angeli ejus: laudate omnes virtutes ejus*. Deus veſter in quinto gradu laudans ponitur. *Laudate eum ſol & luna*: Non dixit luna & ſol, ſed ſol & luna: quod majus in ſole lumen eſt, prius laudat. Videte ordinẽ viſibilium. *Laudate eum ſol, & luna:* poſt ſolé, luna: poſt lunam, omnes ſtellę. Non tantùm Lucifer, non tantùm majores ſtellę, ſed minores pariter laudent Dominum. Dicat aliquis: quomodo ſol & luna & ſtellæ laudant Deum? In eo quod à ſuo officio & ſervitio non recedunt. Servitium ipſorum, laus Dei eſt. Grandem honorem habes humana anima. Sol, & luna, & ſtellę pro te verſ. 3.

Digitized by Google

currunt, pro te ſerviunt. Angeli, Throni, Dominationes, non habent ſolem neceſſarium, non lunam, non ſtellas. Super ſolem & lunam ſunt in cęleſtibus. Sol enim, & luna, & ſtellæ propter nos ſunt, nobis ſerviunt. Dicit & Apoſto-
Ro. 8. lus, quod ipſa creatura congemiſcit & parturit in liberatione ſervorum Dei, quando autem filij Dei aſſumpti fuerint, & ipſa creatura de hoc ſervitio libitur. Dicat aliquis: quomodo ſol ſervit & liberatur? quomodo luna? quomodo ſtellæ liberantur? Sol liberatur, ne Iudæos videat: nec gentiles, ne blaſphemantes Dominum ſuum. Videt parricidas, videt homicidas, & tamen ſervit imperio ejus qui juſſit.
Mat 5. *Solem enim ſuum oriri facit ſuper juſtos & impios.*

Laudate eum omnes ſtellæ & lumen. Dicat aliquis: quod eſt lumen ſine ſole, ſine ſtellis, ſine luna? Dicere poſſumus inter noctem & diem, vel inter dië & noctem, quod abſque ſole lucet: licet multi putent ipſum ſplendorem ſolis eſſe. Dicit igitur, *Laudate eum omnes ſtellæ & lumen.* Vt quomodo de inviſibilibus dixerat, *laudate eum omnes virtutes ejus*, ſic & de viſibilibus dicat, laudate eum omne quod lucet.

Laudate eum cęli cælorum: & verſ. 4.
aquæ omnes quę ſuper cęlos ſunt,
** laudent nomen Domini.* Plures verſ. 5.
cælos dicimus. Denique & A- 1. Cor.
poſtolus in tertium cælum ra- 12.
ptum ſe eſſe dicit. Videte ergo quantus fulgor eſt, ut cælum cæli ſit. Et cætera quę ſequuntur, dixit de viſibilibus.

Quia ipſe dixit, & facta ſunt. Dei juſſiſſe, feciſſe eſt: ejus imperium, fabrica eſt. *Quia ipſe dixit, & facta ſunt*, ſecun- Gen 1.
dũ illud, quod in Geneſi ſcriptum eſt: & dixit Deus, & fecit Deus. Hoc eſt, dixit Deus Pater, & fecit Deus Filius. Dicat aliquis: Ergo major eſt ille qui jubet, & minor iſte cui jubetur.

Digitized by Google

tur. Dicunt hoc Ariani, dicunt hoc Eunomiani, & dicunt Macedoniani. Reſpondeo tibi ſecundum ſenſum tuum: O Hęretice dicis: major eſt Pater qui jubeat, & minor eſt filius in eo quod jubeatur ab illo. Si hoc ſecundum ſenſum humanum accipis, reſponde mihi: quid eſt majus, jubere an facere? dico: fiat domus, & alius facit domum. Dicere nihil grande eſt, facere difficile. Major ergò ille qui facit, quam qui præcipit. Sed & hoc impium eſt: nō enim Filius major eſt Patre. Sicut enim hoc impium eſt de Filio contra Patrem credere, ſic & illud impium eſt de Patre contra Filium credere. *Quia ipſe dixit & facta ſunt, ipſe mandavit & creata ſunt.* Vna natura jubet, & facit. Deus jubet, & Deus facit: Iubet pictor, ut pingat pictor: & pictor pingit, quod pingi præceperat.

verſ. 6. *Statuit ea in æternum & in ſæculum ſęculi: pręceptum poſuit & non pręteribit.* Grandis eſt hominis honor, & grandis infęlicitas. Sol tibi currit, elementa tibi ſerviunt, & tu ignoras creatorem tuum. Præceptum poſuit, ſoli. Ecce per tot annos præceptum Dei, numquam præterijt. In tantum non præterijt, ut curſus ejus ex humana obſervatione compræhenſus ſit. Pręceptum lunæ poſuit ut per dies creſcat atque decreſcat. Numquid curſus ſuos aliquando mutat? In cælo præceptum Dei ſervatur, & in terra non ſervatur. Mari præceptum poſuit, ut littora ſua non egrediatur. Venit Oceanus tumens fluctibus, & in ſe redit, & præcepti Dei ſui meminit. Totus mundus Deo ſervit, & pręceptum Dei ſui meminit, ſolus autem homo, nonrecordatur Domini Dei ſui. Ideo dicimus & in oratione Dominica: *fiat voluntas tua ſicut in cęlo & in terra.* Mat 6. Sicut in cælo Angeli tibi ſerviunt, & creatura ſervit, ita ſerviat & homo. O infælix hominum genus; deſcendit ad te

Deus, quoniam tu ad cælum
non vis aſcendere. Non tibi
ſufficit, quod non ſuſpicis, ſed
occîdis, crucifigis, blaſphe-
mas, flagellas. Non tibi ſuffi-
cit quod occîdis, ſed nec pæ-
nitentiam agis, quod occide-
ris. Dixit de inviſiblibus; dixit
& de viſibilibus, ſed de viſibi-
libus cæleſtibus: nunc etiam de
terra. Videte ordinem laudan-
tium. Primùm laudant inviſi-
bilia, deinde viſibilia. Et ipſa
viſibilia dividuntur in duo, in
cæleſtia & terreſtria. Dixit de
cæleſtibus, nunc dicit de terre-
ſtribus.

verſ. 7. *Laudate Dominum de terra.*
Quoniã laudaverunt Angeli,
laudavit cælum, laudet & ter-
ra. Videamus de terra qui priùs
laudent. *Dracones & omnes
abyſſi.*

verſ. 8. *Ignis, grando, nix, glacies, ſpiri-
tus procellarum: quæ faciunt ver-
bum ejus.*

verſ. 9. *Montes, & omnes colles: ligna
fructifera, & omnes cedri.*

verſ. 10. *Beſtiæ, & univerſa pecora:
ſerpentes, & volucres pennatæ.*
Poſt tanta quid dicitur? Poſt
dracones, poſt ſerpentes, poſt
ignem, poſt grandinem, poſt
beſtias, & univerſa pecora: ô
homo qui tibi grandis vidêris,
de te dicitur, & non de ſimpli-
ci homine: ſed de his homini-
bus, qui inter homines majo-
res ſunt.

Reges terrę, & omnes populi: verſ. 11.
principes, & omnes judices terrę.

Iuvenes, & virgines: ſenes verſ. 12.
*cum junioribus laudent nomen Do-
mini: * Quia exaltatum eſt nomen* verſ. 13.
ejus ſolius. O quanta in iſtis
myſteria continentur! Lauda-
verunt cęleſtia, laudaverunt
inviſibilia: nunc ad terrena de-
ſcendit, & ad laudationem Dei,
primùm abyſſi, & dracones
cõcitantur. *Vbi abundavit pecca-* Ro. 5.
tũ, ſuperabundavit & gratia. Qui
primùm draco eras, qui habe-
bas venena ſerpentis. O tu qui
primùm abyſſus eras, & tene- Gen 1.
bræ ſuper faciem abyſſi fere-
bantur, qui Deum laudare non
audebas, ne deſperes, age pæ-
niten-

Digitized by Google

nitentiam, & ſtatim converteris. Deinde ſequitur: *Ignis.* Videte concordantem diſcordiam aquę & ignis: ſimul laudant Deum dracones & omnes abyſſi. Vniverſa quæ naſcuntur ex aqua, naſcuntur & ex igne, hoc eſt ex humore & calore: nec ignis ſolus generare poteſt ſine humore, nec humor ſine igne. Nihil eſt tam contrarium quam humor calori, & calor humori. Tamen voluntate Dei hæc quæ diverſa inter ſe ſunt, in noſtra nativitate concordant.

Grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum, quę faciunt verbum ejus. Omnia quę videmus in mundo, nobis ſerviunt: Serpẽtes, abyſſi, ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus procellarũ, videtur ſine ratione eſſe, ſed nobis ſerviunt. Erubeſce homo: humores & pluviæ tibi deſerviunt, & tu Deo tuo, qui hæc omnia fecit propter te, ſervire negligis. Imitare montes & colles, ligna fructifera, & omnes cedros, nec montes mutantur in colles, nec valles in montes, ſervant naturã ſuam. Lignum vides quaſi ſiccum amiſſis folijs, & ſtatim cùm venerit ver, tibi mittit germen, tibi fructus parturit. Cedri nituntur ad altum, & quaſi ad cęlum ire feſtinant. Horum ergò exemplo omnis ætas, omnis ſexus, omniſque poteſtas, illum laudet, cui pater evacuatis poteſtatibus, dedit nomen excelſum, nec quiſquam illud, quo utitur ſibi attribuat, ſed ei, de quo ſequitur.

Confeſſio ejus ſuper cęlum & terram. Quia, juxta Apoſtolum, omnia ei confitentur: nõ ſolùm cęleſtia & terrena, ſed etiam inferna. *Et exaltavit cornu populi ſui.* Eccleſiaſtici utique. vers. 14. Phil. 2.

Hymnus omnibus ſanctis ejus: filijs Iſraël, populo approquinquãti ſibi. His deputatur cæleſtis hymnus, qui in eo ſancti effecti ſunt, qui eum mente conſpiciunt, qui ei fide appropinquant,

quant, quos ab eo perverſitas iniqua non ſeparat: qui nos dignetur tradere in regnum Deo Patri, & conformes efficere claritati corporis ſui, ut jam non ei, vocali, & tranſitorio cantu, ſed perpetuo, & immobili cæleſtis ſtationis Hymno, jugi modulatione canamus: quia ipſi eſt cum æterno Patre & Spiritu ſancto honor & gloria, in ſæcula ſęculorum. Amen.

PSALMUS CXLIX.

Alleluia.

vers. 1. *CAntate Domino canticum novum: laus ejus in Eccleſia ſanctorum.* Verba hæc ſæpe alibi expoſita ſunt, & juxta hiſtoriæ ſenſum ad Hebræorum populum pertinent: juxta anagogen verò ad fideles. Illi autem novum Domino canticum canunt, qui nova in Chriſto effecti ſunt creatura, & per novum Teſtamentum, novum hominem induerunt.

vers. 2. *Lętetur Iſraël in eo qui fecit eum.* Ille lætetur, qui ſenſu videt Deum, Iſrael enim hîc interpretatur, ſenſu videns Deum. *Et filij Sion exultent in rege ſuo.* Filij eccleſiæ, filij novi populi, exultent in rege ſuo, in Chriſto, qui regnat in eis.

Laudent nomen ejus in choro. vers. 3.
Vbi chorus eſt, ibi diverſæ voces in unum canticum congeruntur. Sicut enim diverſæ chordę unam efficiunt vocem cantici, ſic & diverſę voces, cũ ſimul fuerint congregatę, chorum Domini efficiunt. Vbi diſſenſio eſt, ubi invidia, ibi chorus non eſt. *In tympano & pſalterio pſallant ei.* Chorus iſte canticum habet, tympanum habet & pſalteriũ. Crucifigamus corpora noſtra Chriſto, & tali tympano canamus Deo. Tympanum non habet carnẽ, ſed

Digitized by Google

ſed pellem, & nos quamdiu
carnei ſumus, tympanum non
ſumus. Tympanum non po-
teſt eſſe contractum ſed extẽ-
ſum: & nos peccata non con-
trahant, ſed juſtitia dilatet.
Pſalterium propriè genus orga-
ni eſt muſici, ſimilitudinem
habens citharę, ſed non eſt ci-
thara. Inter Pſalterium enim
& citharã hoc intereſt, citha-
ra deorſum percutitur, cæterũ,
Pſalterium ſurſum percutitur.
Hic ergò præcipitur nobis, ut
in cantico novo non canamus
Deo deorſum de cithara, ſed
de ſurſum, hoc eſt in Pſalterio.

verſ. 4. *Quia beneplacitum eſt Domino*
in populo ſuo: & exaltabit manſue-
tos in ſalutem. Beati mites, quoni-
Ma: 5. *am ipſi poſſidebunt terram*. Ibi di-
citur, *beati mites*, hoc eſt man-
ſueti, *quoniam ipſi poſſidebunt ter-*
ram: Et hîc dicitur, *exaltavit*
manſuetos in ſalutem. Ergò iſta
terra non de deorſum eſt, ſed
de ſurſum. Si enim manſueti &
juſti poſſiderẽt terrã quę deor-
ſum eſt, non diceret, *exaltavit*.

Exultabunt ſancti in gloria. In verſ. 5.
qua gloria? *Exurge gloria mea,*
exurge Pſalterium & cithara, ex-
urgam diluculo. In qua gloria? Pſal 56.
Necdum enim erat ſpiritus datus,
quia Ieſus necdum erat glorificatus,
hoc eſt, nondum erat crucifi-
xus. Quod ergò dicitur, *exul-*
tabunt ſancti in gloria, hoc eſt, Ioã. 7.
exultabunt Sancti in cruce, ſi-
cut dicit Apoſtolus, *mihi abſit* Gal. 6.
gloriari niſi in cruce Domini noſtri
Ieſu Chriſti. Ecce voce Apoſto-
li Prophetia completa eſt. *Læ-*
tabuntur in cubilibus ſuis. Lavabo Pſal 6.
per ſingulas noctes lectum meum,
lachrimis meis ſtratum meum riga-
bo. Illud peccatoris eſt, illud
pænitentis eſt: Hoc verò quod
dicitur, *lętabuntur in cubilibus*
ſuis, ad ſanctos & juſtos perti-
net. Quis de nobis in cubili
ſuo lætatur? quis non pugnat
cum carne ſua? Ego cum è le-
cto meo vigilavero, non læ-
tor, ſed pugno: non regnum
cælorum ſuſpiro, ſed incen-
dium carnis rigo lachrimis, &
extinguo. Felices iſti de qui-

bus dicitur: *Lætabuntur in cubi-*
libus ſuis.

verſ. *Exaltationes Dei in gutture eo-*
6. *rum.* Vtique qui clamat, non in
gutture clamat, ſed in labijs.
Et quomodo hîc dicit, *exalta-*
tiones Dei in gutture eorum? Cla-
mantes in cordibus noſtris,
Ro. 8. *Abba, Pater!* Vox quæ clamat
ad Dominum, non eſt labio-
rum, ſed cordis. Denique dicit
Exo Dominus ad Moyſen: *quid cla-*
14. *mas ad me?* & certè Moyſes ni-
hil dixerat. *Et gladij ancipites in*
manibus eorum. Legimus in A-
pocalypſi Ioannis, de Domino
Apo Salvatore: *Et gladius ex utraque*
1. *parte acutus, egrediebatur de ore e-*
jus. Dominus gladium de ore
ſuo donat Sanctis ſuis, & qui-
dem ancipitem, hoc eſt ſermo-
nem doctrinæ ſuæ, qui & ad-
verſarios hîc occîdat, & de-
fendat ſuos. Vnde ſequitur.

verſ. *Ad faciendam vindictam in*
7. *nationibus.* Vt occidantur &
pereant? non hoc dicit. *Increpa-*
tiones in populis. Increpat, ut ſal-
ventur populi, qui ſeducti ſunt
à malis magiſtris. Non autem
poſſunt populi liberari, niſi
magiſtri eorum alligati fue-
rint. Ideo addit.

Ad alligandos reges eorum in verſ. 8.
compedibus: & nobiles eorum ma-
nicis ferreis. Sancti Domini, qui
habent gladios ancipites, hoc
eſt, duorum capitum, & de ve-
teri & novo Teſtamento, ligãt
illos magiſtros, & præpediunt
pedes eorum ne poſſint cur-
rere, & multos decipere. *Et no-*
biles eorum in manicis ferreis. Li-
gant, non occîdunt: vinciunt
manus, & captivos ducunt ad
Eccleſiam vinculis ferreis. Ca-
thenæ autem quibus ligantur,
non fiunt niſi de teſtimonijs
ſcripturarum, dum teſtimoni-
um teſtimonio jungitur. Sed in
quem finem ligant?

Vt faciant in eis judicium con- verſ.
ſcriptum: gloria hæc eſt omnibus 9.
ſanctis ejus. Quod eſt *judicium*
conſcriptum? Vt qui primùm ne-
gaverant Deum, revertantur
poſtea ad pænitentiam. *Iudi-*
cium conſcriptum, ut captivos
ſuos

ſuos ſolvant, ut quos ligaverant, & quos ab eccleſia duxerant, poſtea in eccleſia diſſolvant. *Vt faciant in eis judicium conſcriptum*: Verbis ſimplicioribus loquor, hoc eſt, ut ſic eos judicent, quomodo in ſcripturis ſanctis digeſtum eſt. *Gloria hæc eſt omnibus Sanctis ejus.* Rogemus Deum ut hanc habeamus gloriam, ut gladius de ore noſtri Salvatoris egrediens, armet manus noſtras. Si enim hanc romphæam habuerimus, ſęculi gladium non timebimus. Gratias igitur agamus ei, qui habet iſtum gladiũ, & benedicamus eum in ſæcula ſæculorum. Amen.

PSALMVS CL.

Concluſit beatus David Pſalmorum librum in divinis laudibus, docens nos, ut per univerſam vitam, gratias Deo pro omnibus agamus.

Alleluia.

verſ. 1. LAudate Dominũ in Sanctis ejus. Quòd eos poſt celebratum judicium, in æternitatis gloria collocabit. *Laudate eum in firmamento virtutis ejus*: Eo quod omni infirmitate ſublata, firmamentum his æternæ virtutis invexerit.

verſ. 2. *Laudate eum in virtutibus ejus.* Pro eo quod mortem immortalitate potentialiter conſumens, incommutabilis vitæ his tribuerit gloriam, *quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit.* 1. Cor 2. *Laudate eum ſecundum multitudinem magnitudinis ejus.* Quia multifario honore diſtinctas cæleſtium corporum deputat mãſiones, ſicut Dominus ait: *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt.* Ioã. 14.

verſ. 3. *Laudate eũ in ſono tubę.* In quo bello occiſi vicerunt, conte-

rente Domino Sathanam ſub pedibus eorum. *Laudate eum in Pſalterio & cithara.* Eò quòd eis, vel decalogum legis implere præſtiterit: vel poſt mortificatam carnem, quæ cithara intelligitur, in ſe vivificaverit.

verſ. 4. *Laudate eum in tympano & choro.* In tympano, quod mortificatum corpus ſit immortalitati donatum. In choro, quod ſit Angelicis choris ſociatum. *Laudate enim in chordis & organo.* Quod per ciborum abſtinentiam, retortis viſceribus, concupiſcentijſque victis carnalibus, digni juventi ſunt regno Dei, ad concinendas divinas laudes.

verſ. 5. *Laudate eum in cymbalis beneſonantibus: laudate eum in cymbalis jubilationis.* Impletur hæc laus in cymbalis beneſonantibus exultātibuſque, eò quòd corruptione carnis ſanguiniſque depulſa, conformati ad imaginē creatoris, omni plenitudine ſpei completa, ſicut ſol reſplendeant in regno Dei Patris omnipotentis.

Omnis ſpiritus laudet Dominum. Alleluia. In hoc regno verſ. 6. non caro, non ſanguis, non corruptio, ſed homo jam ſpiritualis totus effectus, Deum (Qui ſpiritus eſt) in ſpiritu laudare nō deſinit. Qui nobis pręſtare dignetur ut in hoc ſęculo factores legis effecti, in hujus vitæ agone probati, & fideles juventi, ſpiritualibus ditati fructibus, his mereamur adjungi concentibus: Ipſi gloria & imperium cum æterno Patre & Spiritu ſancto, & nunc, & in cuncta ſæcula ſęculorum. Amen.

Finit expoſitio Pſalmorum.

Digitized by Google

INDEX
PSALMORVM.

Dixit Dominus	Pſal.cix.
Confitebor tibi Domine	pſal.cx.
Beatus vir	pſal cxj.
Laudate pueri Dominũ	pſal.cxij.
In exitu Iſraël	pſal.cxiij.
Dilexi quoniam	pſal.cxiv.
Credidi propter quod	pſal.cxv.
Laudate Dominum omnes gentes	pſal.cxvj.
Confitemini Domino quoniã bonus	pſal. cxvij.
Beati immaculati	pſal.cxviij.
In quo corrigit	
Retribue ſervo tuo	
Adhæſit pavimento	
Legem pone	
Et veniat ſuper me	
Memor eſto verbi tui	
Portio mea Domine	
Bonitatem feciſti	
Manus tua Domine	
Defecit in ſalutare tuum	
In æternum Domino	
Quomodo dilexi legem	
Lucerna pedibus meis	
Iniquos odio habui	
Feci judicium & juſtitiam	
Mirabilia teſtimonia tria	
Iuſtus & Domine	
Clamavi in toto corde	
Vide humilitatem meam	
Principes perſecuti ſunt	
Appinquet deprecatio mea	
Ad Dominum cum tribularer	pſal. cxix.
Levavi oculos meos	pſal.cxx.
Lætatus ſum	pſal.cxxj.
Ad te levavi oculos	pſal.cxxij.
Niſi quia Dominus erat	pſal.cxxiij.
Qui confidunt in Domino	pſal.cxxiv.
In convertendo	pſal.cxxv.
Niſi Dominus ædificaverit	pſal. cxxvj.
Beati omnes qui timent	pſal cxxvij.
Sæpè expugnaverunt	pſal.cxxviij.
De profundis	pſal.cxxix.
Domine non eſt exaltatum	pſal.cxxx.
Memento Domino David	pſal.cxxxj.
Ecce quam bonum	pſal.cxxxij.
Ecce nunc benedicite	pſal.cxxxiij.
Laudate nomen Domini	pſal.cxxxiiij.
Confitemini Domino quoniã bonus	pſal.cxxxv
Super flumina Babilonis	pſal.cxxxvj.
Confitebor tibi Domine	pſal.cxxxvij.
Domine probaſti	pſal.cxxxviij.
Eripe me	pſal cxxxix.
Domine clamavi ad te	pſal.cxl.
Voce mea ad Dominum	pſal.cxlj.
Domine exaudi	pſal.cxlij.
Benedictus Dominus Deus meus	pſal.cxliij.
Exaltabo te Deus	pſal.cxliiij.
Lauda anima mea Dominum	pſal cxlv.
Laudate Dominum quoniam	pſal. cxlvj.
Lauda Ieruſalem	pſal.cxlvij.
Laudate Dominum de cælis	pſal.cxlviij.
Cantate Domino canticum	pſal.cxlix.
Laudate Dominum in Sanctis	pſal.cl.

Index Rerum notabilium quæ hoc libro continentur: cujus primus numerus Pſalmum deſignat, poſterior verſum.

A.

ACtuum humanorum progreſſus Pſal. cxviij. verſ. 36
Actio tendens in Deum qualis eſſe debeat pſal. cxiiij. verſ. 7
Bene actorum omnium virtus in Deo eſt pſal. cxvij. verſ. 11
Adulatores apibus comparantur pſal. cxvij. verſ. 9
Adjuvat Deus non ſolum ſperantes, ſed etiam timentes pſal. cxiij verſ. 19
Allegoria & anagogia unde deducantur pſal. cxviij. verſ. 126
Aliqui vivi, aliqui mortui deglutiuntur pſal. cxxiij. verſ. 2
Amor vacare non poteſt pſal. cxxj. verſ. 1
Amori non ſatisfit niſi per amoris reciprocationem pſal. cxv. verſ. 3
Ex amore ſui ipſius oriuntur infiniti timores pſal. cxvij. verſ. 4
Amor Dei non multiplicat timores pſal. cxvij. verſ. 4
Angeli & cives cæleſtes, montes appellantur pſal. cxx. verſ. 1
Angeli quomodo nos adjuvent pſal. cxvij. verſ. 4
Animal omne percuſſum fulmine, vertit faciem ad fulmen pſal. cxix. verſ. 2
Anima in quodam medio quare creata pſal. cxx. verſ. 8
Animus à quibus liber eſſe debeat pſal. cxxvj. verſ. 1
Animam in manu ferre quid ſit pſal. cxviij. verſ. 106
Apis natura pſal. cxvij. verſ. 9
Arbor quot radicibus innititur, tot ramis decoratur pſal. cxxvj. verſ. 2
Apoſtoli portę dicuntur pſal. cxvij. verſ. 16
Atrium quid pſal. cxv. verſ. 9
Avaritiæ definitio. pſal. cxviij. verſ. 31

B.

Barbarus unde dictus pſal. cxiij. verſ. 1
Bdellium arbor qualis pſal. cxviij. verſ. 133
Beatitudo cur dies dicatur pſal. cix. verſ. 4.
Benedictio quis Domino fæneratur, redit in caput ejus pſal. cxvij. verſ. 21
Benedictio non in rore ſed in authore cæli pſal. cxxviij. verſ. 6
Beneficia Dei erga nos quanta, in beneficiato & benefactore pſal. cxxxij. verſ. 1
item pſal. cxvij. verſ. 4
Pro beneficijs acceptis Deo obligamur pſal. cxxxij. verſ. 1. item pſal. cxxvj. verſ. 1
Benevolentia Dei erga nos in quibus appareat pſal. cxiij. verſ. 20
Bibere de torrente quid pſal. cix. verſ. 7
Bonum humanum fallax pſal. cxxviij. verſ. 1

C

Cadere tripliciter contingit pſal. cxvij. verſ. 10
Calix ſalutaris quis ſit pſal. cxv. verſ. 4
Calumniæ definitio pſal. cxviij. 131
Caſtigat Dominus ne ex fiducia negligentia generetur pſal. cxxiiij. verſ. 3

Cedar

Digitized by Google

Cedar tenebræ interpretatur pſal. cxix. verſ. 5
Charitas lecto comparatur pſal. cxxvj. verſ. 1
Charitatis latitudo pſal. cxviij. verſ. 44
Charitas foras mittit timorem pſal. cx. verſ. 8
Chriſtus eſt petra in ſtagna aquarum converſa pſal. cxiij. verſ. 15
Chriſtus eſt petra, ex qua quatuor flumina exierunt pſal. cxiij. verſ. 8
Chriſtus ubi abeſt, ibi mors pſal. cxvij. verſ. 13
Chriſtus pro nobis propitiatio apud Patrem pſal. cxxix. verſ. 4
Chriſtus oſtium dicitur pſal. cxvij. verſ. 16
Chriſtus lapis angularis pſal. cxvij. verſ. 18
Chriſtus cur inter cælum, & terram mori voluit ibidem
Chriſtus cur dicitur ſacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech & non ſecundùm ordinem Aaron. pſal. cix. verſ. 5
Clamor ad Deum non eſt tam ſonus vocis, quam deſiderium cordis pſal. cxxix. v. 1
Clementia divina duritiam ſe ſimulat pſal. cxvij. verſ. 15
Cæli encomia pſal. cxxj. verſ. 1
Cęli materiales & immateriales pſal. cxxij. verſ. 1
Cælorum principes qui pſal. cxij. verſ. 7.
Cogitatio quę dicatur iniqua pſal. cxviij. verſ. 115
Colles quid ſignificant pſal. cxiij. verſ. 4
Columnę ſeptem quibus ſpiritualis domus ſuſtinetur quę pſal. cxxvj. verſ. 1
Concupiſcentia api comparatur pſal. cxvij. verſ. 9
Conditiones boni clauſtralis pſal. cxiij. verſ. 8.
Confeſſio duplex pſal. cx. verſ. 1. item pſal. cxvij. verſ. 1
Conſolatio neceſſaria in hoc ſęculo pſal. cxxv. verſ. 1
Conquaſſabit capita quid pſal. cix. vers. 7
Cor pro mentis affectu ponitur pſal. cxi. vers. 5
Cor qualiter mundum eſſe poſſit pſal. cxxvj. vers. 1
Conſenſus ſolus reos facit pſal. cxxvj. vers. 1
Contemplatio ſanctorum & Philoſophorum quomodo differat pſal. cxviij. vers. 2
In creatione multa, ſed in recreatione plura dedit Deus pſal. cxv. vers. 3
Creaturæ homini ſerviunt pſal. cxvij. vers. 4
Creaturę movent hominem ad gratitudinem ibidem
Inter culpam & naturam diſtinctio pſal. cxviij. vers. 110
Cultores ſimulacrorum quomodo ſimiles illis fiant pſal. cxiij. vers. 16

D

Deus Filius David & Dominus David pſal. cix. vers. 1
Deus prius requirit voluntatem quam actionem pſal. cxi. vers. 1
Deus præſtat fidelibus dona miſericordiæ, ne impij habeant occaſionem blaſphemandi pſal. cxiij. vers. 10
Deus miſerator, miſericors & juſtus pſal. cxj. vers. 4
Deus facit omnia quæ vult in cælo & in terra pſal. cxiij. vers. 11
Deus eſt inviſibilis pſal. cxiij. vers. 11
Quomodo Deus à nobis cognoſcatur pſal. cxiij. vers. 11

Digitized by Google

Dij gentium quid ſunt pſal.cxiij.vers.12
Deus ſemper laudandus pſal.cxij.vers.2
Deus quomodo dormire & evigilare dicitur pſal.cxx.vers.4
Deo nihil acceptabile ſine amore pſal.cxv.vers.3
Dei præſentiam ante oculos habere compendioſa via ad perfectionem pſal.cxxij. vers.2
Deo non paſſibus corporis,ſed contritione cordis accedimus pſal.cxxv.vers.1
Deus quomodo manus dicatur habere pſal.cxviij.vers.72
Deus adjuvat nos tripliciter pſal.cxxvj.vers.1
Deus à tentatione liberat, cùm in ea patientiam donat pſal cxxviij.vers.1
Deus non ex natura,ſed ex pacto aliquid debet pſal.cxxix.vers.8
Deus bonus eſſentialiter,reliqua participativè pſal.cxviij.vers.1
Ex Deo omnis ſufficientia noſtra pſal.cxvij.vers.11
Deus uterum non habet,quomodo ex utero genuit? pſal.cix. verſ.4
Per dexteram Dei quid intelligimus pſal.cxvij. vers. 21
Dexteram Domini nos exaltare quid ſit pſal.cxvij.vers.13
Per dexteram & ſiniſtram quid intelligatur pſal.cxx.vers.4
Dies hominis à diebus Dei diſtant pſal.cxiiij.vers.2
Diem ſolemnem in condenſis agere quid pſal. cxvij.vers. 22
Dies feſtus quomodo Catholicis peragendus ibidem
Dilectionis carnalis & ſpiritualis differentia pſal.cxxxj.
Dilectio alia pura, alia impura ibidem
Dilectionis ſpiritualis finis ibidem
Dilectio morte fortior pſal cxvij.vers.15
Diſtinctio inter novum & vetus Teſtamentum pſal.cx.verſ.1

E

Eccleſia Syon nominatur pſal.cxxvij.vers.6
Eccleſia Chriſtus myſticus pſal.cxxviij.vers.1
Eccleſia tota replicatur in Ieſu, & Ieſus totus in tota Eccleſia explicatur ibidem
Ægyptus interpretatur afflictio pſal.cxiij.vers.1
Exire de Ægypto quid pſal.cxiij.vers.1
Exempla Sanctorum carbones ſunt vaſtatorij pſal.cxix.vers.4
Elemoſynæ fructus recipitur in cælis exaltat ſe homo dupliciter pſal.cxj.vers.9

F

Feneſtra domus noſtræ non lignea ſit,ſed vitrea, ejuſque myſtica expoſitio pſal.cxxvj vers.1
Feneſtræ ſeptem ſignificant dona ſpiritus ibidem
Filius verbum Patris dicitur pſal.cxxix vers. 8
Filij perſonalis proprietas multis nominibus ſignificatur ibidem
Filius Dei quomodo à Patre genitus ſit, homines & Angeli ignorare creduntur pſal.cix.vers.4
Filius junior quis pſal.cxviij.vers.11
Fortitudo noſtra à ſolo Deo pſal.cxvij.vers.9

Frater.

Digitized by Google

Fraternitas Chriſtianorum quadruplex pſal.cxxxj.vers.1
Fruitio conſiſtit in tribus pſal.cx.vers.9
Fundamentum ſpiritualis domus fides pſal.cxxvj.vers.1

G

Gentilium converſionem tres magi & titulus cruci affixus ſignificarunt pſal.cxvj. vers.1
Gentiles cur idola colebant pſal. cxiij.vers.12
Gloria Domini quid pſal.cxiij.vers.10
Gloriari in ſeipſo nemo debet pſal.cxviij.vers.149
Gratia trifariam conſideratur pſal.cxxvj.vers.1
Sine gratiæ auxilio operari non poſſumus pſal.cxxvj.vers.1
Ad gratiarum actionem quomodo tenemur pſal.cxxxij.vers.1
Ad gratiarum actionem quæ pertineant ibidem
Septemplex ratio ad gratiarum actionem nos movet ibidem
Gratia mera Dei liberalitate datur, ſed libero aſſenſu accepta, noſtra eſt pſal.cxvij vers.11.

H

Hæreditas Iudæorum & hæreditas gentium quæ pſal.cx.vers.8
Hermon montes tres & nominis interpretatio pſal.cxxxj.vers.3
Hieruſalem quot turres & portas habeat pſal.cxxj.vers.1
Homo tribus laqueis irretitus tenetur pſal.cxviij.vers.17
Omnis homo quomodo mendax pſal.cxv.vers.2
Homo fęno ſimilis pſal.cxxviij.vers.4
Humilitatis definitio pſal.cxxx.vers.1
Humilitatis pavimentum dicitur intrinſecè, & extrinſecè auro tectum pſal.cxxvj. vers.1
Iuxta magnitudinem humilitatis, magnitudo glorię pſal.cxxvj.vers.2
Humilitatis laudes pſal.cxxx.vers.1
Humilitas duplex, cognitionis & affectionis ibidem vers.2
Humilitas perfectorum quę ibidem
Humanæ conditionis eſt ſub diſcrimine exitus conturbari pſal.cxv.vers.8
Humana fallacia pſal.cxvij.vers.8
Humanis auxilijs quomodo utendum pſal.cxvij. vers.8
Humiliari uſquequaque quid ſit pſal.cxviij.vers.104
Humiliatio via ad humilitatem pſal.cxviij. verſ.137
Humilitas quandoque pro virtute, quandoque pro pęna ſumitur pſal.cxviij.vers.118

I

Iacêre ſupra latus dextrum, ſiniſtrum, & dorſum, quid ſignificet pſal.cxxvj.vers.2
Ieſu adepto anima veluti in fine proprio requieſcet pſal.cxxvij vers.2
Ieſus mediator inter Deum & hominem pſal.cxv.vers.3. item pſal.cxvj.vers.2

Ieſus

Ieſus ſcala Iacob pſal.cxv.vers.3
Ieſus veritas dicitur pſal.cxvj. vers.2
Inimici Chriſti qui pſal.cix.verſ.2.
Initium ſpiritualis profectus carnalia vitia relinquere pſal.cxix.verſ. 1
Introitus & exitus quid ſignificent pſal.cxx.vers.8
Introitum & exitum cuſtodire quid ibidem
Iſraël quomodo interpretatur pſal.cxvij.vers.4
Iordanis deſcenſio interpretatur pſal.cx.vers.3
Iordanis rivus judicij dicitur ibidem
Iudicare Domini quid pſal.cix.vers.7
Iudicium non expaveſcit, qui adverſus miſericordiam non inſoleſcit pſal.cxxix. vers.3.
Iuravit Dominus quomodo pſal.cix.vers.4
Iuſtus quiſque non timet tormenta corporis in præſenti, ſed animæ in futuro pſal.cxix.vers.2.
Iuſtus de incolatus prolongatione conqueritur pſal.cxix.vers.4

L

Laudare Dominum quid ſit pſal.cxij.vers.1
Laudatio Dei unde oriatur pſal.cxxxiij.vers,3. item pſal.cxvij.vers.1
Laboris fructus requies à labore pſal.cxxvij.verſ.2
Lachrymarum genera quinque pſal.cxxv.vers.3
Lachrymarum varij effectus ibidem
Lapis reprobatus in templo Salomonis qualis pſal.cxvij.vers.18
Lex & Euangelium quomodo differant pſal.cx.vers.7
Lex Domini quare dicatur veritas pſal.cxviij.vers.138
In lege Domini non pedibus corporeis, ſed greſſibus probabilis actionis ambulemus pſal.cxviij.vers.1
Lingua mala peior quam gladius pſal.cxix.vers.2
Lingua doloſa, & libra iniqua quid pſal.cxix.vers.2
Contra linguam doloſam remedium aſſignatur ibidem vers.4
Litera ſępè occîdit niſi unctio doceat pſal.cxviij.vers.33
Lutum & lateres operari, & in paleis occupari, quid ſit pſal.cxix. vers.1
Lux triplex contra triplices tenebras pſal.cxxvj.vers.2
Ante lucem ſurgere quid ſit pſal.cxvj.vers.2

M

Machabæi melius liberantur, quam tres pueri de camino ignis pſal.cxviij.vers.51
Magnificentia Domini quæ pſal.cx.vers.2
Manus homini ad quid utiles pſal.cxj.vers.5
Manus levare quid ſit pſal.cxxxij.vers.2. item pſal.cxviij.vers.47
Mandata Domini fruſtra cuſtodiuntur memoria, ſi non cuſtodiantur & vita. pſal.

Digitized by Google

pſal.cxviij.vers. 9
Mancipij gentilis in veteri lege ungues radebantur pſal. cxix.vers. 1
Mali bonos in principio converſionis expugnant pſal.cxxviij.vers.1
Malorum quæ intentio contra bonos ibidem
Malum duplex pſal.cxviij.vers.110
Martyrium calix dicitur pſal.cxv.vers. 1
Martyrij laudes pſal.cxv.vers.6
Mare hujus ſæculi peccatores deſignat pſal. cxiij.vers. 3
Tot membra in homine, quot dies in anno pſal.cxxxij.vers. 1
Memoriam beneficiorum Dei habere debemus pſal.cxxvj.vers.1
Mens devota quomodo ſupra ſe rapitur pſal. cxxvj.vers.1
Melchiſedech ſacerdotium pſal.cix.vers. 5
Miſericordię divinę promptitudo pſal.cxxviij.vers.1
Miſericordia in Deo eſt ſecundum effectum, non ſecundum paſſionis defectum ibidem
Miſericordia duo importat unum eſſentiale,& alterum accidentale ibidem
Miſericordię divinæ effectus copioſior in lege nova,quam veteri pſal.cxxix.vers.7
Miſericordiæ Domini ſemptemplices pſal.cxviij.vers.151
Miſericordia non ſolum juſti circumdantur , ſed etiam peccatores ſalvantur pſal.cxvij.vers.1.
Miſericordiæ divinę effectus pſal.cxvij.vers.1
Moyſes & Aaron Propheticum & Euangelicum ſermonem referunt pſal.cxix. vers. 1.
Mons Syon ubi, & quales montes habeat in circuitu pſal.cxxiiij.vers.1
Mors duplex culpę pſal cxvij.vers.14
Mortui qui dicantur pſal.cxiij.vers. 26
Mundi deliciæ dulces & amarę pſal.cxviij.vers.64

N.

Nares homini ad quid utiles pſal. cxiij.vers.14
Nimis pro valde ponitur pſal.cxviij.vers.4
Nimis oportet mandata Domini cuſtodiri, ubi nil poteſt ſine culpa præteriri pſal.cxviij. vers.4.
Nomen Domini quibus terribile, & quibus amabile pſal.cx.vers.8
Nomen Ieſu ſemper invocandum pſal.cxviij.vers.54

O

Oblivio non cadit in Deum pſal.cxviij.vers.48
Oculi ad quid pſal.cxiij.vers.13
Oculi ſpirituales qui pſal.cxxij.vers.1
Oculi ad Deum levandi de tribulatione pſal.cxxij.vers.1
Oculi Domini ſeptem pſal.cxviij.vers.129
Omnes unum ſumus in Chriſto pſal.cxviij.vers.62
Opera manuum Dei veritas & judicium pſal.cx.vers.5
Opera miſericordiæ ſunt ſemen futuræ meſſis pſal.cxj.vers.2
Opera noſtra trifariam conſiderantur pſal.cxxvj.vers.1

Digitized by Google

Operari naturaliter, moraliter, & gratuitè quomodo poſſimus pſal.cxxvj.verſ.1
Opera bona excreſcunt in perpetuam pacem pſal.cxxvij.vers.7
Opera meritoria quæ ex gratia procedunt quomodo noſtra dicantur pſal.cxvij.verſ.11
Opera Chriſti ex divinitate accipiebant infinitatem valoris pſal.cxvij.vers.18
Operari propter æternam retributionem quando meritorium pſal.cxviij.verſ.109
Opprobria & calumniæ ſunt medicinæ conſcientię pſal.cxviij.vers.131
Oratio in tribulatione melior quam extra pſal cxix.vers.2
Oratio fit corde, ore, & opere pſal.cxix.vers.2.
Oratio ut exaudiatur quæ requirat pſal.cxxix.vers.1
Oratio qualis eſſe debeat pſal.cxviij.vers. 142
Orationis veritatem quæ conſtituant ibidem

P

Panis doloris quis pſal.cxxvj.vers. 2
Parietes quatuor domus, quatuor virtutes Cardinales exprimunt pſal.cxxvj.verſ.1
Paſſeris conditiones pſal.cxxiij.vers.6
Pax quid pſal.cxxiij.vers.8
Peccatum quare pęna perpetua puniatur. pſal.cxviij.verſ.154
Peccare ex infirmitate vel malitia qui dicantur pſal.cxviij.vers.21
Peccatores pulchrè vindicat Deus pſal.cxxvij.vers.2
Peccatores per quos gradus ad infernum deſcendant pſal. cxxiij.vers.2
Peccans contra voluntatem Dei facit, non tamen eam ſuperat pſal.cxj.vers.2
Non pęnitere Deum quid ſit pſal.cix.vers.5
Pecora pręferuntur dijs gentium pſal.cxiij.vers.15
Populus Iudæorum quamdiu cum Deo manet, bonus ab eo dicitur pſal.cxix.vers.1
Portę varię ſunt pſal.cxvij.vers.16
Porta Domini anguſta ibidem
Placere Deo in hac vita neceſſe eſt pſal.cxiiij.vers.9.
Principes populi qui pſal.cxij.vers.7
Principatus cęleſtis qualis pſal.cxij.vers.7
Proficere qui nititur, linguas adverſantium patitur pſal.cxix.verſ.1
Profundum multiplex pſal.cxxix.verſ.1
Pueri nomen quibus detur pſal.cxij.vers.1
Pueritia humilitatem deſignat ibidem vers.2

Q

Quę ſit ratio erroris in gentilibus pſal.cxj.vers.8
Quid ſpes, & in quo ſperandum pſal.cxiij.vers.17
Quomodo Deus reſpiciat humilia in cælo & in terra pſal.cxij.verſ.8

R

Radicem in nobis habemus, à qua peccatum in primum hominem pullulare cæpit pſal.cxvij.verſ.9

Ratio

Digitized by Google

Ratio illuminata, & ad bonitatis deſiderium inflammata, illicitas affectiones non admittit pſal.cxxvj.vers.1
Ratio locum ſuperiorem ſemper habere debet pſal.cxxvj.vers.1
Redemptio eſt ipſe ſalvator pſal.cx.vers.7
Redimere nos non potuimus, vendere nos potuimus pſal.cxxv.vers.1
Reſurrectionis dies, ſpecialiter dies dicitur pſal.cxvij.vers.20
Riſus triplex pſal.cxxv.vers.2

S

Sacramenta Eccleſiæ portæ dicuntur pſal.cxvij.vers.16
Sacramentum Euchariſtiæ cur vocetur Teſtamentum ęternum pſal.cx.vers.7
Sacramentum Euchariſtiæ comparatur mannæ ibidem vers.3
A Sanctis auxilium eſt inſtrumentaliter, à Deo principaliter pſal.cxx.vers.2
In Sanctorum exempla intendere debemus pſal.cxx.vers.1.
Sancti cæli ſpirituales dicuntur pſal.cxxij.vers.1
Sancti poſt mortem hęreditas Domini erunt pſal.cxxvj.vers.3
Sapientia patiens, & patientia ſapiens, utraque neceſſaria pſal.cxxviij.vers.2
Scriptura ſacra arcus eſt pſal.cxix.vers.4
Scripturarum profunditas pſal.cxviij.vers.126
Scutum apud ſęculum diſtinguitur à corona, apud Deum non pſal.cxvij.verſ.7
Serpentem extricato ſqualore tranſitus anguſtia trajicit pſal.cxix.vers.1
Servitus duplex pſal.cxviij.vers.126
Servi Domini qui pſal.cxxxij.vers.1
Servi Dei dupliciter ſumus pſal.cxviij.vers.93
Seminatoris boni conditiones pſal.cxxv.vers.3
Syon ſpeculum interpretatur pſal.cxvij.vers.6
Sol & luna quid ſignificent pſal.cxx.vers.6
Somnus duplex culpę & gratiæ pſal.cxx.vers.4
Spes ejus eſt infructuoſa, cujus non eſt munda conſcientia pſal.cxj.vers.7
Spei definitio pſal.cxxvj.vers.1
Spiritus quomodo rectus ibidem
Subſtantia noſtra apud Deum eſt pſal.cxxij.verſ.1
Superbi contra humiles ſibi authoritatem increpationis arripiunt pſal.cxxij.vers.3
Subſtantia duplici compacti ſumus pſal.cxxix.vers.1

T

Tabes quid ſit pſal.cxviij.vers.135
Templum Salomonis quot atria habebat pſal.cxxj.vers.1
Ad Templi ſpiritualis ædificationem quæ concurrant pſal.cxxvj.vers.1
Teſtamentum vetus quare nox, & novum dies dicitur pſal.cx.verſ.7
Timor Domini eſt initium ſapientiæ pſal.cx.vers.8
Timor Domini differt à timore inimici pſal.cxj.vers.1

Digitized by Google

Timoris effectus aliqui pſal.cxxiiij.vers.3
Timoris ſpecies ſeptem pſal.cxxvij.vers.1
A timore ſancto omnis felicitas emânat pſal.cxxvij.vers.2
Timoris ſancti undecim effectus ibidem vers.5
Timor ſolus de ſe ſine pœnâ dari non poteſt pſal.cxvij.vers.4
Torrens ſignificat profluxionem mortalitatis pſal.cx.vers.8
Tribulatio ad hominis,bonum ordinatur pſal.cxvij.vers.5

V

Vendere nos potuimus, redimere non potuimus pſal.cxxv.vers.1
Verba ſacræ ſcripturę comparantur pſal.cxix.vers.4
Veritas Domini quid ſit pſal.cxiij.vers.10
Virga virtutis quę pſal.cix.vers.3
Via Domini pollutum non recipit pſal.cxix.vers.1
Vigilia matutina & veſpertina pſal.cxix.vers.6
Vita bona ſine doctrina habet gratiam pſal cxviij.vers.2
Vias ſuas corrigere quid ſit pſal.cxviij.vers.9
Via Domini lata pſal.cxviij.vers.44
Vitæ humanæ brevitas pſal.cxviij.vers.83
Virtutes cardinales inter ſe connexę pſal cxxvj.vers.1
Vmbra unde proveniat pſal.cxx.vers. 5
Vnitas cum inquietis ſervanda,ſpe correctionis pſal.cxix.vers.6
Vnguentum defluere in barbam Aaron quid pſal cxxxj.vers.2
Voluntatem prius requirit Deus, quam actionem pſal.cxj. vers.17

Z

Zelus quid pſal.cxviij.vers.135
Zelus comedit ſicut ignis ibidem

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

1-6-2.

Digitized by Google